VENANTII HONORII CLEMENTINIANI FORTUNATI ... CARMINUM, EPISTOLARUM, ...

Venantius Honorius Clementianus Fortunatus, Christoph Brouwer, ...



VENANTII HONORII CLE MENTIANI FORTVNA TI PRESBYTERI ITALICI EPISCOPI PICTAVIENSIS

CARMINVM, EPISTOLARVM, EXPO SITIONVM LIBRI XI.

POEMATIS ET LIBRIS SINGVLARIBVS AVCT
NOVAQ. RVRSVM EDITIONE ILLVSTRATI.

ACCESSERE

HRABANI MAVRI FVL DENSIS, ARCHIEPISCOPI MA GONTINI POEMATA SACRA NVNQVAM EDITA.

OMNIA RECENS ILLVSTRATA NOTIS VARIIS

à

R. P. CHRISTOPHORO BROWERO Societ. IESV Presbytero.

MOGVNTIÆ,
Sumptibus BERNARDI GVALTHERI Bibliop. Colonien.
Excudebat Ioannes Volmari.

ANNO 1617.

Cum gratia & priuil. S. Cæsareæ Maiestatis.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO.

D. PHILIPPO CHRISTOPHORO

CATHEDRALIS ECCLESIÆ SPIRENSIS

EPISCOPO,

S. ROMANI IMPERII


PRINCIPI,

WEISSENBVRGENSIS ET METROPOLITANÆ TREVERENSIS ECCLESIÆ


PRÆPOSITO,

CAMERÆ IMPERIALIS SVPREMO

IVDICI. &c.



Domino ſuo & Patrono clementiſſimo.



TEMPORIS non multum interfluxit, cum ex Buchonia in Treueros reuerſus, inter alia, quæ iſtic viciſsitudinis legi paruiſſe ſenſi, Gymnaſij veteris ſolitudinem, & mutationem obſeruaui memorabilem; cuius in ſpatiis te, Princeps Reuerendiſsime & Illuſtriſsime, optimis diſciplinis olim operam nauaſſe, & me iis tradendis iſti Academiæ munus tunc debitum exoluiſſe, meminiſſe ſoles. Ceterum

paſſibus inde non multis in nouum Athenæum abductus, vbi molis affabrè factæ magnitudinem, operis ſplendorem, etiam atque etiam contemplatus ſum, animi pendere cœpi, vtris mihi potius gratulandum eſſet; an ciuitati Treuirorum, cui tam excellens Palæſtra iuuentuti erudiendæ contigiſſet; an ipſi iuuentuti, quæ ceu in arce Athenarum oleam excitãdis ingeniis de nouo naſcentem hic dicatam haberet, an denique fabricæ tam diffuſæ Patronis auxiliaribus, qui tanquam non vnius Populi vel Vrbis moderatores, ſed velut communes quidam Reip. litterariæ Parentes, liberalitatem & munificentiam ſuam domi exhibuiſſe non contenti, foras in Treueros etiam protuliſſent. Quorum in numero te, Antiſtes Reuerendiſſime, iure merito cenſeri, ſi litteræ taceant noſtræ, vel illa ipſa in fronte noui ædificij, turritæ cochleæ moles loquetur, quæ alteri contrà, quam Illuſtriſſimus Bambergenſis Eccleſiæ Præſul Ioannes Godefridus erexit, reſpondẽs, pulchrè fabricæ vniuerſæ faciem ornat & includit. Et veteris quidem Gymnaſij, quod ab hoc nouo vtilitate & decore longè profectò ſuperatur, facilè obliuiſcimur. at haud perinde memoriam eorum exuere par eſt, quorum liberalitatis, & beneficentiæ fructum adhuc quotidiè in oculis ferimus, & magno cum iuuen-

tutis

tutis, tum poſteritatis bono vſurpamus. Equidem cum Illuſtrium virorum & ſanctorum actis nonnullis in lucem prodendis, nuper grati hominis officium tueri obnixè contendi, tũ in Venantio Fortunato reſtituendo, cũ multis de cauſsis poſitas iam olim curas, nõ tamen, vt humana ſunt, ad perfectum elimatas, retexere cogitaſſem, viſus eſt inprimis is mihi Præs idoneus, quẽ ſeu gratitudinis, ſeu beneficij rectè collocati apud Cels. T. vadimonium obire, & ſiſtere iuberem. Enimuero Autor hic, etſi operâ olim noſtrâ lucem adſpexit, iam tamen vt cultior & vberior in publicum prodit: pluſq́; de memoria veterum & Eccleſiaſtica antiquitate mereri illum ſentiunt eruditi, quam vulgus imperitũ & quidã λεξιθηρεῖς, id eſt verborum aucupes æſtimare ſolet; vtpote, qui multos illuſtres Eccleſiarũ Antiſtites, Reges & Proceres ab obliuione vindicat, multas res abditas, retruſas, ſed cognitione dignas verſibus ſuis illuſtrat, atq; ex vmbraculis obſcuræ cuiuſdã vetuſtatis, in ſolem ac puluerem producit. Cauſſas verò iam, cur Fortunato nomen tuum Illuſtriſs. Princeps præſcribi, & eum ſibi dedicare placuerit, an commemorem? Primum, creſcendi exordia huic ſcriptori illius Eccleſiæ Bibliotheca dedit, quæ Princeps in Treuiris poſt ſummum te proximo magiſtratu Præpoſi-

tum Metropolitanum agnoſcit, colitq́. Spem adoleſcẽdi Hrabanus addit, illius olim ſedis digniſsimus Antiſtes, cuius tu maieſtatem, vt ſorte dignitates auges, ita legationibus pro illa honorificè non ſemel obitis, eam haud minus ornare cœpiſti, quam tuam hanc Spirenſem Cathedram quotidie exornare pergis. Nam, vt taceam hic cenſum & publica vectigalia releuata, œconomiæ prouidam curam impertitam, Cæſario tribunali & Imperio præclaram operam ſæpe nauatam; ille tanquam in corona Lemniſcus.

Frondeſcet ſæclis innumerabilibus,

Quod caſtum, ſobrium & vigilantem Clerum habeas; diſciplinam Eccleſiaſticam non cenſura magis quam exemplo ſancias; quod tuendæ dignitati Epiſcopali, hoc grauiſsimo reip. tempore, magnifico & ſumptuoſo apud primariam Baſilicam condito Palatio, Ciuibus licet à recta fide deuiis, oſtendis, agnoſcere modo velint, qua cura vigilantiaque paſtorali complecti eos cupias, qui, vt tui copiam illis huius non ſolum tam inſignis Palatij foribus, ſed etiam vultu & fronte, quæ eſt animi ianua, benignè facis; ſic eadem opera elaboras, vt nec ſucceſſorum præſentiam & aſsiduitatem ijdem poſsint vnquam deſidera-

ſidera-


ſiderare. Hanc tibi mentem Deus communis omnium Parens vſque conſeruet; & vitam ſoſpitem, Eccleſiam pace & religione florentem, concedat. Sic ego Chriſtum eiuſque Matrem intemeratam Virginem obteſtor; &, vt proſperè tibi eueniant omnia, intimè precor. Treuiris. Anno ſalutis M. DC. XVII. Nonis Aprilis.

Celſit. T. obſeruantiſſimus

CHRISTOPH. BROVVERVS.

APPRO-

APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ RHENANÆ SOCIETATIS IESV.



GO IOANNES COPPERVS COLLEGIORVM Prouinciæ Rhenanæ Societatis IESV Præpositus Prouincialis, pro concessa mihi ab Reuerendo admodũ P. Mutio Vitellesco, eiusdem Societatis Generali Pręposito, potestate, permitto P. Christophoro Brovvero Societ. nostræ presbytero, vt typis vulgandos curet, *Venantij Honorij Clementiani Fortunati Carminum, Epistolarum & Expositionum libros poematis & libris singularibus à se auctos nouaque rursum editione illustratos:* lectos & approbatos ab peritis istarum rerum Societatis nostræ hominibus: *Hrabani item Mauri Fuldensis, Archiepiscopi Magontini poemata sacra nunquam edita, & notis variis illustrata.* In cuius permissionis fidem huic breuiculo mea manu subscripsi, sigillumque appressi. Moguntiæ Nonis Aprilis Anno M. DC. XVII.

LECTO-

LECTORI CANDIDO S. D.

PVLSAVIMVS nuper adamatas olim Musarum fores, quæ, annuente Christo, aperuerunt, non Thymbræo, aut Cinthio, quo Rectore, & Præside, sed Fortunato duce Episcopo; qui multorum præstantium heroum res piè beneque gestas, ne obliuio prorsus eas adimeret, pangendo seruauit; & Sanctorum cœlitum maiestatem non pertimuit, quod de Iuuenco tradit B. Hieronymus, *mittere sub metri leges.* Hic, licet nitidiore cultu in publico apparere debuit, pręstari tamen nulla lege, vel à me, vel ab aliis, id potuit, vt à communi mortalium cōditione eximeretur; essetque quod dicitur, ab omni parte felix, & fortunatus. Quare, cum & doctorum hominum ope, & meliorum librorum accessione, meoque nonnullo studio, ornatiorem eius editionem fieri posse, persuasum esset, lucubratiũculis aliquot hibernis operam hanc tentare placuit, & ostendere iuxta Comicum. *Quod res, ætas, vsus, semper aliquid adportet noui.* Atqui in eo scilicet, inquiunt, bibliothecarum fortunę erant sitę, vt obscurus & semilatinus poëta, emendatior exiret & legeretur. Sic est

Non omnes eadem mirantur, amantq;.

Nec in Atticis gymnasiis, aut in Lyceo versari vulgo, nec vbique de rerum caussis quæstiones oriri contingit. *Multoque pars maior est*, ait ille, *Milesias fabellas* reuoluentium, quam Platonis libros, addo ego, Aristophanis, Plauti, & ceterorum id genus salibus & Erotopægniis sese oblectantium, quam sapientum Ecclesiæ Doctorum seueris Musis, vel eruditis commentariis. Sed vincat tamen illa pars numero, plausu, fauore. Nos paucorum & eruditissimorum hominum iudicio contenti simus, qui Fortunatum, quâ, Christianum Poëtam, quâ Episcopum, & priscæ fidei egregium assertorem experi, legi, ponderari, non solum in fructu, sed etiam in laude ponunt. Valę.

OPERVM INDEX.

CARMINVM, Epiſtolarum, & Expoſitionum Libri XI.

De Vita S. Martini. Libri IV.

De excidio Thuringiæ liber.

Ad Iuſtinum iuniorem Imp. & Sophiam Aug. liber, ex quo Tritthemius duos fecit.

In perſona Rhadegundis ad Artachin, liber.

Ceteri, quos Tritthemius recenſet, exceptis hymnis, operi primario inſperſi, facile ſuis quæque titulis agnoſcuntur.

Ad Rhadegundem, quæ extant libro VIII. & XI. leguntur, nullum tamen in iis, vt Tritthemius ſcribit, verſu hexametro,

Hodoeporicum viæ, non magna comprehenſione verſuum ad calcem libri XI. De itinere ſuo, Agnæ Abbatiſſæ, & Rhadegundi inſcribitur.

LIBRI

LIBRI SVBSIDIARII QVIBVS IN RESTITVENDO FORTVNATO PRIVS VSI FVIMVS.

MS. insignis Treuirensis, Ecclesiæ primariæ.
MS. fragmentum. ex eadem.
MS. fragmentum Cusanum.
MS. probæ notæ, ex Abbatia S. Galli.
MS. Abbatiæ Sigebergensis.

Editi sed mutilè.

Calaritanus.
Venetus.
Parisiensis in Bibliotheca PP.
G.F. in Poetis sacris.

His nunc accesserunt munere BERNARDI WALTERI Typog. Agripp.

*Liber MS. vetus, & raræ notæ Friderici * Tiliobrogæ.* *Lindebroch.
Liber MS. Theodori Pulmanni Craneburgij, quem ipse anno Domini M. D. LXX. recens descriptum, cum antiquis libris diligenter contulit, & varias lectiones ad oram marginum expreßit.
Manuscriptorum vero, quibus Pulmannus usus est,



VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI VITA.

CAPVT I.

Nomen, genus & patria.



AGNA quondam in Romana ac Itala gente nominum fuit ambitio; vt quæ ſimplice haud contenta, quo vel naturæ proprietas vel imitatio ducebat, alterum ac tertium, nec raro quartum etiam adſciſceret. Et fuit tempus, cum id ita quidem eos facere, aut exemplum, aut ratio, inuitabat. Nam antiquitus vnum Romanis fuiſſe nomen, vt & cæteris pleriſque mortalium Appianus eſt teſtis. Cauſas mutandi varias afferunt Varro, Iulius Paris apud Valerium, Priſcianus; quique horum veſtigia preſsêre Emmanuel Aluarus & Carolus Sigonius. Traxiſſe etiam exemplum à Sabinis & Albanis, meminêre Iulius, & Cl. Arruntius. Cæterùm Romana ſtante republica, ſi plura aſſumerent, eorum quod primo loco, prænomen vocabant; quod inde; id nomen erat ac propria nota gentis aut familiæ: hinc cognomen ſubijciebant: & interdum quarto etiam loco agnomen. Aduertit id Plutarchus in Mario, quem ſequuti Soſipater, Donatus, Diomedes, Grammatici. Erudité & eleganter Iac. Sirmondus S. I. Præfatione in Notis ad Sidonium de proprijs no-

 minibus

minibus mediæ ætatis, quo loco poni, & vnde ſumi ſolita, diſputat: Idque multis exemplis efficere contendit, vt vbi vetus conſuetudo deflectere cœpit, plerumque etiam ſub ipſis Imperatoribus obtinuiſſe, vt inferioris æui homines id proprium nomen haberent, & verum, quod vltimo loco ponerent. Quo modo, qui Palladius rei ruſticæ ſcriptor hoc tanquam proprio nomine celebratur, eum verius docet appellari Æmilianum; vt Iſidorus illum XVII. Originum nuncupauit. Et quem Macrobium vulgò dicimus, Theodoſium appellandum eſſe. Ita C. Gollinum Apollinarem proprio nomine ſalutamus Sidonium; & Venantium Honorium Clementianum verius exprimimus Fortunatum.

Nominũ propriorum vſus in mediâ ætate.

Sed fallat forte an, qui iſtam hanc tam ſubtilem in hac memoria rationem ſequatur. Fortunati ſanè nomen antiquus vſus, vice proprij contriuit. Nec abſque cauſſa tamen, aut de nihilo, vt reor equidem, viro explorata ceteroqui modeſtia, & minimè ambitioſo, nominum ea multitudo ſumpta. Cum itaque de ortu ac genere ipſius, niſi quod ex Paulo diacono & libris hiſce colligitur, nihil admodũ extet priſcis litteris cõpertũ, in prochui ſit ſuſpicari, vel habuiſſe horum nominum gentem, aut certè vſurpaſſe eas ob cauſſas quas in procœmio ſuę hiſtorię promit Appianus: nẽpè εἰς ἐπίγνωσιν ἐκ πάθους ἢ ἀρετῆς, i. affectus, cauſſa vel recordatione virtutis. Valde quidẽ animus huc me ducit, vt ita de Venãtij pręnomine ſentiam. Venantij porrò nomen tulêre complures, & illuſtres, hac & ſuperiore ætate, vtriuſque ordinis. Nam conſularibus faſtis inſerti duo: quorum alter cum Theodorico rege Gothorum, alter ſub Anaſtaſio Imp. conſulatum geſſit. Vt vero huius nominis Martyres, & Epiſcopos, taceam fuiſſe plurimos: ex omnib. in Gallia huius ſanctitas magni fuit, cui XIII. Octob. in Eccleſia honos ſemper eſt habitus. Momenta quædam in hoc ſunt, quib. perſuadeare, illius vt obſeruãtia Fortunatum id nomen aſſumpſiſſe, credas. Vixit n. magna ſanctimonię fama apud Turones Venantius Bituricenſis; qui captus admiratione virtutum, quæ à S. Martino per id quoque tempus colebantur, monaſterium baſilicæ Martinianæ propinquum inijt: vt Greg. Tur. li. de vita PP.

c. XVI. &

c. xvi. & Francorum hist. li. x. c. xxxi. de gloria Confess. c. xv. xvi. memoriæ tradidit. Fortunatum verò desiderium cultus adhibendi S. Martino, opisque impetrandæ, vt Italiam relinqueret, vel maximè pellexit; flexit etiam præsertim in Turones, vt Venantio Abbati iungi, & morum similitudine, & consuetudine vitæ ei sociatus, nomine item æquiparari vellet. Igitur illud coniecturæ nostræ sit, quod in ea potissimum vrbe versatus est, eamque Galliarum in partem profectus, in qua ob pietatis ac religionis præstantiam viris mirabiliter emineret, iccirco vt virtutes, ita & nomen Venantij, fuisse æmulatum. At Fortunati vocabulum, ab Aquilegiensis Ecclesiæ martyre Fortunato sumpsisse, duab. ex rebus conficere videor: tum quod Diuum illum magno in pretio habuisse cernitur: tum quod Aquileiæ Christianis primum sacris á Paulo illius Ecclesiæ Episcopo siue patriarcha videatur imbutus. Hinc libro iv. vitæ S. Martini libellum sic suum affatur.

Aut Aquileiensem si forte accesseris vrbem,
Cantianos domini nimium venereris amicos,
Ac Fortunati benedicti martyris vrnam.
Pontificemq; pium Paulum, cupienter adora:
Qui me primæuis conuerti optabat ab annis.

Sic B. Cyprianum à Cæcilio presbytero institutore suo & B. Augustinum ab Aurelio Episcopo prænomina mutuatos perhibent.

Ceterum id forte magis argumento, habuisse Fortunatum & antiquitatem generis, & gloriam auiti sanguinis, quod de se ipse testatur.

Per Cenetam gradiens, & amicos Duplauenenses,
Quà natale solum est mihi, sanguine, sede parentum.
Prolis origo patrum, frater, soror, ordo nepotum.
Quos colo corde, fide, breuiter, peto, redde salutem.

Et libro septimo poëmatum ad Lupum ducem.

Quod pater, ac genitrix, frater, soror, ordo nepotum,
Quod poterat regio, soluis amore pio.

Quæ hominis profectò oratio est, modestia licet propria commendati, de genere tamen suo magnifice, vti par, & sentientis & loquentis. De Honorij vero & Clementiani appellatione nil aliud habeo quidem in præsens suspicari, quam instar esse gentilitiæ. quamquam si accuratius inquiro, facile verendum mihi intelligo, ne religiosius quam pro illius sæculi consuetudine, obseruasse, aut nullus etiam in peruestigando fuisse videar; quandoquidem in illa orbis Romani conuersione, gentium ac familiarum per Gothorum arma variè confusis imaginibus, ipsa adeò quanta fuerunt Romanorum Coss. & Patriciorum stemmata ætatem haud tulêre, nedum priuatorum & municipalium; quæ profectò mansêre perquam obscura. Sororem nihilominus ipse suam ab obliuione vindicauit: nam lib. XI. vbi castissimam amicitiam, quæ cum Agne Pictauiensis Parthenonis antistita ei erat, exponere voluit, ita canit:

Te mihi non alijs oculis animoq; fuisse,
Quam soror ex vtero tu Titiana fores.

Patriam Fortunato Italiam contigisse transpadanam, tam est testatum, quam ei natale solum fuisse proxime Cenetam & Taruisium, eo puta loco, qui Duplauenis à Paulo in Longobar. historia lib. II. c. XIII. dicitur: siue castello id, siue vico nomen facias, vnde originem maiores eius sumpsêre. Quippe huius generis aliquid insinuare videtur, cum incolas vocat, amicos Duplauenenses. Taruisium vero, & Ceneta, ditionis Venetæ in Marchia Taruisina oppida sunt; quorum in regione Italiæ XVII. Albertus Leander illustrem ac eruditam situs imaginem depingit. Abest autem Ceneta Seraualle in alpino emporio non ignobili Teutonum, mille passus, inter valles proficiscentibus. Euersamque Gothicis temporibus, fama est. At Duplauenis, siue vici, siue castri literis veterum memoria excidit: adeoque nomen propediem suum amittet, si in præstantium hominum monumentis Duplabilis deinceps perperam quoque legendum erit.

CAPVT

CAPVT II.

Educatio, studia, peregrinatio.

RAVENNÆ nutritus & doctus in arte grammatica siue Rhetorica siue etiam metrica clarissimus extitit: verba Pauli diaconi sunt lib. II. c. XIII. Rauennæ nobilis vrbis amplitudinem post inclinatum Rom. imperium, cum Theodoricus Gothorum rex, Oduacro, Herulisque subactis, adamasset, regia ibi collocata, Valentiniani III. & Gallæ Placidię munificentię non concedens, magnificis eam remp. operibus ac belli pacisque institutis ornare cœpit, vt Cassiod. lib. I. variar. ep. VI. & in chronico, meminit. Eandem Theodorici erga homines liberalium artium ac doctrinarum studiosos extitisse voluntatem, tum Cassiodorus ipse, tum alij præstantes ingenio viri, documento sint, qui vel è Rauennatum scholis prodierũt, vel aliunde amplissimis industriæ præmijs euocati, maxima cum laude circa Theodoricum versati sunt. In hoc tum fuit numero Arator Poeta, autore Hieronymo Rubeo Rauenn. histor. lib. III. eloquentiæ laudibus & litterarum peritia comitiuam domesticorum, vt testatur Cassiodorus Lib. VIII. epist. XII promeritus: etsi sæculi honores obsequio Christi tandem is posthabuit; cum subdiaconus Ecclesiæ Romanæ, sacros pangendo versus, religioni magis & pietati, quam profanæ poeticæ coloribus & figmentis indulsit. Atque ex huius equidem disciplina & schola apud Rauennates tum efflorescente, prodijsse poetam hunc nostrum, arbitror: cuius quæ de Aratore, & quam præclara opinio extiterit, hisce versibus suis non celauit. lib. I. vitæ S. Martini.

Sortis apostolicæ quæ gesta vocantur & actus.
Facundo eloquio vates sulcauit Arator.

Aliunde quoque satis operam dedit, vt constaret, Rauennę plurimos hac ætate vixisse poetices & eloquentię ornamentis probè excultos. Lib. IV. vitæ S. Martini ad libellum.

——————— *precor inde require Sodales,*
Si sociis loqueris, veniam pietate mereris:
Porrigo materiam quibus hanc ego, vt ore rotundo,
Martini gestis florentia carmina pangant.

Litteris interea Fortunatus leuiter ita tinctus est, vt naturæ potius & ingenij, quam doctrinæ præsidijs, niti videatur. Quare factum est etiam, vt neque togam prætextam publicè gesti muneris insigne, vnquam adeptus sit, neque penulam docendi causa sumpserit, sed exclusus ancipiti dubioque semper Italiæ imperio vitam fermè vel sacris in presbyterij functionibus, aut peregrinatione consumpserit. Grammaticæ tamen & Rhetoricæ præcepta delibauit. Et iuris quoque priùs scientiam quam ex Italia discederet, attigit. Quæ non aliunde faciliùs, quam ipso autore discimus.

Ast ego sensus inops Italæ quota portio linguæ!
Fece grauis, sermone leuis, ratione pigrescens.
Mente hebes, arte carens, vsu rudis, ore nec expers.
Paruula grammaticæ lambens refluamina guttæ,
Rhetoricæ exiguum prælibans gurgitis haustum,
Cote ex iuridica cui vix rubigo recessit:
Quæ prius addidici dedìscens: & cui tantum
Artibus ex illis odor est in naribus istis.
Non prætexta mihi rutilat toga, penula nulla,
Iam mea nuda fames superest de paupere lingua.

Qui quidem versus libro primo vitæ S. Martini leguntur. Philosophię & Theologicarum rerum quam non peritissimus extiterit, ipse ne dissimulauit quidem. Laudârat Fortunatum B. Martinus Galliciæ Præsul & Apostolus, quod post Stoicam, Peripateticamque censuram, Theologiæ ac Theoriæ se tirocinio rursum in Gallijs nuncupasset; cui in epistola, quam nos ad librum v. nouam damus, agnoscere se respondit, quid amor faciat: *cum & immerentes exornet.* Additque, Platonem, Aristotelem, Chrysippum, aut Pittacum vix fama & opinione sibi esse notos; Hilarium vero, Gregorium, Ambrosium, & Augustinum se ne legisse quidem; vt frustra nimirum ij sint, qui illum etiam ex poëta geometram facere

conten

contendunt, quando pro arte metrica, quod apud Paulum legebatur, accepêre geometricam, procliui in mendum lectione: quin & perspicuo argumento, interesse haud sane parũ, veteres, cuicuimodi scriptores, emendate legi. Sed nihilo cõstat secius, Fortunatum, postquam in Gallijs aliquod otium, Francorũ regum ac procerum benignitate, nactus est, id magno, & alacri animo, diuinarũ rerũ cognitioni, ac sapientiæ studijs, tribuisse; harumq; artiũ magistris, ceu vsque ab elemẽtis inciperet, se dedisse de nouo recoquẽdũ. Loquitur hoc de se ipse, li. III. epigrã. XXII quod Agricolæ iuniori condiscipulo olim suo, & post Cabillonensi Episcopo, inscripsit.

Cum mea terra manu meruit genitoris arari
Reddatur nati vomere culta sui. Et
——————— *bonus ore magister*
Dilexit, coluit, rexit, honesta dedit.
Ille pio studio sulcata noualia seuit,
Quod pater effudit, hoc mihi semen ale.

Et quia Galliarum iam memini, quemadmodũ ex Italia discesserit, petieritque Gallias, narratione exponendum est. Duas equidem caussas eius demigrationis illum habuisse censeo: religionem & patriæ calamitosæ motus; queis ceu mare ventis, sic Gothorum alternis, Græcorumque armis, assiduè tum Italia, miserèque, iactabatur. Etenim Gothorum in Italia diutius imperium non stetit, quam Iustiniani virtute, ac Narseris manu, deuicti pulsiq; vrbibus, passim cessêre; resque ad Exarchos cum imperio delata est; qui sedem apud Rauennates habuêre; vt Agathias & Procopius memoriæ produnt. Haud ergo defuit Fortunato caussa Rauennã deserendi; quippe parum quietã vrbem, & minimè tutam, ob imperij, pro quo tum dimicabatur, amplitudinem. Taruisium verò patria, haud meliore fuit conditione; vt quã à Gothis oppressam, ferunt domicilium olim, sedemq; parentis Totilæ fuisse; inibiq; Totilam in lucem editum educatumque. postea opportunam quoque factam iniurijs Longobardorum, satis constat ex Paulo diacono, cum ea itidem regio Italiæ ab Alboino rege appetita, & barbaricis incursionibus diuexata sit, hoc eiusdem sæculi anno Christi quingẽtesimo. Et Fortunatum aliquammultis obseruo locis, de suo ex Italia discessu

ſceſſu ſic loqui, ceu dimotus eſſet & extruſus, nec ita ſponte ad exteros conceſſiſſet. Nam lib. VI. poëm. X. ait.

Triſtius erro nimis patriis vagus exſul ab oris,
Quam ſit Apollonius naufragus hoſpes aquis

Septimo quoque libro ad Lupum ducem ſcribens, idem deplorat.

Exſul ab Italia nono puto voluor in anno
Littoris Oceani contiguante ſolo.
Tempora tot fugiunt, & adhuc per ſcripta parentum
Nullus ab excluſis me recreauit apex.

Sed manifeſtior in eo religionis profeſſio eſt, qūa relicto natali ſolo, D. Martini amore, ſtudioque permotus, contendit in Galliam. Nam Rauennæ cum viueret, grauiterque ex oculis doleret, baſilicam SS. Martyrum Pauli atque Ioannis forte opis petendæ, inijt: atque iſtic, cum pictam alibi cerneret in pariete D. Martini effigiem, ſuſpenſumque iuxta honoris cauſa lychnum, ſubijt remedij ſalutaris ergo tentare oleum ignis fomitem, eoque ceu collyrio quodam cœleſti, imbecilles inungere oculos. Fiduciam mox patroni beneficentia comitatur. namque

Vt tetigi, inquit ipſe, *benedicto lumen oliuo,*
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit,
Et præſens medicos blando fugat vnguine morbos.

Aderat ibi Fortunato tum Felix Taruiſinus, qui poſtea magni nominis iſtic Epiſcopus floruit. Is cum perinde oculis malè ſanis dolore cruciaretur, olei eiuſdem liquore orbibus inſperſo, ſanitatem, quam optabat, ſancti Martini ope, mirabiliter item adeptus eſt. Hoc ergo maiore Fortunatus accendi deſiderio cepit B. Martinum in ſedibus ijs Galliarum viſendi colendique, quo res geſta iam teſtatior, & genere ipſo facti illuſtrior euaſerat. Et meminit ipſe beneficij hiſce verſibus.

Quà mea Taruiſus reſidet, ſi molliter intras
Illuſtrem ſocium Felicem quæſo require
Cui mecum lumen Martinus reddidit olim.

Atque hic Felix ille Taruiſi pontifex eſt, quem Alboino Longobardorum regi infeſtis armis in Italiam aduentanti ſupplicem

ad Ita-

ad fluuium Plauem occurrisse, Paulus lib. II. c. IX. testatur: barbarique regis Christiana mansuetudine sic mitigasse pectus, vt pacem ab eo, & sacri patrimonij incolumitatem impetraret. * alij XII.

CAPVT III.

Aduentus eius & commoratio in Germania ac Gallia.

QVÆ causæ Fortunatum vt Italiam desereret impulerint, aperui: deinceps quando excesserit, & quibus vixerit locis, ostendam. Patriam paulo ante reliquisse, quam Longobardi Italiam inuaderent, Paulus, quem sæpe hic iam laudo, mihi testis est. Longobardorum autem arma primum in Italiam Christi Anno DLXVII. vel DLXVIII. Alboini auspicijs illata. Quare non absque ratione, Fortunati aduentum in annum Christi circiter DLXV. contulero equidem. Venisse etenim sub initiũ regni Sigeberti, aut etiam sub finem regnare desinentis patris Clotharij, haud pauca argumenta suppetunt. Primum omnium, Sigoaldus gratę memoriæ amicus Fortunato in Austrasiæ regno contigit, qui á Sigeberto quâcunque ducere peregrinum, & commeatus expedire, & præbere cuncta munifice iussus. Ad hunc lib. X. cum iam comitis honorem ac locum, Childeberti regis beneficio, qui Sigeberto patri tum successerat, obtinuisset, Fortunatus sic scripsit:

Finibus Italiæ cum primum ad regna venirem,
Te mihi constituit rex Sigebertus opem.
Tutior vt graderer tecum comitando viator,
Atque pararetur hinc equus, inde cibus.

Ac satis quidem hi versus diserte loquuntur, primum principemque Sigebertum fuisse, qui ex Italia terra venientem exceperit: idque factum ab eo exordio regni ex illo discimus, quod Sigeberto & Brunichildi Athanagildi filiæ ex Hispanijs adductæ, epithalamium lib. VI. cecinit, & eisdem præcepta quoque regnandi dedit: laudârit etiam regem quod templum à Chlotario patre S.

 Medar-

Medardo, paulo ante mortem extrui cœptum, ipse fastigio tolleret, ac consummaret. nam lib. II. ait

En tua templa colit nimio Sigebertus amore,
Insistens operi promptus amore tui.

Ad hæc, Nicetium quoque Treuericæ sedis rara vitæ sanctimonia pręnobilem antistitem, Fortunatus inter primos in Mediomatricum regno coluit, & amicitia sibi iunxit. hunc vero Sigebertus, mox atq; patrem abijsse è vita cõperit, ab exsilio reuocatũ, honori pristino & loco restituerat. Memorat etiam ipse Fortunatus in elegia, qua Gelesuintæ maiori natu Athanagildi filiæ parentauit, se tum iam nuper aduenam spectasse spõsam Gelesuintam apud Pictauos cũ Chilperico regi nuptu collocaretur. Id verò Gregorius Turon. li. IV. c. XXVIII. Sigeberti exemplo, & eodem ferme tempore actum, clarè testatur. Carmina Fortunati sunt ex lib. VII.

Hanc ego nempe nouus conspexi prætereuntem
Molliter argenti turre rotante vehi.

Quibus autem itineribus ad Sigebertũ venerit, vel iccirco memorauero, quod videam orationem, qua id Fortunatus exposuit, partim ab alijs emendationis desperatione, abiectam, partim etiã saltu, ceu salebrosa loca solent, præteritam. Iter ergo fecit, vt ipsius verbis loquar *De Rauenna progrediens, Padum, Athesin Brintam, Plauem Liquentiam Tiliamentumque tranans: per Alpem Iuliam pendulus montanis anfractibus, Drauum Norico: Oeneum Breonis: Lycum Boiaria: Danubium Alemania: Rhenum Germania transiens.* His vero in locis præstantium hominum autoritate & magistratibus in regno Sigeberti clarorum amicitijs semet applicans, haud vulgarem & gratiam, & fauorem, horum vtique commendatione mox apud regem meruit. Enimuero cum Lupo & Gogone ducibus Austrasiæ, quos in opera reip. tũ nemo, pauci claritudine fastigij & nobilitate anteibãt, familiariter vixit: Magnulphũ Lupi fratrẽ in se quoq; beneuolentissimũ expertus. Hinc ad Lupũ ipse, lib. VII. poëm. VIII.

Cum peregrina meos tenuit Germania visus,
Tu pater, & patria consulturus eras.

Alibi quoque Sigismundi & Aregiseli fratrum, quorum apud Rhenum beneficia senserat, memoriam conseruauit.

Post Itala

Post Italas terras, mittis mihi, Rhene, parentes;
Aduentu fratrum, non peregrinus ero.

Iouinum autem, qui deinde Prouinciam Galliæ regionem cum imperio tenuit, amicorum haud postremum etiam in Germania coluit. Iam vero, quid memorem tot sanctitate & virtutis doctrinęque pręstantia excellentes Episcopos Belgicæ Germanięque, qui aditum ei ad familiaritatẽ vltro patefecerunt, hominisq; ingenio & integritate vitæ delectati, ornare eum studijs, officijs ambire, & ad poëticæ facultatem explicandam, quocunque excitare modo non destiterunt? Clara tam hæc omnia sunt omnibus ferme librorum paginis, vt lucem alienam cum merito respuant, exemplis á me illustrari non debeant. Commoratum eum apud Rhenũ & Musellam vicinisque locis, tum rerum ac topothesię notitia, quã ibi quæsijsse constat, tum ipsius quoque carminum monumenta passim ostendunt. Ad Dynamium Massiliensem Rectorem id vero longe omnium disertissimè versibus expressit. lib. vi. poëm xi.

Massilia tibi regna placent, Germania nobis;
Vulsus ab aspectu, pectore vinctus ades.

Mora tamen hęc diuturna non fuit: siquidem Sigeberti iussu aut commendatione in B. Radegundis Turingorum è gente reginæ & Chlotarij quõdam coniugis venisse notitiam, facilis est ad conijciendum via. Turones namque profectus ad D. Martini colendũ sepulchrum, cum se Gregorio vrbis Episcopo mirificè probasset, multosq; versus eius rogatu vario argumento fecisset, Rhadegundis denique factum est desiderio atque precibus, vt eius in familiam adscribi vellet, seque dicare pientissimę reginæ obsequijs. Vnde lib. viii. exordio ipse de se scripsit

Martinum cupiens, voto Radegundis adhæsi,
Quam genuit cælo terra Turinga sacro.

Sedem itaque deinceps & domicilium in Aquitania fixit, Ecclesiæque Pictauiensi aggregatus, breui tempore istic commendatione ingenij ac virtutis honorem meruit presbyteratus. Actæ apud Pictauos vitæ testimonium hoc promit ipse lib. viii.

Fortunatus ego hinc humili prece, voce, saluto.
Italia genitum Gallica rura tenent.

 Pictauis

Pictauis residens, qua sanctus Hilarius olim
Natus in vrbe fuit, notus in orbe pater.

At Radegundis interea negotijs sæpe interpellatus est: hæc enim regina, cum mortalibus rebus valere iussis, propter suam gratiam & regum affinium potentiam nullius muneris & conditionis non haberet potestatem, haud raro Fortunatum nunc ad Francorũ reges, modo ad Episcopos sanctos, quoquo versum ab se dimittebat: atque in eius sapientia & consilio plurimum sancta fœmina acquiescebat. Id scilicet præ se non obscurè fert in epistola sua ad Gregorium Turonensem: cum post Musellam, Mosam, Axonam, Sequanam, ait, se maxima transmisisse Aquitaniæ fluenta, Pyrenęis Iulio mense niuosis, appropinquantem. Atque hisce peregrinationibus quâcunque susceptis, in amicitiam peruênit plurimorum Gallię pontificum, cum iam ante regum quoq; gratiam & familiaritatem esset consecutus, nulla alia re quàm probitate vitæ, & elegantia ingenij: qua plerosque ceperat Episcopos, studio virtutum pari, dignitate inferiore. Ex quo accidit, vt Germano Parisiensi celeberrimæ sanctitatis antistiti longe omnium inter primos extiterit carus. Ostendit id in poëmate. *Dei itinere suo cum ad Germanum ei proficiscendum erat, & à Rhadegunde teneretur.*

Me vocat inde pater radians Germanus in orbe,
Hinc retinet mater, me vocat inde pater.
Dulcis vterque mihi, voto amplectente, cohasit.
Plenus amore Dei, dulcis vterque mihi.

Eodem ferme modo Felix Nannetum Episcopus magna opum & potentiæ fama vitæque ornamentis, in Armoricis ei patronus contigit. Vixit autem Fortunatus in Britanniæ minòris ea regione, quę Oceani litoribus vicina, nouem propè annis, incertum, quibus vitæ institutis: religione tentus, an lucubratione poëmatum, aut monumentis sanctorum hominum ad posterorum memoriam consecrandis. Habitationis maritimæ explorata apud eum indicia. lib. III. ad Druconem diaconum.

Nos maris Oceani tumidum circumfluit æquor,
Te quoque Parisius chare sodalis habet.

Sequana

Sequana te retinet, nos vnda Britannica cingit;
Diuisos terris alligat vnus amor.

In epiſtola quoq; ad Felicem Nannetum data, oſcitare ſe propè finitima pelagi iocatur: & Rhadegundem reginam ibi vna, in inſula quapiam, ſolitudinis & pietatis amore, vixiſſe cum ſuis, ea Felicis verba teſtimonio ſint, quibus Fortunatum dixerat, *muro caritatis ipſius reginæ incluſum.* Inſulam diſertè libro primo poſuit, cum ex ea Placidinæ, matri, an olim coniugi, Leontij Burdegalenſis Epiſcopi, munera miſit. Et aſceticam eius generis factitaſſe Aquitaniæ optimos quoſque, in Palladio Sanctonum Epiſcopo obſeruauit Gregorius hiſtoriæ li. VIII. c. XLIII. vbi ei ſolemnem, ait, orandi cauſſa, ſeceſſum fuiſſe, in aliqua maris inſula.

CAPVT IV.

Ingenij & animi dotes.

QVÆ doctrinarum & artium fundamenta iecerit Fortunatus, oſtendimus antea. Succeſſit ea laboris inde cōtentio, vt acerrimis eum diuinarum rerum ſtudijs, præteritæ ætatis iacturam obruiſſe, nō modò compenſaſſe diceres. Minimū vero tribuiſſe Poëticæ apparet, cuius quam ab vſque adoleſcentia facultatem conſecutus erat, hanc variè pro eblandientium voluntate, exprompſit. Scripſit amicorum rogatu poëmata quamplurima: eaque ſine cura & meditatione, pleraque etiam ex tempore, quod aiunt. Vnde ingenij magnitudinem æſtimare cuiuis licet. Nam in illius tametſi poëmatis nec multa quidem optimè, nec omnia præclarè, pauca etiam tersè & fucatè ſcripta reperiantur, ita tamen alicubi floridus & venuſtus eſt, vt veterum ingenijs, præſertim in topographicis concedere parum multos eorum quoq; ſuperare videatur. In illo enim genere, meo quidem ſenſu, ἀνθηογραφῆ, & rerum locorumq; picturam ſuo quodam flore & genio poëtico adumbrat, natura hic vtique pluſquam arte conſecutus. Quod genus poëtarum Plato philoſophus ita probat, vt arte vna qui ſe poëtarum nomen

 tueri

tueri posse considerent, eos diceret nihil vnquam egregium ac laude dignum effecturos. Itaque non immeritò Pindarus Bacchylidi & Simonidi suis ęmulis hac antestare se gloriabatur, quod ad poëticæ laudem ipsa eum natura duxisset, illi verò quicquid tandem eius laudis haberent, à magistris adepti essent; in quo certè posuit tantum, vt ea maximè caussa se aquilæ, illos coruorum similes esse pronunciaret, vt elegantissimus Muretus li. VIII. variarum c. I. obseruauit. Quod autem in hoc poëta nostro vitiosa, & vituperatione digna notent multa censeantque delicati huius æui critici, id eiusmodi est, vt siue obtrectantium animos, siue leuitatem consideres reprehensionis, haud paulo minùs qui reprehendunt, quam qui reprehenditur, vacare culpa facile intelligas. Quid enim mirum homines comptæ & calamistratæ veneres orationis omni studio consectantes, à Plauto, Tibullo, Propertio, discere, & ex Nasonis amoribus supellectilem adornare, atque adeò myrothecia sua ex Apulei asini phaleris, vel Petronij fornice instruere malle, quam de Christianis poëtis, aut ecclesiasticis, quamlibet grauibus, scriptoribus, vel ea quæ nesciunt cognoscere, vel quæ malè sciunt, dediscere? Amant enim & hic similes labra lactucas: & eorum plurimi quantum à Catholicæ pietatis & solidæ doctrinæ studijs desciscunt, tantum id genus scriptorum & poëtarum lenocinijs indulgent, quorum vsu tandem omnes in se sentiunt ingenui pudoris & honestatis igniculos obrui & exstingui. Quam scabiem in Christianorum hominum sensu nostro sæculo adhuc penitùs implicari, sanè dedecus est minimè ferendum. Nam quod rudium, & minus elegantium, resuscitanda lectione, perire sibi, clamitant, elocutionis priscæ nitorem, & illud suum litterarium lumen, his solœcismorum quasi obfuscari maculis: est ea quidem oratio, fateor, hominum omnem doctrinæ fructum, papauere ac sesamo verborum æstimantium, nec scopum alium sibi studiorum metamque proponentium, quã vnam dictionis Latinæ puritatem. At vero, qui pulcherrimarum rerum scientiam aucupantur, & præteritæ memoriæ fructum vndique delibant, hos ecquis tam præcipiti & inuida mente sit, vt prohibe-

prohibeat, quone vel ſacris hiſce fontibus ſitim quandam explere ſuam,& velut ſuperiorum ſæculorum abſtergere ſenectam, & æui rubiginem, queant? Vt enim Baianæ aquæ & acidulæ non minus iccirco in vſu & expetendæ ſunt, quia turbidiore lacu, & offenſantibus lapillis, & ferruginea fece, diffluunt, ſic Chriſtianorum item poëtarum monumenta non minus propterea ſalis habent & vtilitatis, quia plus in iis ſalebrarum inuenitur & neglecti cultus. Quin ſæpe adeo, vt illi turbidi fontes ſalutarium aquarum, à corporibus morbos, ſic longe grauiores arcent, ſalubres hi, tametſi inuenuſti poëtæ, ab animis malè ſanis, vitiorum ægritudines. Iam vero quæ iuſta tandem reprehendendi ijs cauſſa ſuppetat, qui quod ſæculi & ætatis ſapientem excuſationem habet, in hominibus non rectè culpant? Vt taceam haud pauca fuiſſe à Chriſtianis poëtis peccata non ignoratione, ſed voluntate. Quod ſi profani muſarum antiſtites intra ſpem *veniæ ſtetere* tuti, quod cum reipſa delinquerent, ſtulta tamen opinione cenſerentur arte potius peccare quam inſcitia, quid ni veniam mereantur magni Deoq; cari viri, qui quo melius intelligerentur ab omnibus, conſuetudini magis quam arti, iuſtis de cauſ*ſis*, parentes, Deo placere, quam peccare maluerunt? Nec ſanè metuendum vnquam fuit, ne Fortunatus claſſiarijs illis excluſis, ſua pro veteribus, χάλκον ἀντὶ χρυσοῦ æs pro auro videlicet ſubijcere, & in poſterorum animis, nimium quam conualeſcere vellet: ſiquidem ab omni prorſus editione, & oſtentatione *ingenij* tantum abhorruit, hos etiam vti carminum libros exire nunquam paſſus eſſet, ni cautio ambitus data fuiſſet. Quanta enim Gregorius Turonum Epiſcopus perſuadendi vi apud ipſum effecerit, vt vel priuatim ab amicis legi vellet, hac oratione expoſuit, qua acrius ſe retinentem *ſub teſtificatione diuini myſterij & ſplendore virtutum beatiſſimi Martini* conpulſum iuratumque addicere opus, profeſſus eſt. Quæ ſanè viri tam rara modeſtia, & abſtinentia laudis, inſignem meritò habet commendationem Chriſtianæ humilitatis. Illudque ingenui candoris non exiguum eſt argumentum, quod pleraque ſe poëmata inter peregrinandum libris & cenſura deſtitutum, muſa gelida an

da anebria, fessum interdum de via & medios inter barbaros crapula & comessatione diffluentes, effudisse magis quam elaborasse fatetur: omninoque defuisse secessum & otium, condimenta versuum. Qua de causa disertè item ad Gregorium se mirari scribit, nugarum suarum eum amore seduci: tantum profectò illud animosi poëtæ dictum ab eius sensibus aberat.

Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo.

Verùm vt vmbra, sic gloria comes interea sequitur fugientem: nam vt nunquam id Fortunato in mentem venerit, Ecclesiæ tamen publicus vsus ob suauitatem & intimæ religionis gustum, quem in hoc Poëta experiebatur, certè libenter fecit, vt hymnos eius ad grauissimas etiam ceremonias assumeret, ijsque tum piorum animos iucundè afficeret, tum Christo laudes gratesque diceret. Rarius autem ad meditandum versus accessisse, vel illud indicio sit, quod Sapphicos efflagitanti Gregorio scribit, carminum studia multis ab annis se posuisse.

Postq. bis denos loquor istud annos
Clara quod scripsit citharam tenendo
Lesbia virgo.

Quod ergo vigentis fuit æui, id diuinarum rerum studijs, erudiendis nobilium puellarum animis, plebi quoque Pictauiensi instituendæ dedisse, vix habeo ambiguum. Sed sanctorum quoque virorum in Gallia passim, hac & antegressa ætate florentium vitæ commentarijs scriptitandis haud parum operæ tribuit. Est etiam vnde interpreter B. Radegundis & cæterarum virginum instituto, excoluisse monasticen, & fortean D. Cæsarij Arelatensis regulam secutum. Opus enim alibi se fecisse veterum anachoretarum more, & texendi fiscellas calluisse artem, lib. XI. prodit, cum specimen operis ad ipsam Rhadegundem transmisit, cuius etiam ipse in B. Cæsarij leges eximium studium non siluit, lib. VIII. poëm. IV.

Concipiente fide Christi Rhadegundes amore,
Cæsarij lambit, regula quicquid habet.

Cuius

Cuius Pontificis refluentia pectora melle
Colligit, & riuos insatiata bibit.

In tanta vero morum similitudine, & contubernio ferme virginum perpetuo, & reginæ obseruantia, Fortunati animum à B. Rhadegundis sensu parum discrepasse, intellectu difficile non est; cum ipse præsertim reginæ vitam & acta, plurimum consilio sapientiaque sua moderaretur. Iam pudicitiæ & castitatis etiam suæ tot Fortunatus habet testes, quot de virginitatis laudibus extant ab eo versus egregiè conscripti. Cum autem cælites omnes omnium ordinum eximia veneratione & honore prosecutus est, tum B. Martinum illud Galliæ & Pannoniæ lumen insignitè coluit, effusior passim, vbi res ferret, in huius sancti laudes. Frequens itaq; Turones adijt, & ipsius sancti limen orandi causa triuit; magnaque ei D. Martini potissimum nomine, cum Gregorio Turonensi amicitia vitæque societas intercessit. Diuorum verò hominum laudes eò cumulauit & cecinit impensius, quod duceret esse pietatis opus, consecrare monumentis egregia Sanctorum facinora, & ad eorum imitationem accendere posteros. lib. II. poëm. VIII.

Nam pietatis opus victores texere libris
Admonet ingenium, res ratione duplex.
Vna quod est habilis, de magnis magna fateri,
Nam bona qui reticet, criminis autor erit.
Altera causa monet: quoniam succensus amore,
Et meliora cupit, qui sua facta legit.

CAPVT V.

Opuscula & libri ab eo scripti.

ATQVE hoc quidem consilio ad scribendum Fortunatus animum appulit. At verò opera & monumenta, quæ reliquit, capitulatim digerere, & admetiri non librorum serie, sed numero, id longè verò factu difficillimum in illa quinti sæculi nocte, vna mecum facilè quiuis æstimet, quisquis in historia veteri vel mediocriter æstimat. Nam qui in illis Trittenhemij speciosis elenchis &

 indi-

indicibus acquiescunt; næ præconi quantum nimium liberali sæpius auscultant. Meoque iudicio plusculum in hoc genere, quam præstare possit, haud rarò vir bonus sibi credi postulat: id cum alijs equidem argumentis possem, tum ne lõgius abeam vel ex hoc vno hic ostendero, quod pleraque poëmata eaque breuissima sub librorum specie digerit, genuinos etiam titulos auertit, ac deniq; pauca ex hoc opere lustrasse aut censuisse, ipse se meminit. Mihi verò, vt dixi, quia constitutum non est, exprimere monumentorũ quicquid Fortunati extare, vel coniecturis, vel exploratiore etiam via, cognosci possit, id solum hic profiteor, conquisitis & comparatis editis, scriptisque exemplaribus, opus illud vndecim librorum, & quatuor vitæ S. Martini, cuius indicem ex vaticana bibliotheca, licet mendosum & imperfectum, reuerendus Iacobus Saluator Solanus editioni Calaritanę subiecit, à nobis ita iam publicè proponi, vt perfectius & omnibus suis partibus absolutius, ante hac exierit nunquam, cum multis & membris & versibus, fortè quoq; libris iã auctum prodeat. Nam quod Calari apud Sardos anno CHRISTI MDLXXIV. opera Nicolai Canyelles editum est, id cum sit plurimis & poëmatis, & partibus alijs, mutilum, lectionem prętereà deprauatissimam habet, & ad octauum modo librum peruenit. Venetũ autẽ, quod apud hęredes Iacobi Simbenij anno Christi MDLXXVIII. iterum prodijt, nihilo emendatius, vel auctius, pœnitendas mẽdorum retulit cicatrices. Vtrumq; transalpinis regionibus in tanta obscuritate mansit, vt editum necne foret, pauci habuerint exploratum: repertiq; sint non indiligentes historici, qui hisce pręteritis annis iam vulgatos versus etiam pro non vulgatis laudãtes, palam eos tanquam thesauros irrepertos ostenderint. Parisiense quidem exemplar omnibus editis adhuc numero librorũ merito antestat; quod legitur VIII. tomo bibliothecæ SS. Patrũ. Sed quid inter hæc nostra, & illud intersit, vno coniectu oculorum quisquis est, cui cor quidem sapit, mox deprehenderit: nam præter multorum epigrãmatum & poëmatum iacturam ipsi inter se confusi libri atque distracti, laceros artus & vitiosę distortęque lectionis passim vestigia prę se ferunt. Quintus autem liber & decimus ita malè istic accepti sunt, vt desiderari ferme videri possint. Cęterum quod nos in

præsentia

præſentia damus, corpus eſt tanquam omnium eorũ, quæ Fortunatus vno velut ſyntagmate complexus, Gregorio Turonenſi inſcripſit ac cõſecrauit. Addit his Paulus diaconus hiſtor. lib. II. hymnos præcipuorum feſtorum ab eo conditos. id quod eiſdem penè verbis in viris illuſtribus cap. XLV. repetit Sigebertus. Horũ etiam auſus eſt ſignare numerũ abbas Spanheimenſis, ad LXXVII. Sed venit interdum mihi in mentem vereri, quam verè iſtuc à Trittẽhemio dictum eſſet: nam in aliena laude & opera cõmendanda profuſior, quod pluribus debebat, vni adnumeraſſe, ſat habuit. Etenim cũ vniuerſi cenſeãtur, quos vſus retinet eccleſiaſticus XCII. aut ſanè nõ multo amplius, horũ, ſi pauculos eximas inferioris ætatis & ingenij, plurimos ad ſuos relegare autores licet, paucos ad Fortunatum. Hodœporici quoq; Sigebertus meminit, an eius quod lib. X. nauigij titulũ gerit? haud planè liquet. Quod autẽ poëma Sophię Auguſtę inſcriptũ Trittẽhemius memorat, id ab eo, quod Iuſtino Imperatori inſcripſit, plane nõ diuersũ eſt. At quod de partu virginis benè lõgũ Fabricius, primum edidit, illud vt indicibus & alijs vulgatis libris eſt pręteritũ, ita Fortunato citra dubiũ, atteſtatione veterũ exemplariũ, eſt aſſcribendum. Atq; hæc fermè carminum ſeries, quę deſiderari in pleno opere poterant. Proſa verò longè plura, & pręſertim ſanctorũ hominum vitæ monumenta conſcripſit, quorum hodieq; bonam partem aut obſoleſcere, aut etiã abolitam eſſe nũc, aduertimus. Multum ſanè eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores quãlibet diſſimulent, debent ſemperq; debebunt reuerendo & doctrina vitæq; innocentia iuxta præſtantiſſimo viro Laurentio Surio, cuius videl. immenſo labore tot tamq; diſperſi & abſtruſi geſtarũ rerum commentarij in vnum collecti, & lucẽ aſpexerunt, & eos mox fudere riuos, quorum ſcaturigine hortos plurimi ſuos, tacita quoq; fontis origine largiter irrigarũt. Is profectò ni faceret, quantũ egregiorũ operũ & omnigenę virtutis exemplorũ, non ſolum Fortunati, in tenebris & ſilentio iaceret! Huius itaq; pręſertim indicio, conſtat primo quidem Fortunatũ S. Hilarij Pictauorum Epiſcopi vitam duobus libris, qui ad XIV. Ianuarij leguntur, ſcripſiſſe, exilius tamẽ, nec quà ſolet vbertate: vt manus alienæ veſtigiũ agnoſcere queas. Extat ad eã vitã pręfatio Paſcentio Pictauorũ Epiſcopo inſcripta, in

qua pro insita modestia se obnixè purgat, quod inter ingentia flumina Euphraten, puta S. Hilarij, & B. Hieronymi Nilum, siccos fuerit ausus cursus extendere suos. In Martio quoq; mense acta referuntur Albini Confessoris, quæ à Fortunato adhuc presbytero, olim edita, memorat Greg. li. de glor. Confess. c. xcvi. S. Germani vero Parisiensis res gestas, quæ in Maio recoluntur, sermone certè luculento pro eius æui more executus est: similiter & Maurilij Andegauensis Episcopi ad xiii. Septembris. At Sancti Medardi Nouiomensis Episcopi fama sanctitatis clarissimi etsi cõmentarium vitæ scripsit, is tamen ad posteros peruenit minimè sincerus. Nec etiam tacuit Turonensis libr. de glor. Confess. cap. xlv. Sancti Seuerini Burdegalensis Episcopi memoriam à Venantio celebratam, sed eius industriæ fructus, vt & complurium aliorum monumentorum, adhuc manet obscurus & incompertus. Neque huius generis quin longè quispiam reperiat plurima ambigere quidem soleo, sed hæc recensuisse in præsentia satis mihi visum fuit, tum ad excitanda studia aliorum, quibus maius haud dubiè suppetit inuestigandi otium, tum vt etiam qui velint, intelligant, quam in vtriusque sermonis laude Fortunatus habuerit facultatem, non quidem ad huius ætatis nostræ gustum, sed illorum temporum lance, re æstimata.


CAPVT VI.

Extrema ætas Episcopatus & obitus.

HÆc sanè rerum capita ob vetustatem & testium idoneorum inopiam magna premuntur caligine, nec vt cætera quædam, perinde nobis allucent. Pictauis consumpsisse Fortunatum extremam ætatem nemo sit qui eat inficias. At pontificiam inibi sedem adeptum Episcopi honore, ambigant, qui plurimum à Gregorio Turonensi eum notarunt vocari presbyterũ, eoque solum nomine vel in acta mitti, vel citari testem. Quibus nec calculum negare suum videntur veteres tituli operis præcipui, quod inscribi solet, Fortunato presbytero Italico. Sed leui hæc difficultas mo-

mento tollitur, si quis illos sacrorum poëmatũ libros, adhuc dum presbyter esset, ab eo scriptos, in memoriam reuocet; eaque in dignitate perstitisse tum etiam, quando Gregorius Francorum res gestas memoriæ prodebat. Argumenta certè Episcopatus à Fortunato tandem posterius initi, hæc minimè sunt leuia vel contemnenda. Marouεum namque episcopum Pascentij successorem multis liquet annis Pictauorum ecclesiam administrasse, quippe qui, Sigeberto rege, exorsus, eam quoque sub Childeberto filio, & quamdiu Rhadegundes fuit in viuis, tenuit, vt Gregorius tradit lib. IX. cap. XL. Interfuit verò Gregorius ipse funeri B. Rhadegundis, Marouεo non optimè in parthenonem, quia diœcesi subtraheretur suæ, animato. Trahor in eam quoque partem, vt sæculo demum quinto exeunte, Fortunatum inijsse, & breuis æui pontificatum gessisse, credam: siquidem Plato suffectus Marouεo est Childeberti patrocinio, post B. Rhadegundis excessum, ipso præsente Gregorio, vt libro X. poëm. XX. Fortunatus scripsit, at præstantium scriptorum iudicio B. Rhadegundes sub Christi annum DXC. vita migrauit: Serus ergo Fortunati episcopatus; quem successisse demum Platoni, interpretatio haud difficilis est. Nec vero Genebrardi hic ego Chronologiam magni non facerem, ni imbecilla viderem eam niti ratione, ceu Gregorio magno hos carminum libros poëta dedicasset. Is enim vitam Fortunati ad Christi annum DCVI. exporrigit, hoc ipso, quòd dixi, fretus argumento. Sed vt propagasse eousque ætatem valde dubium non sit, certius est tamen, Gregorio Turonensi, quam magno Gregorio hosce libros inscriptos; atque adeo hoc in opere nullum cum Gregorio illo Romano actæ simul vitæ, extare vestigium. Quo grauior etiam horum nimirum lapsus est, qui suis in fastis, & ad Sigeberti viros illustres notis Fortunato attribuêre annum Christi DCCL. quorum scilicet sententiam quoque Xistum Senensem in sua bibliotheca sequi, non pœnituit. At Chronologia ecclesiastica; quę operæ non segnis Viennæ nuper exijt, ne tolerari hic quidem iam potest: nam postquam temporum rationes optimas secuta, Fortunatum anno DLXX. annumerasset, mox eundem Sancti Venantij Honorati nomine, ceu à priore aut à seipso diuersum subijciēs

C 3 Xisto au



Xisto autore, claruisse ait potius annò Christi DCC. Sed leuiora quidem hæc videantur, quàm vt hoc à me loco commemorari debeant: nisi vt error errorem trahit, sic quo ne serpat & iste longius, vtilis etiam hęc cuiusque generis cautio sit. Cęterum Episcopatus apud Pictauos à Fortunato gesti clarissima hæc testimonia sunt: in primis illud Pauli diaconi.lib.II.cap.XIII. *Nouissime in eadem ciuitate* (*Pictauorum*) inquit, *primum presbyter, deinde Episcopus ordinatus est, atque in eodem loco, digno tumulatus honore, quiescit*. Aimoinus etiam in Francorum historia lib.III.cap.XIII. *Ab Hesperia in Gallias*, ait, *transiens Pictauis Episcopus ordinatur*. Disertissimè idem Bandonia affirmat æqualis B.Rhadegundis, & Sanctimonialis ex Fortunati disciplina, quæ acta vitæ B. Rhadegundis ab ipso inchoata explens, Fortunatum appellat Episcopum & virum Apostolicum. Extat in Fabricij quoque notis ad poëtas Christianos syntagma vitæ Fortunati ex Lilio Giraldo, Petro crinito, Trittenhemio, & alijs, nescio, quibus collectum, vbi ob sanctimoniæ famam & vitæ integritatem fertur in cœlestium numerum relatus; cuius equidẽ traditionis fidem, cum hagiologia sileant, nec documenta suppetant veterum literarum, ad autores relegare malim, quam iudicium interponere meum. Illud satis prædicatur ab antiquis, & res docet ipsa, virum egregijs fuisse pietatis & virtutum ornamentis. nec immerito scriptum à Trittenhemio: *Inter cunctos suæ ætatis doctores non minus sanctitate conuersationis, quam scientia eruditionis clarum effulsisse*. Id quod tanto eius ætati propior Paulus diaconus cum à Pictauiensibus ipsis coram didicisset, rogatu Apri eius loci Abbatis, hoc ei epitaphium scripsit, quo non illius magis doctrinam & pulchritudinem ingenij quàm vitæ sanctitatem extulit: & manifestè Sanctum eum compellans, hoc ipso quoque nomine eius patrocinium versibus implorauit.

Ingenio clarus, sensu celer, ore suauis,
Cuius dulce melos pagina multa canit.
Fortunatus, apex vatum, venerabilis actu,
Ausonia genitus hac tumulatur humo.
Huius ab ore sacro sanctorum gesta priorum
Discimus: hac monstrant carpere lucis iter.

Felix

Felix quæ tantis decoraris Gallia gemmis
Lumine de quarum nox tibi tetra fugit.
Hos modico prompsi plebeio carmine versus
Ne tuus in populis, Sancte, lateret honor.
Redde vicem misero, ne iudice spernar ab æquo,
Et nimiis meritis posce, beate, precor.

In catalogo Pictauiensium episcoporum, quem ex Boucheti annalibus Aquitaniæ, publicauit Antonius Demochares, legitur vixisse S. Fortunatus, temporibus Iustini iunioris.

Imagines sanctorum Augustanorum.

S. FORTVNATVS EX PRESBYTERO ITALICO EPISCOPVS PICTAVIENSIS.

Paucis ante annis, quam Longobardi Italiam inuaderent, Rauennâ religionis causa ad S. Martini sepulchrum profecturus, Augustam attigit. Quod cum à Paulo Diacono diserte proditum, tum ex itineris ratione, quam Fortunatus ipse descripsit, est intelligere &c. Augustæ S. Afræ reliquias, pro cætero pietatis studio, veneratum, non difficilis, nec dubia coniectura ex versibus sub finem operis de S. Martini vita.

Sic ibi.

VARIO-



VARIORVM SCRIPTORVM DE FORTVNATO IVDICIA ET ELOGIA.

Gregorius Turonensis libro quinto historiæ Francorum cap. VIII.

SI quis tamen strenuus virtutes illius (loquitur de sancto Germano) quas in corpore gessit, sollicitè vult inquirere, librum vitæ illius, qui à Fortunato presbytero compositus est, legens cuncta reperiet. Item de gloria martyrum li. I. c. XLII. De templo S. Laurentij apud Brionas. Fortunatus presbyter multo plures scripsit versiculos quos ego prętermisi, hos tantum pro testimonio veri scribens.

Paulus Diaconus historiæ Longobardorum lib. II. *cap.* XIII.

FORTVNATVS natus quidem in loco qui Duplauenis dicitur, fuit, qui locus haud longè à Ceuetenensi castro vel Taruisina distat ciuitate. Sed tamen Rauennę nutritus, & doctus in arte Grãmatica, siue Rhetorica, siue etiam Metrica clarissimus extitit. Hic cũ dolorẽ oculorũ vehementissimũ pateretur, & nihilominus, Fœlix ipsius socius pari modo oculos doleret, vterque ad basilicam beatorum Pauli & Ioannis, quæ intra eandem vrbem sita est, perrexêre, in qua etiam altare in honorem beati Martini confessoris constructum propinquam habet fenestram, in qua lucerna ad exhibendum lumen est constituta, de cuius oleo mox sibi isti Fortunatus & Fœlix dolentia lumina tetigerunt, illico dolore fugato, sanitatem quam optabant, adepti sunt. Qua de causa Fortunatus in

tus in tantum beatum Martinum veneratus est, vt relicta patria paulo antequam Longobardi Italiam inuaderent, Turonos ad eiusdem beati viri sepulchrum properaret. Qui sibi, vt in suis carminibus refert, illuc properanti per * flumen Tiliamenti & Reunam, perque Osupum, & Alpem Iuliam, perq; Aguntum castrum Drauumque & Birrum fluuios, ac Breonem, & Augustam ciuitatem, quam Vindo & Lycus fluentant, iter fuisse describit. Qui postquam Turonos iuxta votum proprium aduenit, Pictauis pertransiens illic habitauit, & multoties ibidem sanctorum gesta partim prosa, partim * metrali ratione conscripsit. Nouissimeq; in eadem ciuitate primum presbyter, deinde episcopus, ordinatus est, atque in eodem loco digno tumulatus honore quiescit. Hic B. Martini vitam quatuor libris heroico versu intexuit, & multa alia maximeque hymnos singularum festiuitatum, & præcipue ad singulos amicos versiculos nulli poëtarum secundus suaui & diserto sermone composuit.

* fluenta.

* metrica.

Hilduinus Abbas epist. ad Luduicum Pium Aug. Sur. Tom. 5. in Octobri ad vitam S. Dionysii.

GREGORIO Turonensi contemporalis existens, vir prudens & Scholasticissimus Fortunatus, qui plura & frequenter ad eum scripserat, hymnum rythmicæ compositionis pulcherrimum de isto (Dionysio Areopagita) gloriosissimo martyre composuerat, in quo commemorat eum à B. Clemente destinatum, sicut in Latinorum paginis didicit: de natione autem eius & ordinatione episcopatus mentionem non facit, quia linguæ Græcæ penitus expers fuit.

Hincmarus præfat. ad vitam S. Remigij.

FOrtunatum virum religiosum metricis versibus insignem, qui à multis potentibus & honorabilibus in his Gallicis & Belgicis regionibus per diuersa loca tunc vitæ ac sciētiæ suæ merito inuitabatur, ait rogatu Ægidij quarti post B. Remigiū istius ciuitatis epi-

ſcopi, vitam illius Sancti ſcriptam vberius excerpſiſſe, & iſto compendio operi maiori velut lucem & vſum ademiſſe.

Amoinus Monachus libro tertio hiſtoriæ Francorum. cap. XIII.

FORTVNATVS, qui in Rhetorica Metricaque arte famoſus habebatur, ab Heſperia in Gallias tranſiens, Pictauis epiſcopus ordinatur. Hic multorum vitas paſſioneſue ſanctorum, partim proſa, partim metro compoſuit; ad amicos quoque ſingula diſticha elegans orator conſcripſit; vnde Sigeberto regi elegiacum miſit carmen, congratulans, & in nuptijs Brumichildis. Quem cum quidam conſors librum ad diuerſos ab eo ſibi familiares conſcriptum manibus intuliſſet meis, in eo facunditatem viri, dulcemque affabilitatem ſatis admiratus ſum.

Flodoardus hiſtor. Remenſ. eccleſ. lib. II. *cap.* II.

FORTVNATVS Italicus apud Gallias in metricâ inſignis habebatur.

Sigebertus in Chronico ſuo ad annum DLXXV.

FORTVNATVS poeta veniens ab Italia, claret in Gallia.

Vincent. Spec. lib. XXII. C. CXXVI. *ex Hug. Floriac.*

FORTVNATVS vir egregius.

Ingenio clarus, ſenſu celer, ore ſuauis.

Qui ab Italia Turonos adueniens, actus B. Martini IV. libris, heroico contexuit metro. Verum inde aſſumtus, Pictauorum ordinatus eſt Epiſcopus. Scripſit autem etiam vitam B. Hilarij Pictauienſis, & vitam B. Maurilij Andegauenſis. Huius eſt illa ſententia breuis & vtilis.

Pauper in anguſto regnat habendo Deum.

legitur lib. 8. c. 4. v. 396.

Ioannes Tritthemius libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis.

FORTVNATVS Epiſcopus Pictauienſis, natione Italus, vir in diuinis ſcripturis doctus, & in ſæcularibus literis eruditiſſimus, ingenio

ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, & nitidus; carmine & proſa excellens, inter cunctos ſuæ ætatis doctores non minus ſanctitate conuerſationis, quam ſcientia eruditionis clarus effulſit. Hic virtute ſancti Martini à dolore oculorum liberatus, pro agenda gratiarum actione, Turonis ad eius ſepulchrum venit, & Pictauos progreſſus, primo Presbyter, deinde epiſcopus ibidem ordinatus, magna doctrina & religione claruit. Scripſit eleganti carmine multa vtilia, & deuota opuſcula; de quibus ego tantum vidi ſubiecta.

Ad ſanctam Rhadegundem regis Thuringorum vltimi filiam, & regis Francorum captiuam, poſtea Pictauij Cœnobij abbatiſſam verſu hexametro.

Excidium belli Turingorum lib. 1. Conditio belli triſtis.
Ad Iouinum de Rhadegunde lib. 1. Aonias auido, qui lamb.
Ad Iuſtinum iuniorem lib. 1. Gloria ſumma patris, natiq.
Ad Sophiam Auguſtam, lib. Cui meritis compar ſui.
In perſona Rhadegundis lib. 1. Poſt patriæ cineres.
In laudem Martini epiſcopi lib. 1. Lumen Apoſtolicum.
De Leontio venerabili epiſcopo lib. 1. Inter quos genuit.
De eiuſdem laudibus lib. 1. Agnoſcat omne ſæculum.
Hymnorum ſeptuaginta ſeptem li. 1. Agnoſcat omne ſæculum.
De miraculis S. Martini lib. 4.
Vita S. Hilarij Pictauienſis lib. 1. Hodœporicum viæ ſuæ lib. 1.
Vita Sancti Maurilij Epiſcopi li. 1. Epiſtolar. ad diuerſos. lib 1.
Carminum ad amicos lib. 1. Rex regionis apex &c Alia quoque multa compoſuit, quæ cum breuia ſint ſub librorum nomine noluí conſignare. Plura enim Epitaphia & verſus breues ſcripſit, quos vidi. Claruit ſub Iuſtino iuniore Auguſto Anno Domini. D.LXX.


Platina in Vita Ioannis Tertij Papæ.

Fortunatus vir ſingularis litteraturæ & eloquentiæ, Gallos ad mitiorem cultum redegit ſcriptis & exemplo. Ad Sigebertum enim eorum regem libellum de gubernando regno perſcripſit, ac beati Martini vitam eleganter compoſuit.

Petrus Crinitus libro quinto de Poetis latinis.

VENANTIVS Honorius Fortunatus inter Christianos poëtas relatus est: & cum ingenio, atque moribus longè præstaret, Rauennæ eruditus traditur, magnaque diligentia in Latinis literis institutus. De hoc Fortunato referuntur permulta apud eos auctores qui de gestis Gallorum annales composuerunt. Neque desunt, qui scribant illum diu versatum in Gallia, & ob egregiam eruditionem, optimumque ingenium pontificem Pictauorum factum. Plura, ac varia opera edidit, quibus ingenij facilitatem, minimeque imparem doctrinam demonstrat. Leguntur adhuc eius poëmata & hymni complures, qui magnoperè commendati sunt à nostris Grammaticis. Sed & libros quatuor fecit de gestis diui Martini versibus hexametris: præfatus, tali opere se imitari Christianos poëtas, vt Alchimum, Prudentium, Iuuencum, Paulinum, & alios plures. Idem Fortunatus maximo affectu, singulariq; beneuolentia prosequutus est Gregorium pontificem, Euphronium, atque Fœlicem, vt alios omittamus. In peruetustis exemplaribus additum est nomen Clementiani, quod ab his probari poterit, qui paulo accuratius antiquitatem perscrutari voluerint.

VENAN-



VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI

LIBER PRIMVS.

DOMNO SANCTO ET DOTE MERITORVM Sacris Altaribus adſcito pariter & educto Gregorio Papæ, Fortunatus.



CVMINVM *ſuorum luculenta veteris ætatis ingenia, eorum qui natura feruidi, curatura fulgidi, vſu attriti, auſu ſecuri, ore facundi, more feſtiui, præclaris operibus celebratura, ac poſteris ſtupore laudanda, reliquêre veſtigia, certe illi inuentione prouidi, partitione ſerij, diſtributione librati, epilogorum calce iucundi, cola fonte proflui, commate ſucciſo venuſti, tropis, paradigmis, periodis, epicherematibus coronati, pariter & cothurnati, tale ſui canentes dederunt ſpecimen, vt adhuc noſtro tempore quaſi ſibi poſthumi viuere credantur, & ſi non carne, vel carmine. Quibus licet* ſors finem tulerit, tamen cum dicta permanent, viuacis memoria de mortuis aliquid mors reliquit; nec totùm vſquequaque ſepeliuit in tumulo, cui reſtat liberum, vt vel lingua viuat in mundo: hoc neſciens auara mors auferre cum funere, quod per ora viuentium defunctum videt currere ſi non pede, poemate. In hoc tamen melius ſuperata mors inuida, ſi ſermone ſenſerit, & mercede, ſe bis victam. Sed ſicut hi quos clara lingua iactitat lux illuſtres, quorum dicta celari, fuerat apertè damnum pati, & qui pompoſa facundiæ florulenta germina niſi miſiſſent in publicum, fecerant peculatum, merito famæ* *mors.

 radios

radios per quaque traxerunt, vt peragrantes omnia, quacunque magis
carmine loca innotescerent, laus augeretur, ita sit eis consultius, si occulan-
* tam. *tur taciti, qui fastidiri poterunt reuelati. Nec * tantum exprobrabile est*
* patesci. *nesciri quod horreat, quam * patere quod vrat; minorisque dispendij*
celata videatur inscitia, quam prolata; quia illic obstat pudor, ne pro-
datur noticia, hic audacia proditur, vt ingerat notam. Vnde vir Apo-
* viritim. *stolice prædicande papa Gregori, quia * viriliter flagitas, vt quædam ex*
opusculis imperitia mea tibi transferenda proferrem, nugarum mearum
admiror te amore seduci. Quæ cum prolata fuerint, nec mirari poterunt,
* impos. *nec amari. Præsertim quod ego * imperitus de Rauenna progrediens Pa-*
dum, Athesim, Brintam, Plauem, Liquentiam, Tiliamentumque tra-
nans per Alpem Iuliam pendulus, montanis anfractibus, Drauum
Norico: Oenum Breonis: Liccam Boioaria: Danubium Alemaniæ:
Rhenum Germaniæ transiens, ac post Musellam, Mosam, Axonam, &
Sequanam Ligerim, & Garomnam Aquitaniæ maxima fluenta trans-
mittens, Pyrenæis occurrens Iulio mense niuosis, pœne aut equitando,
aut dormitando conscripserim. Vbi inter barbaros longo tractu gradiens,
aut via fessus, aut crapula brumali sub frigore, Musa hortante, nescio
gelida magis an ebria, nouus Orpheus lyricus syluæ voces dabam, sylua
reddebat. Quid inter hæc extensa viatica consultè dici potuerit, censor
ipse mensura, vbi non vrgebat vel metus ex iudice, vel probabat vsus ex
lege, nec inuitabat fauor ex comite, nec emendabat lector ex arte: vbi
mihi tantundem valebat raucum gemere, quod cantare. apud quos ni-
* disparat. *hil dispar * erat, aut stridor anseris, aut canor oloris: sola sæpe bombicãs,*
* relidens. *barbaros leudos harpa * relidebat: vt inter illos egomet non musicus poe-*
ta, sed muricus, deroso flore carminis poema non canerem, sed garrirem,
* fabre. *quo residentes auditores inter acernea pocula salute bibentes insana, Bac-*
*cho iudice debaccharent. Quid ibi * affabre dictum sit, vbi quis sanus*
vix creditur, nisi secum pariter insaniatur? quo gratulari magis est si vi-
uere licet, post bibere: de quo conuiuam thyrsicum, non fatidicum licet
exire, sed fatuum, cum quantum ad mei sensus intelligentiam pertinet,
quia se pigram non explicat bruta anima ipsa ieiunia sunt ebria. Hinc est
quod latens opusculum, & si minus videtur famosum, plus est liberum,
quia de examinatione non habet quod tam trepidet priuatum, quam pu-
blicum. Vnde necessariè angusti sensus ingenium se mensuret censore, quod

est

*est mittendum sub iudice. Sed quoniam humilem impulsum alacriter acrius renitentem sub testificatione diuini mysterij, & splendore virtutum beatissimi Martini coniurans hortaris sedulo, vt contra pudorem meum deducar in publicum, me in meis friuolis arbitro scabrosi operis ignorantiam confitente, quod aliis poscentibus patefacere distuli, obediendo cedo virtuti, hanc saltem obtemperandi vicissitudinem repensurus, vt quia hæc fauore magis * delegantur, quam iudice, aut tibi tantum innotescentia relegas, aut intimorum auribus * amicaliter quaso * conlatura committas.*

*delectantur.
*amicabiliter.
*consolatura.



LIBER



LIBER PRIMVS.

I.

Ad Vitalem Episcopum Rauennensem.


NTISTES domini, meritis in secula viuens
 Gaudia qui Christi de grege pastor habes.
Cum te Vitalem voluit vocitare vetustas, — *Vitalis etymon.*
 Nouerat æternum te meruisse diem.
Dignus Apostolica præfulgens mente sacerdos,
 Qui sacer Andreæ tam pia templa locas. — *B. Andreæ ædes à Vitali exstructa.*
Quam bene pro meritis domini consedit in aula,
 Per quem digna Deo est ædificata domus.
Sumpsisti à domino culmen, cui culmina condis,
 Qui tibi digna dedit, reddis honore vicem.
Emicat aula potens solido perfecta metallo,
 Quo sine nocte manet continuata dies.
Inuitat locus ipse Deum, sub luce perenni, — *Templi venustas & religio.*
 Gressibus vt placidis intret amando lares.
Qui loca das populis, dominum quo semper adorent,
 Vt capiant veniam, tu facis * esse viam. — ** ipse.*
Gratia mens, animus, bonitas, dilectio plebis,
 Et gradus, & pietas, te dedit esse patrem.
Prosperitas se vestra probat, quæ gaudia supplens, — *Dedicationis celebritas.*
 Intulit egregios ad tua vota viros.
Dux nitet hinc armis, præfectus legibus illinc;
 Venerunt per quos crescere festa solent.
Ne tibi desit honor, populum Deus auxit opimum.
 Qui vidit sensum hoc voluisse tuum.
Mysterium fidei compleuit vota petenti,
 Felix cui dominus, quæ cupis ipsa vehit.

Plurima

Plurima diuino celebres solemnia dono,
Atque Dei florens templa locando colas.

II.

*De templo Domni Andreæ quod ædificauit Vitalis episcopus * Rauennas*

QVISQVIS ad hæc sancti concurris limina templi,
Si venias supplex, hîc prece sumis opem.
Quam sacer Antistes Vitalis condidit arcem
Culmine quæ cœlo est tempore ducta breui.
Fundauit, struxit, dotauit; deinde dicauit,
Et meruit templi soluere vota sui.
Quo veneranda pii requiescunt viscera Petri:
Qui meruit solus claue ligare polos.
Paulus Apostolica simul hac retinetur in aula,
Seductor quondam qui modo doctor ouat.
Hanc sacer Andreas propriam sibi vendicat arcem,
Et cum fratre pio participata regit.
Hæc sua tecta replet Laurentius igne sereno,
Cui pia flamma dedit luce perenne diem.
Vitali domus ista placet, qui viuus arenis
Defossus meruit perdere mortis iter.
Sunt loca Martini, qui texit veste tonantem,
Ne magis algeret se spoliare dedit.
Ecce VigilI arx est, quem rustica turba peremit.
Vnde mori voluit, mors magis ipsa fugit.
Incolit hæc pariter Maturius atque Sisennus,
Quos genus atque fides & tenet vna salus.
Sanctus Alexander, felixque Cecilia pollent,
Quos meritis omnes vna corona manet.
Hæc bonus antistes, Vitali vrgente, Ioannes,
Condidit egregio viscera sancta loco.
O nimium fœlix, æternum in lumen iture,
Cuius vita suo proficit * ista Deo.

*Rauennensis.

B. Andreæ ædes quib. aliis reliquiis & patronis cõmendata nempe.
B. Petri.
B. Pauli.

B. Laurentii.

B. Vitalis martyris.

B. Martini

B. Vigilii.

BB. Martyrii, Sisennii.
B. Alexandri, Ceciliæ.

* in stadio

III.

De basilica Domni Stephani.

GLORIA celsa pios Domini circundat amicos,
Quorum diffusum viuit in orbe decus.
Pertulit hic martyr pro Christo orientis in axe,

S. Stephani tēplum.
Ecce sub occasu templa beatus habet.
Fundatus virtute Dei de morte triumphans
Excepit lapides, cui petra Christus erat.
Gens Iudæa ferox Stephanum quem perdere credis,
Et si carne tamen nescit honore mori.
Ille tenet palmam meritis, tu crimine pœnam,
Possidet ille polos, tu magis ima petis.
à Palladio episcopo erectum.
Hæc sacra Palladius Leuitæ templa locauit,
Vnde sibi sciat non peritura domus.

IV.

De basilica S. Martini.

EMICAT aula decens venerando in culmine ducta
Nomine Martini sanctificata Deo.
Cui vitæ merito fiducia tanta coruscat
Vt populis tribuat quod pia vota rogant.
Faustus sacerdos.
Extulit hanc Faustus deuoto corde sacerdos;
Reddidit & Domino prospera dona suo.

V.

In cellulam S. Martini, vbi pauperem vestiuit, rogante Gregorio episcopo.

QVI celerare paras. iter huc deflecte viator,
Hic locus orantem cautius ire docet.
Exul enim terris, cœli incola, sæpe solebat
Clausus Martinus hinc aperire polos.
Æde sub hac habitans heremi secreta tenebat,
Per medios populos anachoreta potens.
Hic se nudato tunica vestiuit egenum,
Dum tegit algentem, plus calet ipse fide.
Vitæ S. Martini lib. III. eadem, & Sulpit. dialog. 2. c. 2.
Tum vili tunica vestitur & ipse sacerdos;
Processitque inopi tegmine summus honor.
Qui tamen altaris sacra dum mysteria tractat;
Signando calicem signa beata dedit.
Namque viri sacro de vertice flamma refulsit;
Ignis & innocui surgit ad astra globus.
Ac breuibus manicis, fieret ne iniuria dextræ,
Texerunt gemmæ, qua caro nuda fuit.
Brachia nobilium lapidum fulgore coruscant,

Inque

Inque loco tunicæ pulchra smaragdus erat.
Quam bene mercatur, qui dum vestiuit egenum
Tegmine pro tunicæ brachia gemma tegit.
Tu quoque qui cœlis habitas Martine precator.
Pro Fortunato fer pia verba Deo.
Imperiis parere tuis pie, chare, sacerdos.
Quantum posse valet, plus mihi velle placet.

VI.

De basilica S. Martini.

QVI cupit æterna sociari in sede beatis,
Hos sibi participes per pia vota facit.
Nec patitur differre diu, quod oportet agendo,
Cum bona quæ dederit, hæc sua lucra putet.
Condidit ergo aruis delubra Leontius alma
Talibus officiis, intret vt ipse polos.
Martini meritis & nomine fulta coruscant,
Quem certum est terris signa dedisse poli.
Qui lepræ maculas medicata per oscula purgans
Pacis ab amplexu morbida bella tulit.
Hæc tamen ingenio sunt ædificata perito,
Quo nihil egregius gloria laudis eget.
Additur ad specimen locus ipse quod eminet aruis,
Elatoque iugo colle tumente patet:
Altius educto sub se tenet omnia dorso,
Et quacunque petit delitiosa, videt.
A longe veniens oculo vicinus habetur,
Iungitur aspectu dissociante loco.
Quo fessus rapitur visu inuitante viator
Si pede defecerit, lumine tractus adit.
Quæ Placidina sacris ornauit culmina velis
*Atque simul certant, hic facit, illa colit.

Leontius autor huius basilicæ.

Structuræ situs & elegantia.

Placidina.
*certantesq; simul.

VII.

*In honorem basilicæ S. Martini quam ædificauerunt Basilius & * Baudegundes.*

DISCITE mortales terris nihil esse quod obstet
Cum sacra templa Dei, flumine fixa manent.
Pulchra per angustos vt surgeret aula meatus,

*Baudegundis.

Et si mons vetuit, præbuit vnda locum.
Vt famularetur domui vaga limpha supernæ,
Cursibus antiquas ars noua subdit aquas,
Cum Baudegunde, quo mente Basilius vna
Hoc renouans priscum reddit, & auget opus.
Sic Martine tuus honor amplus vbique meretur.
Vt loca nulla negent, quo tibi festa sonant.
Talibus officiis pacatus opime sacerdos
Quorum vota vides, redde benigne vicem:

VIII.

*De basilica S. Vincentii * apud Garumnam.*

*vltra.

TEMPORE vita breuis meritis fit longior almis
Augustosque dies tendit honore fides.
Post finem sine fine manet mens dedita Christo
Linquens turbam hominum stat sociata Deo.
B. Vincentius martyr Aginnensis.
Hac ope suffultus Vincentius extat in æuum
Gloria martyrii cuius opima viret.
Vertice succiso rapuit qui ex morte triumphum,
Et noua de terris proles ad astra volat.
Credidit vnde necem, sancto dedit hostis honorem,
Percussorque magis morte perenne iacet.
Capite punitus.
Vicerat ille miser, hunc si iugulare nequisset;
Nam abstulit vnde caput, contulit inde polum.
Huius amore nouo pia vota Leontius explens
* Stagnea.
Quo sacra membra iacent, *stannea tecta dedit.
Leontius eius basilicam ornat.
Et licet eniteat meritis venerabile templum
Attamen ornatum præbuit iste suum.
Præmia succedant operanti longa salutis,
Huius vt obsequiis culmina sancta micent.

IX.

*De basilica S. Vincentii * Vernemetis.*

*Virnimetis.

CVLTORIS Domini toto sonus exiit orbe,
Nec locus est vbi se gloria celsa neget.
Sed cuius meritum scimus percurrere mundum,
Huius vbique viri surgere templa decet.
Ecce beata nitent Vincenti culmina summi
Munere Martyrii qui colit astra poli.

Prom-

Promptus amore pio, quæ papa Leontius olim
Condidit eximio consolidata loco.
Nomine Vernemetis voluit vocitare vetustas
Quod quasi fanum ingens Gallica lingua refert.
Auspicii præmissa fides erat * ante futura
Vt modo celsa domus staret honore Dei.
Hic etiam sanctus, Domini suffultus amore,
Virtutis summæ signa tremenda dedit.
Nam cum templa Dei præsul de more dicauit,
Martyris aduentu dæmonis ira fugit.
Redditur incolumis quidam de * parte maligna,
Cui vidisse pii templa, medella fuit.
Emicat aula potens diuino plena sereno,
Vt merito placeat hic habitare Deo.
Nunc specie suadente loci, ac virtutis honore
Euocat hic populos, hinc decus, inde salus.
Qui plebem accendit venerandæ conditor arcis
Talibus officiis præmia iusta * metit.

Vernemetis etymon.

* arce.

Dedicatio basilicæ miraculo illustratur.

* peste.

* metet.

X.

De Domno Nazario martyre Christi.

CVLMINA conspicui radiant veneranda NazarI,
Cuius membra solum, spiritus astra tenet.
Semine terrigeno terrenis vsibus exsors,
Immortale bonum, puluere natus homo.
Nil carnale volens, sed Christi præmia poscens,
Sanguine de proprio victima digna Deo.
Hæc tibi templa sacer deuota Leontius offert.
Maioremque suam hinc cupit esse domum.
Hic prius angusto fabricata est machina gyro,
Quo neque tunc poterat plebs veneranda capi.
Deiectamque solo rursus fundauit ab imo,
Et dedit hæc, quæ nunc amplificata placent.

S. Nazario ædem ponit idem Leontius

XI.

De basilica Domni Dionysii.

QVI cupis egregii structorem noscere templi,
Tam pia non patiar vota latere tibi.
Longius hinc olim sacra cum delubra fuissent,

Amelius Burdigalensis episcopus.

Et plebs ob spacium sæpè timeret iter.
Exiguam dederat hic præsul Amelius arcem,
Christicolam populum nec capiente loco:
Quo vitæ claudente diem dehinc prole graduque.
Venit ad hæredem hoc opus atque * locus.

Leontius itidem basilicam hanc erigit.

Fundauitque piam hanc papa Leontius aulam,
Obtulit & Domino splendida dona suo.
Quam venerandus habet propriam Dionysius ædem
Nomine sub cuius sanctificata nitet.

B. Dionysii Areopagitæ martyriũ.

Qui feruente fide Christi solidatus amore
Vertice supposito colla secanda dedit.
Membrorum contemptor erat, cupiendo coronam
Vile putans quidquid ferret amore Dei.
Vt moritura caro donum immortale pararet,
Vulnera dilexit, sed caritura nece.
Hostili occurrens gladio, se misit olympo;
Vnde mori voluit, vota salutis habet.
Nec angusta prius subtraxit fana sacerdos,
Hæc nisi perficeret quæ modo * culta placent.

*facta.

Assidue in prisco peragens cerimonia templo,
Donec rite sequens consolidasset opus.

XII.

De basilica S. Bibiani.

S. Bibianus episcopus Sãctonum.
Eusebius episcopus Satonum.
Emerius episcopus Santonum.

DIGNA sacerdotis Bibiani templa coruscant,
Quò, si iusta petis, dat pia vota fides,
Quæ præsul fundauit ouans Eusebius olim
Ne tamen expleret, raptus ab orbe fuit.
Cui mox Emerius successit in arce sacerdos,
Sed cœptum vt strueret, ferre recusat onus.
Qui precibus commisit opus tibi papa Leonti
Cuius ad hoc votum iugiter instat amor.
Vltrò tale decus tibi se seruauit agendum,
Nec nisi tu fueras qui loca sacra dares.
O meritum iusti mansurum in luce perenni,
Per quem se cupiunt templa verenda coli.
Sacra sepulchra tegunt Bibiani argentea tecta,
Vnanimis tecum quæ Placidina dedit.
Quo super effusum rutilans intermicat aurum,

Et spar-

Et spargunt radios pura metalla suos,
Ingenio perfecta nouo tabulata coruscant,
Artificemque putes hic animasse feras.
Sed cui vos animo donaria tanta dedistis,
Hic agat, vt vobis stet diuturna salus.
Nec dubitent, qui digna ferunt, sibi magna rependi,
* Præmia dum propriis reddat opima Deus.

*Dum quoque pro paruis reddit.

XIII.

*De basilica S. * Eutropii.*

*Eutropis

QVANTVS amor Domini maneat tibi, papa Leonti,
Quem sibi iam sancti templa nouare mouent,
*Eutropii illa etenim venerandi antistitis aula,
* Corruat, & senio dilacerata suo.

*Eutropis *corrueerat.

Nudatasque trabes paries vacuatus habebat,
Pondere non tecti sed malè pressus aquis.
Nocte sopore leui cuidam veniente ministro,
Instauratorem te docet esse suum.
Pro mercede tui meruit magis ille moneri;
O fœlix de quo fit pia cura Deo.
Nunc meliore viā viruit renouata vetustas,
Et lassæ fabricæ flos rediuiuus adit.
Ætas accessit, tamen hæc iuuenescit honore,
Vnde senex fieret, iunior inde redit.
Hic * scalptæ cameræ decus interrasile pendet,
Quos pictura solet, ligna dedere iocos.

* sculptæ. S. Eutropius Sanctonum episcopus

Sumpsit imagineas paries simulando figuras
Quæ neque tecta prius hæc modo picta nitent.
Vrbis Sanctonicæ primus fuit iste sacerdos
Et tibi qui reparas iure priora dedit.
Cum sua templa tenet sanctus, habitando quiete,
Instauratori reddit * honore vicem.

* amore.

XIV.

De calice Leontii episcopi.

SVMMVS in arce Dei pia dona Leontius offert,
Votis iuncta sacris & Placidina simul.
Fœlices quorum labor est altaribus aptus,
Tempore qui paruo non peritura ferunt.

XV.

De Leontio Episcopo.

Leontii in Gallia dignitas.
INTER quos genuit radians Aquitanicus axis,
Egregiis meritis culmina prima tenes.
*& Ciuibus *ex Gallis superenimet alta potestas,
Tu potior reliquis & tibi nemo prior.
Præcedis multos, nulli minor, atque secundus,
Nec superest aliquid, quod dare possit, honor.
Ingenium. Quicum se primum vestiuit flore iuuentus,
*Senis Paruus eras annis, & grauitate * senex.
Militia. Versus ad Hispanas acies cum rege sereno
Militiæ creuit palma secunda tuæ.
Cuius primitiæ tanto placuêre relatu,
Vt meritis esset debitus iste gradus.
Nec poterant subito tibi culmina celsa parari,
Hæc nisi digna tuum promeruisset opus.
Nobilitas maiorum Nobilitate potens præcellis papa Leonti,
Clarus ab antiquis si numerentur aui.
Nam genus & proaui, vel quidquid in ordine dicam,
Per proceres celsos currit origo vetus.
Tempora diffugiunt, & stat tamen aula parentum;
Nec patitur lapsum, te reparante, domus.
Nobilitas longos non inclinauit in annos;
Cui magis ascensum proles opima dedit.
Inclita progenies ornauit luce priores,
Hæredis radio splendet origo patrum.
De radice sua vestita est flore vetustas;
Episcopatu sumpto vincit maiorum genus. Quam merito vestræ laudis obumbrat honor.
Quamuis non aliquis potior modo possit haberi,
Tu tibi præcedis amplificando patres.
Emicat altus apex generosa stemmata pandens,
Magnificentia & religio eius in templis erigẽdis, instaurandis. Cuius apud reges vnica palma patet.
Ecclesiæ nunc iura regis, venerande sacerdos,
Altera nobilitas additur inde tibi.
Pontificalis apex quamuis sit celsus in *vrbe,
Postquam te meruit, creuit adeptus honor.
Aula Dei, & pastor, vicibus sibi præmia reddunt,
Illi tu ornatum, spem dedit illa tibi.
Leontius XIII. But- Munere diuino pariter floretis vtrique.

Tu

Tu mercede places, illa decore nitet.
Tertius à decimo huic vrbi antistes haberis,
Sed primus meritis enumerandus eris.
Templa vetusta Dei reuocasti in culmine prisco
Postque suum lapsum nunc meliora placent.
Flore iuuentutis senio fugiente coruscant,
Et tibi læta fauent, quo renouate virent.
Vt tu plus ageres, incendia tecta cremarunt,
Et nunc laude tua pulchrius illa micant.
Nullaque flammicremæ senserunt damna ruinæ,
Quæ modo post ignes lumine plena nitent.
Credo quod ex sese voluissent ipsa cremari,
Vt labor ille tuus hæc meliora daret.
Post cineres consumpta suos, tenuesque fauillas,
Sic solet & Phœnix se renouare senex.
Instaurata etiam sacri est baptismatis aula,
Quo maculas veteres fons lauat vnus aquis.
Ecce beata sacræ fundasti templa Mariæ,
Nox vbi victa fugit semper habendo diem.
Lumine plena micans imitata est aula Mariam,
Illa vtero lucem clausit, & ista diem.
Nec solum hic, sed vbique micant tua templa sacerdos,
Inter quæ plaudens Sanctonus illa docet.
Qui loca das populis, vbi Christum iugiter orent.
Vnde salus veniat, te facis esse viam.
Ecclesiæque domus crescente cacumine pollet.
Et probat esse tuum, quod modo culta placet.
Fecisti vt libeat cunctos huc currere ciues,
Et domus vna vocet, quidquid in vrbe manet.
Ornasti patriam, cui dona perennia præstas,
Tu quoque dicendus, Burdegalense decus.
Quantum inter reliquas caput hæc super extulit vrbes,
Tantum pontifices vincis honore gradus.
Inferiora velut sunt flumina cuncta *Garumnæ,
Non aliter vobis subiacet omnis apex.
Rhenus ab Alpe means, neque tantis spumat* habenis,
Fortior Hadriacas nec Padus intrat aquas;
Danubius par est, qui longius egerat vndas,
Hæc ego transcendi; iudico nota mihi.

degalensis ecclesiæ episcopus.

B. Mariæ ædes.

Patria Leontij

*Garonnę
*arenis

F Muneri-

Corpus domini asseruatur in vasis sacris.
*ministerium.

Muneribusque piis dotasti altaria Christi,
Cum tua vasa ferunt viscera sancta Dei.
Nam cruor, & corpus domini libamina summi,
Rite * ministerio, te tribuente, venit.
O fœlix, cuius ditat pia templa facultas,
Cui res ista magis non peritura manet.
Non ærugo teret mordaci dente talentum,
Nec contra hæc fures arma dolosa mouent.
Et data res viuit, facit & bene viuere dantem,
Cum moritur terris, ducitur inde polis.
Hæc possessor habet, quidquid transmiserit ante,
Sola tenet secum quæ prius ire facit.
Hæc tibi templa dabunt, & vasa sacrata sacerdos
Et quidquid reliquum nec numerare queo.

*culmen

Ecclesiæ * columen per tempora longa gubernes
Et mercede pia fructus vbique mices.

Placidinæ coniugis olim Leontii Augustale genus.
*fasces.

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc coniux, est modo chara soror.
Lumen ab Arcadio veniens genitore refulget,
Quo manet Augustum germen Auite tuum.
Imperii * fastus toto qui rexit in orbe;
Cuius adhuc pollens iura senatus habet.
Humani generis si culmina prima requiras,
Semine Cæsareo nil super esse potest.

Placidinæ virtutes.

Sed genus ipsa suum sensus, & moderamine, vicit;
Cuius ab eloquio dulcia mella fluunt.
Chara, serena, decens, solers, pia, mitis, opima,
Quæ bona cuncta gerit, quidquid honore placet.
Moribus ingenio meritorum luce coruscans,
Ornauit sexum mens preciosa suum.
Plurima cur referam, quantis sit prædita rebus,
Quæ potuit votis nupta placere tuis?

B. Mariæ patrocinium.

Augeat hæc vobis vitam, cui templa dedistis,
Culminibusque suis culmina vestra regat.

XVI.

Hymnus de Leontio episcopo.

AGNOSCAT omne sæculum
Antistitem Leontium

Burdegalense præmium,
Dono superno redditum.
Bilinguis ore callido
Crimen fouebat inuidum,
Ferens acerbum nuntium,
Hunc iam sepulchro conditum.
Celare se non pertulit
Qui triste funus edidit,
Etsi nocere desiit
Insana vota prodidit.
Deceptus arte noxia,
Cassata deflet crimina,
Dum quæ putabat tristia,
Conuersa sunt in gaudia.
Exempla sæua protulit,
Calcanda cuncto tempore;
Vt iam sibi conscriberet
Decreta viuo antistite.
Fucata res hæc contigit,
Vitanda casto pectore,
Superstite vt præsumeret
Post fata quod vix * debuit.
Grauat sacerdos ordinem
Qui episcopatum sic petit;
Præcepta qui complectitur
Fugit honoris ambitum.
Hoc si cui sit debitum
Coactus ascendat gradum,
Non se petente callidè
Sed dante Christi munere.
Ineptus est quis ipse se
Præferre vult ecclesiæ:
Nam rem sacratam sumere,
Electio diuina sit.
Katus sacerdos ordinem
Hilarius non ambiit
Martinus illud effugit
Gregorius vix sustulit.
Leges refutant ambitum,

Ambitionis insectatio.
*desuit.

 Inua-

Inuaſor omnis pellitur,
Quod reſpuunt prætoria
Vitet nefas eccleſia.
Maligna erant certamina
De ſede non tamen ſua:
Quæ nec pati deſiderat
Non infert mens improba.
Nec longiore tempore
Verſantur in hoc murmure,
Dum cogitant ſuccedere,
Redit ſacerdos qui fuit.
Orante plebe, protinus
Dum nemo credit, redditus.
Quæ confluunt per triſtia.
Maiora ſunt hæc gaudia.
Plauſu fauebat ciuitas,
Cui redit felicitas,
Orbata, quem defleuerat,
Patrem recepit anxia.
Quem vix putabat redditum
Præuenta voto proſpero,
Res mira quando cernitur
Solet ſtupere viſio.
Recolligit rector gregem;
Errore captum ſuſcipit;
Paſtoris arce cognita,
Gauiſa ſunt ouilia.
Sumpſit gradum quo tempore,
Regreſſus eſt eo die.
Quis non ſuperno munere
Hoc contigiſſe prædicet?
Tantum nec ante præmium
Plebi fuit, cum factus eſt,
Lætata quantum tunc fuit
Quando recepit præſulem.
Venite ciues plaudite,
Et vota votis addite,
Quo facta ſunt miracula
Seruent eum cœleſtia.

Leontii reditus inopinatus.

Chriſtus

Xristus sereno lumine
Circumuolet, quem reddidit;
Vt trina crescat gratia.
Mercede, vita, gloria.
Ymnum canendo concrepet
Quisquis Deo non inuidet,
Laus eius est qui præsulem
De mortis ore retrahit.
Zelante fido pectore,
Tam vera dici non pudet,
Hæc parua nobilissimo
Papæ damus Leontio.

XVII.

Ad Placidinam matrem Leontii episcopi.

MVNERA parua nimis pia suscipe quæso libenter,
Quæ magis ipsa decens munus in orbe micas.
Fluctibus è mediis hæc vt daret, insula vobis
Oceanus tumidis murmure præstat aquis.
Quæ loca dum volui properans agnoscere, Ponti
A Borea veniens reppulit vnda furens.
Prosperitas vt vestra tamen se plena probaret,
Obtulit in terris, quod peteretur aquis.

XVIII.

*De * Bissono villa Burdegalensi.* *Bissonno

EST locus, æstifero quamuis sit tempore feruor
Quo viret assiduo flore refectus ager.
Respirant croceis depicta coloribus arua,
Flagrat odoriferis blandior herba comis.
Incola Bissonnum vocat hunc de nomine prisco,
Millia septem vrbs hinc Burdegalensis abest.
Quo possessor amans prætoria grata locauit,
Partibus æque tribus porticus æqua subit.
Strauerat ipsa solo senio rapiente vetustas,
Perdiderat vultum forma decora suum.
* Hunc, meliore via, reuocat labor ille Leonti, *Hæc
Quo præsente domus nulla ruina premit.
Nunc quoque prosperius velut aula sepulta resurgit,
Et fauet autori viuificata suo.

Reddidit interea prisco noua balnea cultu,
  Quo recreant fessos blanda lauacra viros.
Hic referunt nutrisse lupos deserta tenentes,
  Intulit hic homines, expulit vnde feras.

XIX.

De Vereginis villa Burdegalensi.

INTER opima ferax, qua voluitur vnda Garomnæ,
  Vereginis ripis vernat amœnus ager.
Hic breuis ascensus leni subit aggere cliuum,
  Carpit & obliqua mole viator iter.
Altior à planis aruis minor eminet altis;
  Necve humilis nimium, necvè superbit apex.
Colle sedet medio domus ædificata decenter,
  Cuius vtrunque latus, hinc iacet, inde tumet.
Machina celsa casæ triplici suspenditur arcu,
  Quo pelagi pictas currere credis aquas.
Exilit vnda latens viuo generata metallo,
  Dulcis & irriguo fonte perennis aquæ.
Quo super accumbens celebrat conuiuia pastor,
  Inclusoque lacu pisce natante bibit.
Nunc renouanda venit papæ mercede Leonti,
  Quem Dominum longo tempore culta cupit.

XX.

De Præmiaco villa Burdegalensi.

QVAMVIS instet iter, retraharque volumine curæ,
  At te pauca ferens carmina flecto viam.
Captus amore tui nunquam memoranda tacebo,
  Te neque prætereo prætereundo locum.
Qui cum digna loquar, si syllaba quarta recedat,
  Præmiacum pollens præmia nomen habes.
Delitiis obsessus ager, viridantibus aruis,
  Et naturalis gratia ruris inest.
Condita quo domus est, planus tumor exit in altum,
  Nec satis elato vertice regnat apex.
Qua super incumbens locus est deuexus in amnem,
  Florea gemmato gramine prata virent.
Leniter appulsus quoties insibilat Eurus,

Flexa supinatis fluctuat herba comis.
Hinc alia de parte seges flauescit aristis,
Pinguis & altricem palmes opacat humum.
Piscibus innumeris non deficit vnda Garomnæ,
Et si desit agris, fruges abundat aquis.
Sed te quærebant hæc munera tanta Leonti:
Solus defueras, qui bona plena dares.
Nam quod pulchra domus, quod grata lauacra nitescunt,
Consolidatorem te cecinere suum.
Vt tamen acquirant & adhuc fabricanda decorem,
Temporibus longis hæc tua dona regas.

XXI.

De Ægircio flumine.


LAVS tibi forte minor fuerat generose Garomna
Si non exiguas alter haberet aquas.
Lubricat hic quoniam tenuato Ægircius haustu,
Præfert diuitias paupere fonte tuas.
Denique dissimilem si comparet vllus vtrumque,
Hic vbi fit riuus tu, puto, Nilus eris.
Te famulans intrat, sed hunc tua regna refrenant
Gallicus Euphrates tu fluis, iste latet.
Nam quantum Oceanum tumidus tu cursibus auges,
Iste tuas tantum crescere præstat aquas.
Torrida præsertim cum terris incubat æstas,
Ac sitiente solo tristis anhelat ager.
Cum Titan radiis feruentibus exarat arua,
Et calor ignifero vomere findit humum,
Languidus arentes fugiens vix explicat vndas,
Et cum pisce suo palpitat ipse simul.
Flumine subducto vacuatas lambit arenas,
Sedibus in propriis exul oberrat aquis.
In limo migrante lacu consumitur amnis,
Terraque fit sterilis, quo fuit vnda rapax.
Deficiunt vsto solatia cuncta rigore,
Nomine cum proprio tristis & æger eget.
Forte viator iter gradiens non inuenit haustus,
Vnde alios recreet, qui sitit ipse sibi.
Se cupit infundi fluuius, si porrigis vndas

Ægircii fluuii multiplex ingenium.

Sita-

Si tamen est fluuius quem madefactat homo,
*lambens Gurgitis impressas * labens rota signat arenas.
Atque resudantes orbita sistit aquas.
Si venias equitando, viam sub tempore cancri
*insidiens Vix tamen*insidians vngula mergit, equi.
*insedens
Vidimus exiguum de limo surgere piscem,
Qui retinente luto naufragus errat humo.
Nec fluuius nec campus adest, nec terra, nec vnda,
Piscibus inhabilem nullus arare potest.
Sola palude natans querulos dat rana susurros,
Piscibus exclusis aduena regnat aquis.
At si forte fluat tenuis de nubibus imber,
Vix pluit in terris, iam tumet iste minax.
Ingentes animos parua de nube resumit;
Fit subito pelagus, qui fuit ante lacus.
Turbidus incedens vndis eget ipse lauari,
Semper inæqualis, cui nihil, aut satis est.
Non ripis contentus, agit compendia cursus,
Quod de monte bibit per sata plena vomit.
Vertice torrenti rapitur quasi morte tyranni
Indignatus iter munera vastat agri.
* sed Discurrit seges in fluuium * stat piscis in agro,
Ordine peruerso messe natante iacet.
Quæ fuerant ouibus, donantur pascua ranis,
Prata tenent pisces, & trahit vnda pecus.
Obtinet expulsus stabulum campestre silurus
Plus capitur terris, quam modo piscis aquis.
Sarcula quos foderent agros mala retia miscent,
Figitur hic hamus, quo stetit ante palus.
Sors vna est, piscis siccent, aut flumina crescant,
Nunc residet limo, nunc iacet exul agro.
Sed cur triste diu loquimur de gurgite paruo?
Vritur & verbis, nec recreatur aquis.
Sufficiat flagrare sibi, cur addo vapores?
Atque bis æstiuum crescere tempus ago?
Vnica sed tandem damus hæc solatia laudis,
Quod tribuit pisces euacuatus aquis.

VE-



VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTV- NATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER SECVNDVS.

I.

De cruce Domini.



Rvx benedicta nitet Dominus qua carne pependit,
Atque cruore suo vulnera nostra lauat.
Mitis amore pio pro nobis victima factus,
Traxit ab ore lupi qua sacer agnus oues.
Transfixis palmis vbi mundum à clade redemit.
Atque suo clausit funere mortis iter.
Hic manus illa fuit clauis confixa cruentis,
Quæ eripuit Paulum crimine, morte Petrum.
Fertilitate potens, ô dulce & nobile lignum;
Quando tuis ramis tam noua poma geris.
Cuius odore nouo, defuncta cadauera surgunt;
Et redeunt vitæ qui caruere die.
Nullum vret æstus sub frondibus ar boris huius:
Luna nec in noctem, sol neque meridie.
Tu plantata micas, secus est vbi cursus aquarum,
Spargis & ornatas flore recente comas.
Appensa est vitis inter tua brachia, de qua
Dulcia sanguineo vina rubore fluunt.

II.

In honorem sanctæ crucis hymnus.

PANGE lingua gloriosi prælium certaminis,
Et super crucis trophæo dic triumphum nobilem.
Qualiter redemptor orbis immolatus vicerit.

De parentis protoplasti fraude facta condolens,
* morte. Quando pomi noxialis morsu in * mortem corruit,
Ipse lignum tum notauit damna ligni vt solueret.
Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris arte vt artem falleret,
Et medellam ferret inde, hostis vnde læserat.
Quando venit ergo sacri plenitudo temporis,
Missus est ab arce patris, natus orbis conditor,
Atque ventre virginali carne factus prodijt.
Vagit infans inter arcta conditus præsepia,
Membra pannis inuoluta virgo mater alligat;
Et pedes, manusque crura, stricta cingit fascia.
Lustra sex qui iam peracta, tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc passioni deditus.
Agnus in crucis leuatur immolandus stipite.
Hic acetum, fel, arundo, sputa, claui, lancea,
Mite corpus perforatur, sanguis, vnda, profluit,
Terra, pontus, astra, mundus quo lauantur flumine.
Crux fidelis inter omnes arbor vna nobilis,
Nulla talem sylua profert, flore, fronde, germine.
Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus sustinens.
Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille quem dedit natiuitas,
Vt superni membra regis miti tendas stipite.
* sæcli pretium. Sola digna tu fuisti ferre * precium sæculi
Atque portum præparare nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit, fusus agni corpore.

III.

* vel. *In honorem sanctæ crucis * & oratorii domus ecclesiæ apud Turonos.*

VIRTVS celsa crucis totum recte occupat orbem,
Hæc quoniam mundi perdita cuncta refert.
Quodque ferus serpens infecit felle veneni,
Christi sanguis in hac dulce liquore lauat.
Quæque lupi fuerant raptoris præda ferocis,
In cruce restituit virginis agnus oues.
*pandens Tensus in his ramis cum plantis brachia *pendens,
Ecclesiam stabilit pendulus ipse cruce.
Hoc pius in ligno reparans deperdita pridem,

Quod

Quod vetiti ligni poma tulere boni.
Addita quin etiam virtutum flamma coruſcat,
Dona quod obſequijs crux parat ipſa ſuis.
Denique ſancta cruci hæc templa Gregorius offert,
Dum pallas coperit, ſigna gerendo crucis,
Dona repente dedit diuina potentia Chriſtus,
Mox fuit & voti cauſa ſecuta pij.
Pallia nam meruit, ſunt quæ cruce texile pulchra,
Obſequijsque ſuis crux habet alma cruces
Serica quæ niueis ſunt *agnaua blattea telis,
Et textis crucibus magnificatur opus.
Sic cito pontifici dedit hæc deuota voluntas,
Atque dicata cruci condita vela placent.
Vnde ſalutifero ſigno tibi clare ſacerdos
Hoc cui complacuit, reddere magna valet.

* agnina



IV.

Item de ſignaculo ſanctæ Crucis.

DiusapexCARNEEFFINGENSGENITalialimi
VitaliterRaeconpingitſangVinegluten
LuciferaxaVraſanimanteſaFfluitillic
ConditureniXanſadamfactOriſadinſtar
ExiluitprotoPlaſmaſoloReſnobiliſuſu
DiueſinarbitrIoradianTiluminedehinc
ExmembriſadaeuAſfittVmvirginiſheuae
CarnecreatrauiriDehiNccopulatureidem
VtparadiſsiacobEnelAetareturinhortO
SEddeſedepiapepVlitTemerabileguttVA
SeRpentiſſuaſupOmiſVcoatrapropinAnS
InſAciatricimorTifaMeſacciditilIinC
GauiSuruſobhoccAeliFluiſarceloCatoR
NaſciPronobiſmiSeraRiſetulcerEclauI
IncrucEconfigitAlimAlagmateiNunctiS
VnaſaluSNOBISLIGNOAGNISANGVIneueniT
IucundaſpecieſiNtepIabracchiacriſtI
AffixaſteterantEtpaLmapiabiliſinhaC
CaracaropoenaſiNmitEſſuſtulithauſtV
ArborſuAVISAGRITECVMNOVAVITAparatuR
ElectaVtuiſuſicEcruCiſordinePulchrA
LumenSpeſſcutumGereRiſliuoriſAbictV
InmoRtaledecuſnEceiVſtilaetapaRaſtI
VnaOmnemuitamſiCcruXtuacauſarigAuiT
ImBrecruentapioVeliSdaſnauitaporTuM
TRiſtiaſummerſoMundAſtiuulneraclaVO
ArbordulciſagriRoraNſecorticenectaR
RamiſdecuiuſuitAliaCriſmatafragrant
ExcellenſcultuDiuaorTufulgidafructu
DelicioſaciboEtperpomAſuauiſinumbra
EnregiſmagniCemmanſeTnobileſignum
MuruſetarmaViriſuirtuſlVxaraprecatu
PandebenigNauiamuiuaxetfErtilelumen
TummemoraDfero'pemnobiſègeRminedauid
IncrucerEXFIXVSIVDEXCVMPRAEcritorbi

DE

V.

DE SANCTA CRVCE.

F x t o r q u e t h o c s o r t e d e i u e n i a b i l e s i g n u m
R u s t i c o l a s l a u d e s u i u e n t i r e d d e r e f l a t u
I n m e q u i r e g i t i r e u t u n p l a s m a b i l e n u m e n
P o r t i o u i u e n t u m c u r a t i o f a u s t a m e d e l l a e
E x c l u ſ o r c u l p a e t r i n i t a s e f f u ſ a c r e a t o c
C u i u s h o n o r l u m e n i u s g l o r i a r e g n a c o a e u e
R i t c c
E h e o r
D i m l i
E l p l s
N i l e t
T g a s e
E n d l t
S u e i u
F m i g o
I p c n r
D i r u e
F x f i d e i m e r i t o m a g n u m p i e r e d d i t a b r a h a m
I m x g o
D a e c u
E i t n c
C u u e t
V s e r u
S o l a r
A d a s c
R o m t a
M r e i u
A e n s s
S r a h a
A o d o r
L s o n e
V e r c a
T t a r t
I i n i u
S i c p a t e r e t g e n i t u s s i c e t s p i r i t u s u n u s

VI.

De sancta Cruce.

S V L A S A S A L V S

L A S A T A S A L

S A T R T A S

T R E R T

R E C E R

E C I C E

C I H I C

M   I H I H I   M

V I   H I M I H   C V

I G V   I M X M I   M E Ç

G V F E R I H I M X V X M D O M I N I M E

V F E R I H I M X V R V X D O M I N I M

F E R I H I M X V R C R V X D O M I N I

V F E R I H I M X V R V X D O M I N I M

G V F E R I H I E X V X E D O M I N I M E

I G V   S E X E S   M E C

V I   T S E S T   C V

M   Q T S T Q   M

V Q T Q V

A V Q V A

M A V A M

S M A M S

E S M S E

M E S E M

P M E M P

E P M P E

A R E P E R A

O D A R E R A D O

O R O D A R A D O R O

ἀνάλυσις

Crux mihi certa salus, crux est quam semper adoro:
Crux Domini mecum; crux mihi refugium.

Hymnus

VII.

Hymnus in honorem sanctæ crucis.

VExilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.
Confixa clauis viscera,
Tendens manus vestigia
Redemptionis gratia,
Hic immolata est hostia.
Quo vulneratus insuper
Mucrone diro lanceæ,
Vt nos lauaret crimine,
Manauit vnda * sanguine, *&
Impleta sunt, quæ concinit
Dauid, fideli carmine,
* Dicens; in nationibus *dicendo.
Regnauit à ligno Deus.
Arbor decora & fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata, cuius brachijs
Precium pependit sæculi.
Statera facta est corporis
Prædam tulitque Tartari,
Fundis aroma cortice,
Vincis sapore nectare,
Iucunda fructu fertili,
Plaudis triumpho nobili.
Salue ara; salue victima;
De passionis gloria
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam reddidit.

VIII.

De Domno Saturnino.

IANVA celsa poli terra pulsante patescit,
Et recipit natos, quos generauit humus.

Admi-

Admiranda hæc est occasio facta salutis,
Vt de morte sua præmia lucis emant;
Saturninus enim cupiens se nectere Christo,
Carnali in habitu noluit esse diu.
*dissolui. Vincula corporei *dissoluere carceris optans,
Plenius vt Domino se sociaret homo.
Tempore maturo cum iam spes esset adulta,
Saturninus Tolosæ episcopus. Eius res gestæ. Sumpserunt precium vota beata suum.
Dumque sacerdotio frueretur in vrbe Tolosa,
Et populis Christum panderet esse Deum:
Ostendens verbis, addens miracula factis,
Vt quod sermo daret consequeretur opus.
Gentiles animas rapiens de fauce tyranni,
Subdebat regi, qui dedit arma sibi.
Martyrium, Sed vitiata malis, & plebs infecta venenis,
Curari effugiens, ægra iacere volens,
Comprendit male sana virum; ad capitolia duxit,
Atque suo medico vulnera plura dedit.
Pro pietate dolum, pro melle venena rependens,
Contra tutorem noxia bella mouet.
Subligat indomiti Sanctum & vestigia tauri,
Et stimulat, fieret ne fuga tarda feri.
Pessima mens hominum diri noua bestia monstri,
Nec tauri indomiti sufficit ira tibi.
Naturæ rabidæ feritatem adiungere nosti,
Quod per se nescit, te stimulante furit.
Turba cruenta, nocens, huius te vulnere perdis,
Et si non illi, parcere disce tibi.
*Hinc. *Hîc ferus, impatiens mox curua per auia raptus,
Passim membra pij fundit in vrbe viri
Sepultura. Tum mulier collegit ouans, & condidit artus,
*Vna sed *Sola vna famula participante sibi;
Hæc fuit insignis rapiendæ causa coronæ,
Gloria martyrij sic celebrata nitet.
Miracula. Ante sepulchra pij dantur modo dona salutis,
Et corpus lacerum corpora multa fouet.
Dic vbi mors inimica iaces? vbi victa recumbis,
Quando vides sancti funere vota dari?

Quem

Quem malè credebas obitu finire salutem,
Dat vitam multis, & tenet ipse suam.
Huc captiua cubas, qui te regnare putabas,
Inuadendo peris, teque furendo necas.
Te tua pœna premit, tua te fera vincula torquent,
Quos dare vis gemitus, ipsa ferendo gemis.
Martyr ouans cœlos retinet, tu liuida, tristis
Mors, inimica tibi Tartara nigra colis.
Florigera nunc sede manet sine fine beatus,
Inter odoratos thure * calente choros. *thura adoletque.
Non aliquas metuit placato iudice causas,
Præmia sed miles victor habenda petit.
Digna triumphantem, quæ restat palma, sequetur;
Pro te Christe mori est gloria, vita, quies.

IX.

De Launebode qui ædificauit templum S. Saturnini.

LAVDIBVS humanis reliquorum corda resultent,
At mihi de iustis commemorare vacet.
Nam pietatis opus victores texere libris, Encomiasten agere sanctorũ.
Admonet ingenium res ratione duplex;
Vna, quod est * habilis, de magnis magna fateri, *habilem.
Nam bona qui reticet, criminis autor erit.
Altera causa monet, quoniam * successus amatur, *successus amore.
Et meliora cupit, qui sua facta legit.
Saturninus enim martyr venerabilis orbi;
Nec latet egregii palma beata viri.
Qui cum Romanâ properasset ab vrbe Tolosam, Saturninus Roma Tolosam missus.
Et pia Christicoli semina ferret agri.
Tunc vesana cohors, Domini comprehendit amicum,
Instituitque pii membra terenda trahi.
Implicitus tauri pede posteriore pependit, Certat pro fide.
Tractus in obliquum dilaceratus obit.
Hac ope de terris animam transmisit Olympo;
O fœlix cuius funere mors moritur.
Sed locus ille quidem quo sanctus vincula sumpsit, Vinculorũ locum Launebodes tẽplo illustrat erecto.
Nullius templi fultus honore fuit.
Launebodes enim, post sæcula longa, ducatum
Dum gerit, instruxit culmina sancta loci.
Quod nullus veniens Romana gente fabriuit,

Hoc vir barbarica prole peregit opus.
Coniuge cum propria Berethrude clara decore,
Pectore quæ blando clarior ipsa nitet.
Cui genus egregium fulget de stirpe potentum,
Addidit ornatum vir venerando Deum.
Quæ manibus propriis alimonia digna ministrat,
Pauperibus tribuens se satiare cupit.
*fidem Indefessa * spem Christi per templa requirit,
Iugiter excurrens ad pietatis opus.
Nudos veste tegit, sitienti pocula profert;
Se magis æterno fœmina fonte replet.
Proficit hoc etiam, quidquid gerit illa marito;
Anxia pro cuius vota salute facit.
Dux meritis in gente sua qui pollet opimis,
Celsus vbique micans nobilitatis ope.
Sed quamuis altum teneat de stirpe cacumen,
Moribus ipse suos amplificauit auos.
Ergo pari voto maneant in sæcula iuncti,
Et micet ambobus consolidatus amor.

X.

Ad clerum Parisiacum.

COETVS honorifici decus & gradus ordinis ampli,
Quos colo corde, fide, religione patres;
Iam dudum obliti desueto carmine plectri
Cogitis antiquam me renouare lyram.
*stimulastis. En stupidis digitis * stimulatis tangere chordas,
Cum mihi non solito currat in arte manus.
Scabrida nunc resonat mea lingua rubigine verba,
Exit & incompto raucus ab ore fragor.
Vix dabit in veteri ferrugine cotis acumen,
Aut fumo infecto splendet in ære color.
Sed quia dulcedo pulsans quasi malleus instat,
Et velut incude cura relisa terit.
Pectoris atque mei succenditis igne caminum,
Vnde ministratur cordis in arce vapor;
Obsequor hinc, quia me veluti fornace recocto
Artis ad officium vester adegit amor.
*clerus Celsa Parisiaci * cleri reuerentia pollens,
Ecclesiæ genium gloria munus, honor.

Carmi

Carmine Dauidico diuina poëmata pangens,
Cursibus assiduis dulce reuoluit opus.
Inde sacerdotes, Leuiticus hinc micat ordo:
Illos canicies, hos stola pulchra tegit.
Illis pallor inest, rubor his in vultibus errat,
Et candent rutilis lilia mixta rosis.
Illi iam senio sed & hi bene vestibus albent,
Vt placeat summo picta corona Deo.
In medio Germanus adest antistes honore,
Qui regit hinc iuuenes, subrigit inde senes.
Leuitæ præeunt; sequitur grauis ordo * ducatum,
Hos gradiendo mouet, hos moderando trahit.
Ipse tamen sensim incedit, velut alter Aaron;
Non de veste nitens, sed pietate placens.
Non lapides, coccus, cidarim, aurum, purpura, byssus
Exornant humeros, sed micat alma fides.
Iste satis melior veteri quam lege sacerdos,
Hic quia vera colit quod prius vmbra fuit;
Magna futura putans, præsentia cuncta refellens,
Antea carne carens, quam caro fine ruens.
Sollicitus, quemquam ne deuoret ira luporum,
Colligit ad caulas pastor opimus oues.
Assiduis monitis ad pascua salsa vocatus,
Grex vocem agnoscens currit amore sequax.
Miles ad arma celer, signum mox tinnit in aures,
Erigit excusso membra sopora toro.
Aduolat ante alios, mysteria sacra requirens,
Vndique quisque suo templa petenda loco.
Flagranti studio populum domus irrigat omnem,
Certatimque monent quis prior ire valet.
Peruigiles noctes ad prima crepuscula iungens
Construit angelicos turba verenda choros.
Gressibus exertis in opus venerabile constans,
Vim factura polo cantibus arma mouet.
Stamina psalterii lyrico modulamine texens,
Versibus orditum carmen amore trahit.
Hinc puer exiguis attemperat organa cannis.
Inde * senex largam ructat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces calamis miscentur acutis,
Disparibusque tropis fistula dulce sonat.

Psalmodia cleri Parisiensis.

S. Germani Parisiensis elogium.

* cancetum.

Parisiensis populi pietas & hymnodia.

* senis.

Tympana rauca senum puerilis tibia mulcet,
 Atque hominum reparant verba canora lyram.
Leniter iste trahit modulus, rapit alacer ille,
 Sexus & ætatis sic variatur opus.
Triticeas fruges feruens terit area Christi,
 Horrea quandoquidem constructura Dei.
Voce creatoris reminiscens esse beatos,
 Quos dominus, vigiles dum redit ipse, videt.
In quorum meritis, animo, virtute, fideque,
 Tegmine corporeo lumina quanta latent?
Pontificis monitis clerus, plebs psallit, & infans,
 Vnde labore breui fruge replendus erit.
Sub duce Germano fœlix exercitus hic est,
 Moses tende manus, & tua castra iuua.

XI.

De Ecclesia Parisiaca.

SI Salamoniaci memoretur machina templi,
 Arte licet par sit, pulchrior ista fide.
Nam quæcunque illic veteris velamine legis
 Clausa fuêre, prius hic reserata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo,
hæc Clarius hîc Christi sanguine tincta nitet.
Illam aurum, lapides, ornarunt cedrina ligna,
 Huic venerabilior de cruce fulget honor.
Constitit illa vetus, ruituro structa talento,
 Hæc precio mundi stat solidata domus.
Speculariorum vitreorum vsus in templis. Splendida marmoreis attollitur aula columnis,
 Et quia pura manet, gratia maior inest.
Prima capit radios vitreis oculata fenestris
manus. Artificisque manu clausit in arce diem.
Childeberti regis in templa & sacra propensio. Cursibus auroræ vaga lux laquearia complet,
 Atque suis radiis & sine sole micat.
Hæc prius egregio rex Childebertus amore
 Dona suo populo non moritura dedit.
Totus in affectu diuini cultus adhærens,
 Ecclesiæ iuges amplificauit opes.
Melchisedech noster merito rex atque sacerdos,
 Compleuit laicus relligionis opus.

Publica

Publica iura regens, & celsa palatia seruans,
Vnica pontificum gloria, norma fuit,
Hinc abiens, illic meritorum viuit honore,
Hic quoque gestorum laude perennis erit.

XII.

De baptisterio Maguntiæ.

ARDVA sacrati baptismatis aula coruscat,
Quo delicta Adæ Christus in amne lauat.
Hic pastore Deo puris grex mergitur vndis,
Ne maculata diu vellera gestet ouis.
Traxit origo necem de semine, sed pater orbis
Purgauit medicis crimina mortis aquis.
Hanc tamen antistes Sidonius extulit arcem, Sidonius Maguntiaci episcopus.
Qui Domini cultum templa nouando fouet.
Struxit Berthoaræ voto complente sacerdos Berthoara
Quæ decus ecclesiæ cordis amore placet.
Catholicæ fidei splendor, pietate coruscans
Templorum cultrix, prodiga pauperibus.
Seminat vnde metat fruges, spargendo, recondens;
Terrenis opibus non moritura parat.
Filia digna, patri te Theodeberte reformans Theodoberti F.
Rexisti patriam qui pietate patris.
Et comitante fide reuocasti ex hoste triumphos,
Sed capti precio mox rediere tuo.
Ecclesiæ fultor, laus *regni, pastor egentum, *regum. Theodoberti regis clementia & liberalitas.
Cura sacerdotum, promptus ad omne bonum.
Cuius dulce iugum nullus gemuisse fatetur,
Viuis adhuc meritis rex in amore tuis.

XIII.

De basilica S. Georgii.

MARTYRIS egregii pollens micat aula Georgi S. Georgii basilica Maguntina.
Cuius in hunc mundum spargitur altus honor:
Carcere, cæde, fame, vinclis, site, frigore, flammis,
Confessus Christum duxit ad astra caput.
Qui virtute potens Orientis in axe sepultus,
Ecce sub occiduo cardine præbet opem.
Ergo memento preces, & reddere *dona viator, *vota.

Obtinet hic meritis, quod petit alma fides.
Condidit antistes Sidonius ista decenter.
Proficiant animæ quæ noua templa suæ.

XIV.

De oratorio * *Trasarici.*

*Trisarici & Trasaraci.

L V C I D A perspicui nituerunt limina templi
Quo capit haud dubiam spem, veneranda fides.
Hæc est aula Petri, cœlos qui claue catenat,
Substitit & * pelagus quo gradiente, * lapis.

*pelagi.
*lacus.

Sedibus his habitat Paulus, tuba gentibus vna,
Et qui prædo prius, hic modo præco manet.
Martini domus est Christum qui vestit egentem
Regem tyro tegens & homo iure Deum.

S. Remedius.

Ecce sacerdotis sacri micat aula Remedi
Qui tenebras mundi liquit & astra tenet.
Cultor opime Dei, templum Trasarice locasti,
Has cui persoluis, reddit amator opes.

XV.

De sanctis Agaunensibus.

* persequebâtur.

T V R B I N E sub mundi cum persequerentur iniqui,
Christicolasque daret sæua procella neci;
Frigore depulso, succendens corda, peregit
Rupibus in gelidis feruida bella fides.

S. Mauritius.

Quo pie Mauriti ductor legionis opimæ
Traxisti fortes subdere colla viros.
Quos positis gladiis armarent dogmata Pauli
Nomine pro Christi dulcius esse mori.
Pectore belligero poterant qui vincere ferro,
Inuitant iugulis vulnera chara suis.
Hortantes se clade sua sic ire sub astra,
Alter in alterius cæde natauit heros,

Palæstra martyrii.

Adiuuit rapidas Rhodani fons sanguinis vndas,
Tinxit & Alpinas ira cruenta niues.
Tali fine polos fœlix exercitus intrans
Iunctus Apostolicis plaudit honore choris.
Cingitur angelico super astra beata senatu,
Mors fuit vnde prius, lux fouet inde viros.

Ecce triumphantum ductor fortissime, tecum
Quatuor hic procerum pignora sancta iacent;
Sub luteo tumulo latitat celeste talentum,
Diuitiasque Dei vilis arena tegit.
Qui faciunt sacrum paradisi crescere censum
Hæredes domini luce perenne dati.
Sidereo chorus iste throno cum carne locandus,
Cum veniet iudex, arbiter orbis erit.
Sic pia turba simul festinans cernere Christum
Vt cœlos peteret, de nece fecit iter.
Fortunatus enim per fulgida dona tonantis
Ne tenebris crucier, quæso feratis opem.

Inuocatio Sanctorum.

XVI.

De S. Hilario.

SI Hilarium quæris, quis sit, cognoscere, lector.
Allobroges referunt Pictauiis genitum.
Cùm populum regeret diuina mente sacerdos,
Seruabat legis fœdera, sollicitus.
Improbus vt vidit plebes quod scinderet error,
Græcorum virus protulit in medium.
Vipereo promunt semper qui ex corde venena,
Filius vt dicant quia est creatura Dei.
Queis magis auxilium præstat sapientia mundi,
De ingenito genitum, quæ negat esse Deum.
Quam malè complexus, cupiens calcare prophetas,
Arrius infœlix, cum retinet, crepuit;
Egregius doctor veterum monimenta secutus,
Quem Stephanus vidit, comprobat esse Deum.
* Vinctus amore Dei, contempto principe mundi;
Intemerata fides pertulit exilium.
In patre, qui omnipotens Deus est, cognoscere natum
Diuinis tantum vocibus insinuat.
Perpetuum lumen Christum, Dominumque Deumque.
Bissenis populos edocet esse libris.

Hilarii natale suum.

Eius aduersus Arrianos zelus.

Arrii interitus.

B. Hilarii exilium.
*Victus.

Eius libri de Trinitate.

XVII.

De S. Medardo Episcopo.

INTER Christicolas, quos actio vexit in *astra;
Pars tibi pro meritis magna, Medarde, patet.

*astris
Vitæ eius summa.

Qui

Vita eius summa.
*cœlos
*redderis

Qui sic vixisti terrenis hospes in oris,
Vt *cœlum, patriam * crederis esse tuam.
Exilium tibi mundus erat, cænosa cauenti,
Et modo, te, gaudet, ciue manente, polus.
Exutus tenebris, vestitus tegmine lucis,
Post obitum frueris liberiore die.

Sæculi fuga.

De tellure satus factus possessor Olympi,
Et matrem linquens cum patre, læta tenes.
Humani victor vitii, super astra triumphas;
Atque cremans carnem, das animæ requiem.
Te inter mundanos vepres gradiente, fatemur,
Calcatis spinis, promeruisse rosas.
Flore refectus ager, suaues tibi fundit odores,
Balsama, thura, replent, quæ paradisus habet.
Cauta per angustum figens vestigia callem,
Sic dedit arcta tibi semita lucis iter.
Lata voluptatum via, quæ submergit Auerno,
Dulcia carnis alens, mortis amara parat.
Hoc nunquam sacros flexisti tramite gressus;
Nec potuere tuos praua tenere pedes.
Durum iter ad laudes, grauior via ducit in altum,
Quo labor est potior; gloria maior erit.
Quæ prius incipiam sacri miracula facti,
Cùm quidquid facias, omnia prima micent.

*fugit.

Dum *fuit ad superos humano in corpore vita,
Ex oculis fugiens lux tibi cordis erat.

Cæcos illuminat c. 23. vitæ S. Medardi.
*perfectu.
Fur vitium labyrintho mirè implicatur c. 10.
*foris.

Si cæcus venit, rapuit palpando salutem,
In mediis tenebris fulsit aperta dies.
Qui voluit furti causas penetrare latentes,
Te religante sedet, te reserante fugit.
Fur sine *perfecto voto deceptus inani,
Omnia restituens, crimina fraudis habet.
Nam semel vt molles carpserunt palmitis vuas,
Non valuere gradus inde referre *foras.
Nec potuit raptor pedibus subducere prædam,
Raptori abduxit sed sua præda pedes.
Ergo suis laqueis cæpit miser esse ligatus,
Venerat vt caperet, captus at ipse fuit.
Nec tetigit mustum, sed iniqua mente rotatur,

Antea

Antea quam biberet, ebria turba iacet
Incepit seruare magis, quam ferre racemos,
Et datus est custos, qui cupit esse rapax.
Donec, sancte, tuis verbis tu iussisses abire,
Vt furtum impleret, doctus ab hoste redit.
Quæ manet hæc animi pietas, sanctissime præsul,
Lædentem auxilio qui facis ire tuo?
Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille,
Qui iumentorum colla tenere solet.
Absconditque sinu, fœno præcludit hiatum,
Et tenet ipse manu, ne manifestet opus.
Te veniente sacer causas patefecit opertas,
Tinnitu incipiens iam quasi furta loqui.
Nil valet abscondi, nil claudi, nil ve teneri,
Facundo strepitu prodidit omne malum.
Pandebat propriam veluti sub iudice causam,
Nil de fure timens liberiore sono.
Indicat, accusat, conuincit, damnat, acerbat,
Te præsente tamen non licet esse reum.
Absoluis furem, solitæ pietatis amore
Addens, & monitus cautus vt intret iter.
Præcipiens querulam secum portare rapinam,
Ne vacua tristis spe remearet inops.
Hinc tamen, vt potero, cum raptus ab vrbe fuisses,
Quæ dederis populis signa verenda loquar.
Cum pia composito veherentur membra feretro,
Subtractum metuit cæcus habere diem.
Anxius ille, sacra lumen suscepit ab vmbra,
Et tua mors, illi lucis origo fuit.
Dumque sepulchra darent, oculi rediere sepulti,
Et sopor ille tuus, hunc vigilare facit.
Cum fugis à mundo, datur illi lumine mundus,
Te linquente diem, hunc fugiunt tenebræ.
Antiqui vultus lucem stupuere modernam,
Et veteri fabricæ prima fenestra venit.
Cum pedibus validis, alter manicisque ligatus
Mox tetigit templum, ferrea vincla cadunt.
Tam graue fragmentum dolor est vel cernere, pœnam.
Pondera tot miseros sustinuisse pedes.

Tintinabulum sponte vbique sonans prodit tauri abigeum. c. 12.

Cæci illustratio. c. 23. in funere S. Medardi.

Vincti cōpedibus & ferro onusti mirè soluuntur. c. 29.

Si connexa forent, elephantem soluere possent,
Nec poterat rigidos ipse mouere gradus.
Non minus est illi, quæ subuertente procella,
Littoribus Lybicis anchora fracta iacet.
Pœna quidem grauior, cecidit crescente triumpho,
Vincere rem sæuam gloria maior erat.
Non habuit tot vincla pati miser ille, ligatus,
Sed tua quo virtus plus mereretur opus.
Cum solidarentur, non sic strepuere catenæ,
Ceu tinniuerunt, cum crepuere feræ.
Quæ fuit illa prius nimiis male vincta catenis;
Iam tibi qui soluis, libera dextra fauet.
cap. 37. Lignea vincla gerens alter confugit ad aulam,
Quæ simili merito scissa repente cadunt.
Nec mora, vix tetigit sacrati limina templi,
Fit tonitrus cœlis, arma ferendo tibi;
Grandia diuisi ceciderunt pondera ligni,
Et qui gessit onus, corruit ipse simul.
Expauit subito de libertate recepta,
Atque magis timuit, quandò solutus erat.
Quæ ratio fuerit, cecidit cur pronus in artus,
Gaudia magna quidem sæpè timere solent.
Dum stupet vnde salus laceris est reddita plantis,
Admirante animo, membra soluta fluunt.
Arida manus feminæ sanatur. c. 38. Inde vetus mulier, pariter nascente periclo
Vulnere naturæ mortua membra tulit.
Inclusos digitos, morbo numerante, tenebat,
Nec poterat ducto pollice, fila dare.
Secum nata quidem, sed non sua dextra pependit,
Corpore iuncta suo res aliena fuit.
Tempore sed tardo est, cum iam spes fracta iaceret,
Ante tuos tumulos, viuificata manus.
Sic inopinatum commendat gratia votum,
Desperata salus dulcior esse solet.
Mobilis ergo venit digitis torpentibus humor,
Et dispensatus fluxit in vngue vigor:
Arida neruorum sese iunctura tetendit,
Agnouitque suum vena soluta locum.
Apta ministeriis incepit palma moueri,

Seruitium

Seruitium discens libera dextra fuit.
Nec tantum profugos pietas tua reddidit artus,
Reddidit & victum pensa trahente manu.
Eripuisti aliam simili de peste puellam,
Membraque restituens plus animæ tribuis.
Desponsata viro, mortali lege, iacebat;
Nunc thalamis Christi virgo dicata micat.
Sponsa quidem radiat cum virginitate modesta,
Spe meliore fruens, nupta tenenda polis.
Nec fructus vteri sterilis deperdit honesti,
Flore pudicitiæ mater habenda placet.
Acquirit cunctos, natum quoque non habet vnum,
Progeniemque sibi gignit amore Dei.
Inde pari morbo deflenda infantia parua,
In lucem veniens membra necata trahit.
Mors & origo simul misero processit ab aluo,
Extinctam generans mater anhela manum:
Commendata tuo rediit medicata sepulchro
Quod de matre perit de tumulo recipit.
Dum iacet alter inops visu caligine clauso
Cæcus, nec misero lumine lumen erat,
Longa nocte oculos, quarto iam mense, premebat,
In* luce obscurus, viuus imago necis.
Vocibus hunc medicis, monuisti tempore somni,
Tenderet vt velox ad tua templa gradum:
Mox veniente die, sed non sibi forfice pressa
Enituit Christi vertice tonsus * oues
Detrahit hic crines, nitidos vt haberet ocellos,
Et mercante coma, munera lucis emat.
Qui titubante gradu, tractus peruenit ad aulam,
Per biduum recubans ante sepulchra fuit.
Tertia lux rediens nocturnas soluerat vmbras,
Et cæco occurrit sic reuocata dies.
Vndique * linitæ cecidere à fronte tenebræ,
Sanguinis vnda rigat, luminis atra lauat.
Sicca lucerna nouo flagrante refulsit oliuo,
Obtinuitque suum lux peregrina locum.
Quid referam mutis, qui, verbo, verba dedisti?
Quod grauat eiiciens, quod iuuat, omne locans.

Puellam à se sanatam S. Medardus Christo dicat virginem.

Infantem malè natum sanat.

Cæcus mirabiliter oculos recipit.
*lucem.

*ouis.

*limatæ.

Cuncta nec enumero, tua me præconia vincunt.
  Et si non potui, velle fuisse, vide.
Sigebertus rex S. Medardi studiosus. En tua templa colit nimio Sigibertus amore,
  Insistens operi promptus amore tui.
Culmina custodi qui templum in culmine duxit:
  Protege pro meritis qui tibi tecta dedit.
Inuocatio S. Medardi. Hæc pie pauca ferens ego Fortunatus amore
  Auxilium posco, da mihi vota precor.

VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER TERTIVS.

I.

Ad Euphronium episcopum Turonensem.

DOMNO SANCTO ET MERITIS APOstolico domno & dulci patri Euphronio papæ, Fortunatus.



ANTE, paucorum dierum volubilitate transcursa,* deferéte præsentium *portitore venerabilis oris vestri salutare colloquium à me cœlesti pro munere, significo, fuisse perceptum; quod ea auiditate, teste rerum creatore, complexus sum, qua & vestrum piissimum animum circa meam humilitatem iugiter approbaui profusum; & me supplicem, multis *repletum beneficiis, agnosco deuotum. Qui quamuis in altera commorer ciuitate, nouit Deus, qui à vobis absens sum tantum modo loco, non animo; & *quocunque fuero, intra me vos clausos habebo. Verè dico, non est illud cor carneum, vbi vestræ animæ non recipitur miranda dulcedo, sed est marmore durior, si tantæ charitatis non amplectitur blandimento. Nam quis de te tam congrua prædicet, quam mens verè sancta deposcit? Aut quis suo sic satisfaciat animo, vt vestrum, sicut condecet, dignè prodat affectum, qui in terra sic humilis es, vt habites erectus in cœlis: & inclinando ad infima, subleuari te facias ad excelsa, vt iam agnoscaris, qui Christi humilitatem Iinter amplecteris, de eius regni munere, quid habebis. Quoniam, sicut ipsius

*deferentem. *portitorem. *copiosum. *unq;

ipsius mandata sunt, qui se paruulum inter homines vult videri, magnificum se elatus respiciet in supernis, vnusquisque qualiter desiderat, & exponat. Ego verò gratulor, in corde domni Euphronii dilectionem domni mei* sedisse Martini, qua propter multiplici me prece Apostolatui, & san- *sensisse.
ctæ charitati vestræ commendans, rogo per ipsum domnum Martinum, cuius frueris participato consortio; vt apud eum memorari præcipias me famulum & deuotum, quatenus, quid apud eum meritis præualetis, in meæ humilitatis protectione iugiter ostendatis. Ora pro me, domne sancte, & Apostolice, peculiaris domne & pater.

II.

Domno sancto mihique in Deo peculiari patrono Euphronio papæ, Fortunatus.

COPIOSAM & superabundantem pectoris vestri dulcedinem, quam circa deuotionem personæ meæ, vestram beatitudinem pater amantissime, fateor impendisse, quis illam, vt dignum est, vel corde possit concipere, vel sermone valeat explicare? Quæ tanto me sibi vinculo admirandæ charitatis adstrinxit, vt ne vnius horæ spacio, ab illo mihi videar separari conspectu, quem & si præsentem non video, attamen intra pecto- *reclau-
ris habitaculum retineo conditum & *reclusum. Quis enim tuæ *pietati sum.
peculiaris non redditur, in * qua tantæ bonitatis beneficia continentur? *quo.
aut quem ad tuam dulcedinem non * ducas inuitum, cuius probauimus a- *caritati.
nimum ineffabili charitate * profusum? Qua autem illud admiratione *inducas.
complectar, cum te sic video cunctos diligere, ac si vnumquemque de *persu-
proprio visus sis latere generasse? Quis verò filiorum superbus desideret, sum.
vbi te patrem & doctorem tantæ humilitatis agnoscit? aut * quis summo *quamuis
nobilitatis descendens de culmine, cum te sic respicit supplicem, non se
tuis vestigiis in terra prouolutus *extendet? Vere dico. Si tumidum super- *ostendet.
bia deiicit, multum est laudabilis humilitas, quæ vos erigit. Quis denique illic esse possit iracundus, aut turbidus, vbi sacerdos & pontifex tam placidus est inuentus? Scit enim totus sine rapacitate grex viuere, vbi viuendi tranquillitas discitur à pastore. Quid de rebus reliquis referam? in quibus
te sic impendis in singulis, vt lauderis * à cunctis? Quæ tamen & si imita- *in.
ri non possumus, vel vidisse quod imitari deceat, congaudemus. Quapropter dominationi & sanctitati vestræ peculiariter me commendans, rogo & obtestor, sic ille domnus meus Martinus sua intercessione obtineat, vt cum ipso, iuxta merita vestra, in luce perpetua vos collocet diuina miseri-
cordia; vt pro me humili filio & seruo vestro, ad eius beatum sepulchrum *dignemi-
orare *digneris, vt pro peccatorum meorum remissione pius intercessor ni &.

 accedas.

*accedas. Eos verò, qui vestri sunt, omnes domnos & * dulces meos reuerenter saluto: domnum meum per omnia dulcissimum, filium vestrum, *Euentium pro me multipliciter supplico salutari. Domno meo Felici episcopo, si per vos venit, me benigno animo commendari deposco. Ora pro me.

*is accedat.
*duces.
*Euantium.

III.

Ad eundem.

QVAMVIS pigra mihi iaceat sine fomite lingua;
Nec valeam dignis reddere digna viris.
Attamen, alme pater, Christi venerande sacerdos,
Euphroni, cupio soluere parua tibi.
Debeo multa quidem, sed suscipe pauca libenter,
Sit veniale precor, quod tuus edit amor.
Ecclesiæ lampas sub te radiante coruscat,
Lumine pontificis fulget vbique fides.
Gratia præcellens syncero in pectore vernat;
Quo nullus dolus est Israelita * vir es.
Immaculata tibi fœliciter actio currit,
Vt penetres cœlos, hæc via pandit iter.
Dulcia colloquii sine fuco dicta refundis,
Non sic mella mihi, quam tua verba placent.
Quidquid habet sensus hoc lingua serena relaxat,
Pectore sub vestro fraus loca nulla tenet.
Qui sine felle, manes in simplicitate columbæ,
Nec serpens in te dira venena fouet.
Aduena si veniat, patriam tu reddis amatam,
Et per te proprias hic habet * hospes opes.
Si quis iniqua gemit, tristis hinc nemo recedit,
Sed lachrymas remouens lætificare facis.
Martinus meritis hac vos in sede locauit;
Dignus eras heres, qui sua iussa colis.
Ille tenet cœlum, largo dans omnia voto;
*Christo iunctus eris hunc imitando virum.
Non perit hic vestrum qui grex ad ouile recurrit,
Candida nec spinis vellera perdit ouis.
Non lupus ore rapit prædam, pastore vigente,
Sed fugit exclusus non lacerando greges.
Hæc tibi lux maneat longos, venerande, per annos,
Atque futura dies lucidiora ferat.

B. Euphronii virtutes.
*vitens.
*exul.
*Iūctus eris Christo

Ad

IV.

Ad Felicem episcopum Namneticum.

DOMNO SANCTO ET APOSTOLICA SEDE DIgnissimo domno & patri Felici papæ, Fortunatus.

OSCITANTE me prope finitima pelagi, blandimento naturalis torporis in lecto, & littorali diutius in margine decubante, subito per vndifragos vestri fluctus eloquii, quasi scopulis incurrentib⁹, elisa salis spargine, me contigit irrorari; sed ad primos euigilandi stimulos, infundi poteram, non tamen excitari; qui adhuc more solito grauiter obdormitans, tandem aliquando inter crepitantia verborum vestrorum tonitrua, vix surrexi. Igitur cum considerarem dicta singula, de more tubarum, clangente sermone, prolata, & sydereo quodammodo splendore perfusa; velut coruscantium radiorum perspicabili lumine, mea, visi estis, lumina perstrinxisse: & soporantes oculos, quos mihi aperuistis tonitruo, clausistis corusco. tantus enim exercitati claritate colloquii vestræ linguæ iubare effulsit, tanta se *renidentis eloquentiæ lux vibrauit, vt, conuerso ordine mihi videretur verbis radiantibus ab occidentali parte sol nasci, te loquente. Credebam enim quasi sono Pindarico compactos tetrastrophos pedestri glutine sugillatos, & ac si enthymematum parturiens catenatum vinculum fæcunda fluxisset oratio spiris intertexta, sophismate peregrino. Denique quantum ad profunditatem vestræ dictionis attinet, feceratis ignorantem per sermonum *compita velut inter cautes *Echinadum oberrare, nisi à vobis ipsis lampas *viatrix itineris occurisset. Quod verò vestris inseruistis epistolis, *vocem meam; nec acclamatione laudum superatam, in vltimo orbis angulo personasse*; hæc ipsa dum relego, cæpi me mirari, vestro subito creuisse colloquio; qui fauorem proprio non mererer ornatu, gauisus, vsque adeo affectu fautoris erigi, qui me recognoscerem ingenii qualitate substerni. O quantum charitas præualet, cum illud lingua laudantis adiicit, quod *laudanti vena subducit. Optandum est siquidem, vt de me humillimo tali testi potius credatur, quam auctori. Non enim Polydeucen suæ commendasset venæ salientis vbertas, nisi Smyrnei fontis fatidico latice fuisset attractus. Illud itaque, quod dixistis, *in vltimo orbis angulo, quasi vestram habitare præsentiam*, satis hoc fieri iustum est, vt de vobis mihi credatis, qui de me vobis credi, blandius suadetis. Quoniam loca, quamuis regione vltima, te ciue, sunt prima; nam si personæ merito vrbes sibi vendicant principatum, nulli, per vos, est ille locus inferior, vbi quidquid de laude requiritur, Felix actibus pontifex *est assertor.

*relidentis. *compitos. *Echinadas. *præuiatrix. *laudati. *esse asseritur.

Denique

*ſidus. Denique non Caucaſi niue, rabidæ nec vrſæ *ſitus frigoribus intertextus, reſpirat, ſed per vos, mutatis ſedibus, aſsiduo fauonii ſibilo modulante, *vernatur. *vernat. Hoc etiam, quod ſanctitas veſtra conqueritur, *me inuento Turonis parua prolixitate potitam ſe fuiſſe colloquiis*, cum me ècontra pudeat, in breui ſpacio prodidiſſe inſcitiam, & latère tanti gratiam pontificis acquiſitam. *noſtri amici. Tamen, ſi * noſtræ amicitiæ partes conſiderare velitis, quamuis protracto ſpacio aſpectu veſtro fruerer, incitari poteram, non expleri. Quis enim ſuauium ſemel afflatus odore roſarum, vel ſatiatum quandoque ſe iudicet, vel patiatur reddere faſtidientem? Cum, ſi diuturnius fuiſſemus cominus, tanto magis dilectione ſuccenderer, quanto plus agnoſcerem quem amarem. Quod enim intuliſtis; *ſi Ligerim vobiſcum aſcendiſſem ſecundis fluctibus, & Namnetis occurriſſem.* noui quidem, te mihi canobo, Cheruſcis accerſentibus myoparonem præpetem, catus, & arte armoniaca tutus, inter ſymplegadas ſe mordentes exiiſſem; & ſi res exigeret * plauſu creperegico Oetan Thyrinthiam, cum Pindaro ſpirante, pulſaſſem. (*auſu creperito, vel crepero:) Qua verò auiditate, illud me creditis perlegiſſe, quod vos intertexere, mera charitas imperauit: quod dixiſtis: *Nec ſi vlciſci veniſſent, in ſolatio me vobis * arripere valuiſſent*; (*abripere.) credite, quantum meus animus inſpicit, ipſa mihi vix Roma tantum dare ad auxilia poterat, quantum præſtitiſtis in * verbo: (*verba.) Nec apud me plus aliquid eſt factis impendere, quam vota voluntatis offerre: nam alloquii refluente dulcedine, nihil opus eſt plus * egêre. (*agere.) Quod verò facetiis addidiſtis: *niſi ſollicitatus laudibus, ruſticus calamus non * ternaſſet*, (*turnaſſet) licet talis cultor Chriſticola feraciſſima iugera, ſæpius exarauit, attamen nuper illum, id eſt, *tuos (*vos.) confiteor ludos Ithyphallicos, Amphionio barbito reboaſſe. Hoc quoque; quod delectabiliter adieciſtis: *me domna mea Rhadegunda muro charitatis incluſum*; ſcio quidem, quia non ex meis meritis, ſed ex illius conſuetudine, quam circa cunctos nouit impendere, colligatis. Et quantum in mea perſona, panegyricum poëtice tangitis, tantum in eius laudis hiſtoriam retuliſtis. Tamen in veſtris verbis illud relegere merui, quod in eius gratia iam percepi; ſed qui de me paruo magna depingitis, quæſo, de magnis maxima prædicetis. Quapropter, dominationi & ſanctitati veſtræ me humili ſupplicatione commendans, deprecor per dominum redemptorem animarum noſtrarum, qui vos prædeſtinatos, ſua facturus eſt in luce conſortes, vt me in ſanctis orationibus, pietatis intuitu, dignemini memorare. Magnũ enim erit ſpei meæ auxilium, à vobis obtinere quod poſco.

SI veniant linguæ, pariter Græca atque Latina,
    Pro meritis nequeunt ſoluere cuncta tuis.
Laudibus obſeſſus, votis venerandus haberis,
    Felix qui ſenſus luce perennis eris.

Ad cun-

V

Ad eundem ex nomine suo.

FIDA salus patriæ, Felix spe, nomine, corde,
Ordo sacerdotum, quo radiante, micat.
Restituis terris, quod publica iura petebant,
Temporibus nostris gaudia prisca ferens.
Vox procerum, lumen generis, defensio plebis,
Naufragium prohibes, hic vbi portus ades.
Autor apostolicus, qui iura Britannica vinceps,
Tutus in aduersis, spe crucis, arma fugas.
Viue decus patriæ, fidei lux, autor honoris,
Splendor pontificum, noster & orbis amor.

VI

Ad Felicem episcopum, de dedicatione Ecclesiæ suæ.

CVM Salomon coleret generosi encænia templi,
Israheliticos fecit adesse viros.
Leuitas, proceres, pueros, iuuenesq; senesq;.
Vndiq; certatim regia pompa trahit.
Mactantur vituli, tauri iugulantur ad aras,
Et populi in votis gaudia cædis erant.
Nunc vero adsurgit, ritu placitura beato,
Tempore decurso, iustior ara Deo.
Prospera quæ populis Felix modo festa * minisstrat,
* Exuperant rebus gesta priora nouis.
Conuocat egregios, sacra ad solennia patres,
Quo stat vera salus, & fugit vmbra vetus.
Docti claue Petri cœlos aperire petenti,
Ac monitis Pauli noscere clausa poli.
Ne lupus intret oues, nec morbus * vulneret agnos,
Hinc sunt custodes, inde medella gregis.
Quorum vox refluens, populo, de fonte salutis,
Vt bibat aure fidem, porrigit ore salem.
Inter quos medios, Martini sede sacerdos,
Euphronius fulget, Metropolita sacer;
Plaudens in sanctâ fratrum coëunte corona,
Et sua membra videns, fortior extat apex.
Lætius inde caput, quia sunt sua viscera secum,

Dedicationis templorum celebritas.

* ministrans.
* exuperat

Episcoporum potestas & munus.
* inulceret

Episcopi dedicationi præsentes.
Euphronius.

Ecclesiæ iuncto corpore crescit honor.
Domitia-nus & Victorius. Domitianus, item Victorius, ambo columnæ,
Spes in vtrisq; manens pro regionis ope.
Maracha rius. Domnulus hic fulget meritis; Maracharius inde,
Iure * sacerdotij cultor vterq; Dei.
* sacerdo-tI. En spectat, veniat quæ nunc memoranda per æuum
Votis plena pijs fulget in orbe dies.
In qua promeruit sua gaudia cernere pastor,
Officioq; sacro, reddere vota Deo.
Tempore qui longo aduentu pendebat in isto,
Despiciens aliud, hoc erat omnis amor;
Omnia tuta timens, suspecto in tramite vitæ,
Ne prius iret, iter, quam daret ista Deo.
Sæpius occultans, suspiria lassa trahebat,
Cederet vt dominus hoc properare decus.
Anxius incerto curarum fasce laborans,
Dum votum spectat, pondera tempus erant.
Sed iam festus adest; soluatur sarcina curæ,
Lætitiæ cumulus triste repellat onus.
Prospera dans populis, & gaudia larga, per vrbem
Felix felici cum grege, pastor, age.
Ritus consecrandi templa. Hinc te pontifices circundant, inde ministri;
Cingit te totum, hinc honor, inde fauor.
Clerus ecce choris resonat, plebs inde choraulis,
Quisq; tuum votum, qua valet arte canit.
Tarda fuere tibi, quia fit mora semper amanti,
Res sublimis enim tarda; sed ampla venit.
Nunc domini laudes, inter tua classica, canta,
Et Trinitatis opem, machina trina sonet.
Adde medullata in templis holocausta sacerdos,
Quò diuturna mices, hostia pura, Deo.

VII.

In honorem eorum, quorum ibi reliquiæ continentur.

SIDEREI montes, speciosa cacumina Sion,
A libano gemini, flore comante, cedri.
Cœlorum portæ, lati duo lumina mundi;
SS. Petri & Pauli apo- Ore tonat Paulus; fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas,

Docti-

Doctior hic monitu; celsior ille gradu.
Per hunc corda hominum reserantur,&astra per illum;
Quos docet iste stylo,suscipit ille polo.
Pandititer cœli hic dogmate;clauibus * alter,
Est via cui Paulus,ianua fida Petrus.
Hic petra firma manens,ille architectus habetur.
Surgit in his templum,quo placet ara Deo.
Vno fonte,pares medicata fluenta rigantes,
Restinguunt auidam,dulce liquore,sitim.
Fortia bella gerens,quisquis cupit astra tenere,
Rex dedit hos proceres militis esse duces.
Gallia plaude libens,mittit tibi Roma salutem;
Fulgor Apostolicus visitat Allobrogas.
A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quos fidei turres,vrbs caput orbis habet.
Hi radiant oculi precioso in corpore Christi,
Lumine qui proprio cætera membra regunt.
Munere Felicis cœli cape Gallia fruges,
Pontificisque tui vota beata cole.
Cuius castus amor dedit hanc in honore superno,
Ecclesiæ nuptæ dote perenne,domum.
Vertice sublimi patet aulæ forma triformis,
Nomine Apostolico,sanctificata Deo.
Quantum inter sanctos meritum supereminet illis,
Celsius hæc tantum culmina culmen habent.
In medium turritus apex super ardua tendit,
Quadratumque leuans crista rotundat opus.
Altius vt stupeas arce ascendente per arcus,
Instar montis agens ædis acumen habet.
Illic expositos fucis,animantibus artus,
Viuere picturas,arte reflante putes.
Sol vagus,vt dederit per * stannea tecta colorem,
Lactea lux resilit,cum rubor inde ferit.
Ire,redire vides,radio crispante,figuras,
Atque lacunar agit,quod maris vnda solet.
Fulgorem astrorum meditantur tecta metallo;
Et splendore suo culmina sydus habent.
Luna coronato quoties radiauerit ortu,
Alter ab æde sacra surgit ad astra iubar.

stolorum encomion

*ille.

Nannetici templi descriptio.

* Stagnea.

Si nocte inspiciat hanc prætereundo viator,
Et terram stellas credet habere suas.
Tota capit radios patulis oculata fenestris,
Et quod mireris hic foris, intus habes.
Tempore quo redeunt tenebræ, mihi dicere fas sit,
Mundus habet noctem, detinet aula diem.
Patroni tutelares. Dextera pars templi meritis præfulget HilarI,
Compare Martino consociante gradum.
S. Hilarius. Gallia sic proprios dum * fundit vbique patronos,
* fudit. Quos hic terra tegit, lumina mundus habet.
S. Martinus. Altera Ferreoli par est, qui vulnere ferri,
Munere martyrij gemma superba nitet.
S. Ferreolus. Obtulit hæc Fœlix, vt sit magis ipse sacerdos,
Christe, tuum templum, qui tibi templa dedit.

VIII

Ad eundem, in laudem eius, & regionis Armorici.

ILLVXIT festiua dies, me gaudia cogunt,
Vt quod plebs poterat, solus amore loquar.
Vltima quamuis sit regio Armoricus in orbe,
Felicis meritis cernitur esse prior.
Miserunt similes Oriens, & Gallia sortes,
Illa micat radiis solis, & ista tuis.
Nam splendore nouo sua munera quisque ministrat,
Tu fers Oceano lumen, & ille rubro.
Denique si sensus clara pro lampade fulget,
Ingenium vestrum luminis instar habet.
Felicis Nannetici prosapia. Maxima progenies titulis ornata vetustis,
Cuius & à proauis gloria celsa tonat.
Nam quicunque potens Aquitanica rura subegit,
Extitit ille tuo sanguine, luce, parens.
Germinis antiqui venerabile culmen, in orbe,
Laudibus in cuius militat omne decus.
Flos generis, tutor patriæ, correctio plebis,
Eloquij flumen, fons salis, vnda loquax.
Semita doctrinæ, ius causæ, terminus iræ,
Cuius in ingenium huc noua Roma venit.
Illic quod poterat per plures illa docere,
Te contenta suo Gallia ciue, placet.

Orna-

Ornamenta geris gemino fulgentia dono,
  Et te concelebrant hinc opus, inde genus.
Sed qui terrena de nobilitate nitebas,
  Ecclesiam nunc ſpe nobiliore regis.
Cuius * ad aratrum bone cultor iugiter inſtas, *odoratū.
  Vt iam multa Deo ſplendida dona dares. *ornatū.
Nupſiſti eccleſiæ, felicia vota iugaſti. Pudicitia
  Hanc qui matronam dote potente reples. & caſtitas
Cuius in amplexu ducis ſine crimine vitam, epiſcopi.
  Altera nec mulier corde recepta fuit.
Hanc oculis, animo retines & corde pudico,
  Vnde tibi nupſit, caſtior inde manet.
Illa tibi prolem peperit, ſed corpore virgo, Eccleſiæ
  Et populum gremio * fudit amata tuo. fecunditas
Ecce tuos natos diuina ex coniuge ſumptos. * fundit.
  Et modo te gaudent, quos patris vmbra tegit.
Proq; ſalute gregis, paſtor, per compita curris,
  Excluſoque lupo tota tenetur ouis.
Inſidiatores remoues, vigil arte, Britannos;
  Nullius arma valent, quod tua lingua facit.
Tu quoque ieiunis cibus es, tu panis egenti
  Quæ ſibi quiſq; cupit, hic ſua vota videt.
Diuitias proprias in pauperis ore recondis,
  Largas mendici ventre reponis opes.
Tempore quo veniet Chriſtus, tunc omnia vobis.
  Iudicis in facie ſacculus iſte refert.
Sit tibi fixa, ſalus numeroſos ampla per annos,
  Perpetuus felix,* nomine, mente, fide.

IX.

Ad Felicem epiſcopum; de paſchate reſurrectionis Domini.

TEMPORA florigero rutilant diſtincta ſereno, Veris de-
  Et maiore poli lumine porta patet. ſcriptio.
Altius igniuomum ſolem cœli orbita ducit,
  *Qua vagus * Oceanus exit, & intrat aquas. *Qui.
Armatus radiis elementa liquentia luſtrans, *Oceanus.
  Adhuc nocte breui tendit in orbe diem.
Splendida ſyncerum producunt æthera vultum,
  Lætitiamq. ſuam ſydera clara probant.

Terra fauens, vario fundit munuſcula fœtu;
Cum bene vernales reddidit annus opes.
Mollia purpureum pingunt violaria campum,
Prata virent herbis, & micat herba comis.
Paulatim ſubeunt, ſtillantia lumina florum,
Arridentq. oculis gramina tincta ſuis.
Semine depoſito, lactans ſeges exilit aruis,
Spondens agricolæ vincere poſſe famem.
Caudice deſecto lachrymat ſua gaudia palmes,
Vnde merum tribuat dat modo vitis aquam.
Cortice de matris, tenera lanugine, ſurgens,
Præparat ad partum turgida gemma ſinum.
Tempore ſub hyemis foliorum crine reuulſo,
Iam reparat viridans frondea tecta nemus.
* Myrrha. * acernus. *Myrta, ſalix, abies, corylus, ſiler, vlmus, * acer, nux.
Plaudit quæque ſuis arbor amœna comis.
*apes. Conſtructura fauos, * apis hinc aluearia linquens.
Floribus inſtrepitans, poplite mella rapit.
* auis. Ad cantus reuocatur * aues, quæ carmine clauſo,
Pigrior hyberno frigore muta fuit.
Hinc philomela ſuis attemperat organa cannis,
Fitque repercuſſo dulcior aura melo.
Principiũ quo vtitur Eccleſia. Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi,
Omnia cum domino dona rediſſe ſuo.
Namque triumphanti poſt triſtia tartara Chriſto,
Vndique fronde nemus gramina flore fauent.
Legibus inferni oppreſſis, ſuper aſtra meantem
Laudant rite Deum, lux, polus, arua, fretum.
Qui crucifixus erat Deus, ecce, per omnia regnat,
Dantque creatori cuncta creata precem.
Salue feſta dies, toto venerabilis æuo;
Qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.
Nobilitas anni, menſium decus, alma dierum,
*Scripula, Scriptula. Horarum ſplendor, * ſcrupula * puncta fouens.
*cuncta. Hinc tibi ſylua comis, hinc plaudit campus ariſtis;
Hinc grates, tacito palmite, vitis agit.
Si tibi nunc auium reſonant virgulta ſuſurro,
Has inter minimus paſſer, amore cano.
Chriſte ſalus rerum, bone conditor, atque redemptor,

Vnica

Vnica progenies, ex deitate patris.
Irrecitabiliter manans de corde parentis,
Verbum subsistens, & penetrare potens.
Æqualis, concors, socius, cum patre coæuus,
Quo, sumpsit mundus, principe, principium.
Æthera suspendis sola congeris, æquora fundis,
Quæque locis habitant, quo moderante vigent.
Qui genus humanum cernens * mersum esse profundo,
Vt hominem eriperes, es quoque factus homo.
Nec voluisti etenim tantum te corpore nasci,
Sed caro quæ nasci, pertulit atque mori.
Funeris exequias pateris, vitæ autor, & orbis,
Intrans mortis iter, dando salutis opem.
Tristia cesserunt infernæ vincula legis,
Expauitque chaos luminis ore premi.
Depereunt tenebræ Christi fulgore fugatæ,
Et terræ noctis pallia crassa cadunt.
Pollicitam sed redde fidem, precor alma potestas,
Tertia lux rediit, surge sepulte meus.
Non decet, vt humili tumulo tua membra tegantur,
Neu precium mundi vilia saxa premant.
Indignum est, cuius clauduntur cuncta pugillo,
Vt tegat inclusum, rupe vetante, lapis.
Lintea tolle, precor, sudaria linque sepulchro,
Tu satis es nobis, & sine te nihil est.
Solue catenatas inferni carceris vmbras,
Et reuoca sursum, quidquid ad ima ruit.
Redde tuam faciem, videant vt sæcula lumen,
Redde diem, qui nos, te moriente, fugit.
Sed plane implesti remeans, pie victor, ad orbem:
Tartara pressa iacent, nec sua iura tenent.
Inferus insaturabiliter caua guttura pandens,
Qui rapuit semper, fit tua præda Deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis,
Et sequitur liber, quo suus auctor adit.
Euomit absorptam trepide fera bellua plebem,
Et de fauce lupi subtrahit agnus oues.
Hinc tumulum repetens, post tartara, carne resumpta,
Belliger ad cœlos ampla trophæa refers.

Christus Verbum.

Christi diuinitas.

* mersisse.

Christi mors.

Christi descensus ad lymbum. Resurrectio. Ascensio. Baptismi ceremonia à Felice, conuersis gentilibus celebrata.

Quos

Quos habuit pœnale chaos, iam reddidit in te,
Et quos mors peteret, hos noua vita tenet.
Rex sacer ecce tui radiat pars magnā triumphi,
Cum puras animas sacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atq; vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas vestis quoq; candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.
*hac. Additur * ac Felix consors mercede sacerdos,
Qui dare vult domino dupla talenta suo.
Ad meliora trahens gentili errore vagantes,
*raperet Bestia ne * rapiat munit ouile Dei.
*Heua Quos prius * Eua nocens infecerat, hos modo reddit,
Ecclesiæ pastos vbere, lacte, sinu.
Mitibus alloquiis agrestia corda colendo,
Munere Felicis, de vepre nata seges.
Saxones baptismo renati in Galliis. Aspera gens Saxo, viuens quasi more ferino,
Te medicante sacer bellua reddit ouem.
Centeno reditu tecum mansure per æuum,
Messis abundantis horrea fruge reples.
Immaculata tuis plebs hæc vegetetur in vlnis,
Atq; Deo purum pignus ad astra feras.
Vna corona tibi de te tribuatur ab alto,
Altera de populo vernet adepta tuo.

X

De domno Felice Namnetico, cum fluuium alibi detorqueret.

CEDANT antiqui quidquid meminere poëtæ,
Vincuntur rebus facta vetusta nouis.
Includi fluuios si tunc spectasset Homerus,
Inde suum potius dulce replesset opus,
Cuncti Felicem legerent modo, nullus Achillem,
Nomine sub cuius cresceret artis honor.
Qui probus ingenio, mutans meliore rotatu,
Currere prisca facis, flumina lege noua.
Aggere composito, remouens in gurgite lapsum,
Quo natura negat, cogis habere viam.
Erigis hic vallem, subdens ad concaua montem,
Et vice conuersa, hæc tumet, ille iacet.

Alter in alterius migrauit imagine formam,
Mons in valle sedet, vallis ad alta subit.
Quo fuit vnda fugax, creuit pigro obice terra,
Et quo prora prius, huc modo plaustra meant.
Collibus aduersis flexas super inuehis vndas,
Et fluuium docilem, monte vetante, trahis.
Quo *rapidus flueret, veniens celer amnis adhæsit, *fluuius.
Et subito, nato colle, retorsit iter.
Quæ prius in præceps, veluti sine fruge, rigabant,
Ad victum plebis nunc famulantur aquæ.
Altera de fluuio metitur seges orta virorum,
Cum per te populo parturit vnda cibum.
Qualiter incertos hominum scis flectere motus,
Qui rapidos fontes ad tua fræna regis.
Stet sine labe tibi, Felix, pia vita per æuum,
Cuius ad imperium transtulit vnda locum.

XI.

De Nicetio episcopo, Treuerensi.

SPLENDOR, apex fidei venerabile mente Niceti,
Totius orbis amor, pontificumq; caput.
Summus apostolico præcellens pastor ouili,
Auxisti meritis quidquid honoris habes. Nicetij excellens honor.
Diuino insistens operi, terrena relinquis,
Cui moritur mundus non moriture manes. Vitæ innocentia.
Vita breuis cunctis, sed non breuis illa beatis,
Cum bona non pereant, iure perennis eris.
Dum tibi restrictus maneas & largus egenis, Liberalitas.
Quod facis in minimis, te dare crede Deo.
Captiuus quicunq; redit sua limina cernens.
Ille lares patrios, tu capis inde polos.
Hic habet exul opem, ieiunans inuenit escas,
Qui venit esuriens, hinc satiatus abit.
Tristibus imponis curas purgando querelas,
Et sanat cunctos vna medela viros. Pastoralis cura.
Pauperis hinc lachrymas desiccas, gaudia præstans,
Qui prius ingemuit, vota salutis habet.
Te pascente greges, nunquam lupus abripit agnos,
Sunt bene securi, quos tua caula tegit.

Templa vetusta Dei reuocasti in culmine prisco,
Et floret senior te reparante domus.
Hinc * populis longos tribuas pia vota per annos,
Et maneas pastor, ne lacerentur oues.

Templorum cultus.
* Hic

XII.

De castello eiusdem super Musellam.

MONS in præcipiti suspensa mole tumescit,
Et leuat excelsum saxea ripa caput.
Rupibus expositis, intonsa cacumina tollit,
Tutus & elato vertice regnat apex,
Proficiunt colli, quæ vallibus arua recedunt,
Vndique terra minor vergit, & iste subit.
Quem Musella tumens, Rhodanus quoque paruulus ambit,
*Certanturque suo pascere pisce locum.
Diripiunt dulces alibi vaga flumina fruges,
Hæc tibi parturiunt Mediolane dapes.
Quantum crescit aquis, pisces vicinius offert,
Exhibet hinc epulas, vnde rapina venit.
Cernit frugiferos congaudens incola sulcos,
Vota ferens segeti fertilitate graui.
Agricolæ pascunt oculos de messe futura,
Ante metit visu, quam ferat annus opem.
Ridet amœnus ager, tectus viridantibus herbis,
Oblectant animos mollia prata vagos.
* Hæc vir Apostolicus Nicetius * arua peragrans,
Condidit optatum pastor ouile gregi.
Turribus incinxit terdenis vndique collem
Præbuit hic fabricam, quo nemus ante fuit.
Vertice de summo demittunt brachia murum,
Dum Musella suis terminus extet aquis.
Aula tamen nituit constructa cacumine rupis,
Et monti imposito mons erat ipsa domus.
Complacuit latum muro concludere campum,
Et propè castellum, hæc casa sola facit.
Ardua marmoreis suspenditur aula columnis,
Qua super æstiuas cernit in amne rates.
Ordinibus ternis extensaque machina creuit,
Vt postquam ascendas iugera, tecta putes.

Rhodanus Musellæ.
* Certatur vsurpauit Pacu. pro Certat.
Mediolanus vel um
* hoc
* ergo
Castelli situs.

Turris

Turris ab aduerso quæ constitit obuia cliuo,
Sanctorum locus est, arma tenenda viris.
Illic est etiam gemino ballista volatu
Quæ post se mortem linquit & ipsa fugit. Ballista.
Ducitur in rigidis sinuosa canalibus vnda
Ex qua fert populo hic mola rapta cibum.
Blandifluas stupidis induxit collibus vuas,
Vinea culta viret, quo fuit ante frutex.
Insita pomorum passim plantaria surgunt,
Et pascunt vario floris odore locum.
Hæc tibi proficiunt, quidquid laudamus in illis,
Qui bona tot tribuis, pastor opime, gregi.

XIII.

De Magnerico Treuerensi episcopo.

CVLMEN honorificum, patrum pater, archisacerdos,
Pontificale decus proficiente gradu.
Quem fidei titulus meritis erexit in altum,
Ecclesiæque caput, distribuente Deo.
Discipule egregij bone Magnerice Niceti,
Nominis auspicio Magne canende tui.
Clare sacro merito tanto informate magistro,
Quem reparas operum fructificante loco.
Cuius opime sequax, sancta & vestigia seruans,
Rite minister agens, ecce magister ades.
Autorisque pij successor dignus haberis,
Hæredisque sui, frugiparensque manet.
Creuit post obitum pater, & te crescere fecit,
Dum capit ille polum, tu capis arce locum.
Grex alitur pro te, vice præcessoris alumne,
Nec sua damna dolet, dum tua lucra tenet.
Fratribus optandus, iucundus honore ministris,
Carius & populis pastor amore places.
Te panem esuriens, tectum hospes, nudus amictum,
Te fessus requiem, spem peregrinus habet.
Hæc faciens intende magis venerande sacerdos,
Vt commissa tibi dupla talenta feras.
Pro Fortunato exorans quoque dulcis amator,
Spem mihi dans veniæ, sit tibi palma pater.

XIV

*Ad Villicum episcopum * Mettensem*

GVRGITE cæruleo pelagus Musella relaxat,
Et mouet ingentes molliter amnis aquas.
Lambit odoriferas vernanti gramine ripas,
Et lauat herbarum leniter vnda comas.
Salia. Hinc dextra de parte fluit, qua Salia fertur,
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hic vbi perspicuis Musellam cursibus intrat,
Alterius vires implet, & ipse perit.
Mettis. Hoc Mettis fundata loco speciosa, coruscans,
Piscibus obsessum gaudet vtrunque latus.
Delitiosus ager ridet, vernantibus aruis,
Hinc sata culta vides, cernis & inde rosas.
Prospicis vmbroso vestitos palmite colles,
Certatur varia fertilitate locus.
Vrbs munita nimis, quam cingit murus & amnis,
Pontificis meritis stas valitura magis.
Villici studium orandi. Villicus æthereis qui sic bene militat armis,
Stratus humi genibus, te leuat ille suis.
Vnde humilis terris te proiicis alme sacerdos,
Orando hinc patriæ ducis ad astra caput.
Fletibus assiduis acquiris gaudia plebi,
Pastoris lachrymis lætificantur oues.
Ictibus inualidis quamuis minitetur iniquus,
Tu quibus es murus vulnera nulla timent.
Vigilantia in gregē. Et licet incluso lupus insidietur ouili,
Te custode gregis nil tibi prædo nocet.
Oblectas populos vultu sine nube sereno,
Cunctorumq. animos gratia blanda fouet.
Misericordia. Si poscat nouus hospes opem, tu porrigis escas,
Inuenit & proprios ad tua tecta lares.
Dum satias querulum, magis obliuiscitur illas,
Quas habet in patriis finibus exul opes.
Qui sua damna refert, gemitus subducis ab ore,
Gaudia restituens tristia cuncta fugas.
Protegis hinc nudos, illinc tu pascis egentes,
Nil tibi reddit inops, reddit amore Deus.

Hor-

Horrea præmittis, melius tua condita seruans,
Quas sic diffundis, dat paradisus opes.
Culmina templorum renouasti Villice cultor, Religio templorũ.
Cum veniet Dominus, stat labor ecce tuus.
Commissum, video, non suffodisse talentum,
Sed magis optatum multiplicatur opus.
Longius * extentos peragas tam digna per annos. * Extẽsos.
Et maneat semper nomen opime tuum.

XV

Ad eundem.

PASTOR opime gregis, cunctis tua pabula prosunt,
Qui satias animas, quam bene membra foues.
Sic auidos reddis conuiuas nectare lactis,
Vt scutella leuet, quod cocleare solet.

XVI

Ad eundem.

CVRRIT ouis repetens, à te sua pascua pastor,
Qui cibus esse soles, da mihi panis opem.

XVII

De pictura vitis in mensa eius dictum.

VITIBVS intextis ales sub palmite vernat,
Et leuiter pictas carpit ab ore dapes.
Multiplices epulas meruit conuiua tenere,
Aspicit hinc vuas, inde falerna bibit.

XVIII

De piscibus in mensa eius.

RETIA vestra pater, oneroso pisce redundant,
Apparet Petri vos meruisse vices.

XIX

Ad Charentinum episcopum Coloniæ.

CHARENTINE decus fidei, deitatis amice,
Nomine de proprio chare perennis amor.
Pontificem pollens Agripina Colonia præfert
Frugiferis agris digne colone Dei.

Charentini beneuolentia & caritas.

Si videas aliquos quacunque ex gente creatos,
Quamuis ignotos mox facis esse tuos.
Quos semel affectu adstringis,pietate paterna
Vlterius nunquam dissociare potes.
Nec subito veniens veluti fugitiua recedit,
Sed concessa cito gratia,fixa manet.
Verba Dei complens,sicut te diligis ipsum
A te ita diligitur proximus omnis homo.
Vocis Apostolicæ sectator dignus haberis,
Quæ charos animos præposuit fidei.

1.Corint. c.13.

Eiusdem variæ dotes.

Tranquillus,placidus,mitis,sine nube serenus,
Cui rabies mundi nil dominare potest.
Pectora cunctorum reficis dulcedine verbi,
Lætificas vultu tristia corda tuo.

Beneficentia.

Pauperibus cibus es,sed & esurientibus esca,
Rite pater populi,dando salutis opem.
Aurea templa nouas,* precioso fulta decore,
Tu nites,vnde Dei fulget honore domus.
Maioris numeri quo templa capacia constent,
Alter in excelso pendulus ordo datur.
Sollicitat pia cura gregis,te,pastor opime,
Nil lupus ab stabulis quo vigilante rapit.
Tempora longæuo teneas felicia tractu,
Et per te domini multiplicentur oues.

* spatioso.
*numen.

XX.

De Igidio episcopo Remensi.*

* Egidio.
* Rhemorum.

ACTIBVS egregiis,venerabile culmen,Igidi,
Ex cuius meritis creuit honore gradus.
Subtrahor ingenio,compellor amore parato,
Laudibus in vestris prodere pauca fauens.
Namque reus videor tantis existere causis,
Si solus taceam,quidquid vbique sonat.
Sed quamuis nequeam,digno sermone,fateri,
Da veniam,voto me voluisse loqui.
Exiit in * mundum gestorum fama tuorum,
Et meritis propriis sydus in orbe micas.
Clarior effulges,quam lucifer ore sereno,
Ille suis radiis,tu pietate nites.

* mundo.

Nil

Nil lupus insidiis cauto subducit ouili,
Te pastore sacro peruigilante gregem. Egidij cura erga creditas oues.
Facundo eloquio cœlestia dogmata fundis,
Ecclesiæ creuit te monitore domus.
Pontificis studio correctio plebis haberis,
Ne tenebræ noceant, semita lucis ades.
Cunctorum recreas animos dulcedine verbi,
Qui satias epulis, pascis & ore greges.
Præcepta implentur, non solo pane cibamur,
Delicias capimus, quas tua verba ferunt.
Vt gaudet corpus cui mitior esca paratur,
Sic animæ gaudent si tua lingua sonet.
Hæresis ira cadit, forti te milite Christi,
Acquiris regi, qui dedit arma tibi.
Qui purgas spinis agros, sermone colente,
Et mundata Deo surgit vbiq; seges.
Qui venit huc exul, tristis, defessus, egenus, Liberalitas & eleemosynæ studium.
Hic recipit patriam, te refouente, suam.
*Qui doluit, tollis gemitus in gaudia vertens, * Quæ.
Exilium remoues, reddis amore lares.
Pauper habere cibum, meruit quoq; nudus amictum,
Inuenit hic semper, quæ bona quisq; cupit.
Consultum tribuis generaliter omnibus vnum,
Qui populi pater es, tot pia rite *regis. * geris.
Hæc tibi vita diu, domino tribuente, supersit,
Atq; futura micet lucidiore die.

XXI.

Ad Hilarium episcopum.

LVx syncera animi semper mihi dulcis Hilari,
Quamuis absentem quem mea cura videt.
Cuius honestus amor tantum mea corda repleuit,
Vt sine te nunquam mente vacante loquar.
Versibus exiguis mandamus vota salutis,
Quæ dedit affectus sint tibi * cara precor. *grata.

XXII.

Ad Bertechramnum episcopum, cum eleuaretur in currum.

CVRRICVLI genus est, memorat quod Gallia rhedam, Rheda Gallica.
Molliter incedens orbita sulcat humum.

Exi-

Exiliens duplici biiugo volat axe citato,
Atq; mouet rapidas iuncta quadriga rotas.
Huc ego dum famulans comitatu iungor eodem,
Et mea membra cito dum veherentur equo.
Pontificisq; sacri Berthechramni actus honore,
Comprendente manu raptus in axe leuor.
Qualiter implumes fœtus pia mater hirundo,
Confouet,& placide pennula tensa tegit.
Sic bonitate potens,affectu diues opimo,
In proprium pastor molle sedile locat.
Nec solum amplectens pia mens,sed diligit omnes,
Vnde magis populis vnicus extet amor.

XXIII.

*Ad eundem de opusculis * suis.*

* eius.

ARDVA suscepi missis epigrammata chartis,
Atq; cothurnato verba rotata sopho.
Percurrens tumido spumantia carmina versu,
Credidi in vndoso me dare vela freto.
Plana procellosos ructauit pagina fluctus,
Et velut * Oceanus fonte refudit aquas,
Vix modo tam nitido pomposa poemata cultu,
Audit Traiano Roma verenda foro.
Quid si tale decus recitasset in aure senatus?
Strauissent blandis aurea fila tuis.
Per loca,per populos,per compita cuncta videres,
Currere versiculos,plebe fauente,tuos.
Sed tamen in vestro quædam sermone notaui,
Carmine de veteri furta nouella loqui.
Ex quibus in paucis super addita syllaba fregit,
Et pede læsa suo musica *clauda iacet.
Nunc,venerande pater,prece,voto,voce,saluto,
Commendans animum supplice corde meum.
Sit tua vita diu,cuius modulante camœna,
Cogimur optatis reddere verba iocis.

Bertechramni sublime ingenium.
* Oceanas
* cloda.
*gemit.

XXIV.

*Ad Agricolam * episcopum.*

* Agræcclam.

PRÆSVL honoris apex,generis,fideiq; cacumen,
Cultor agri pollens,pastor opime gregis.

Cum

Cum mea terra manu meruit genitoris arari,
Reddatur nati vomere culta sui.
Nam pater affectu dulci memorabilis orbi,
Me vobiscum vno fouit amore duos.
Corde parens, pastu nutrix, bonus ore magister,
Dilexit, coluit, rexit, honesta dedit.
Ille pio studio sulcata noualia seuit,
Quod pater effudit hoc mihi semen ale.

XXV

Ad Felicem episcopum, Biturigensem, scriptum in turrem eius.* *turre

QVAM bene iuncta decent, sacrati vt corporis agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.
Cedant chrysolithis Salomonia vasa metallis,
Ista placere magis ars facit atq; fides. *arx.
Quæ data, Christe tibi, Felicis munera sic sint,
Qualia tunc tribuit de grege pastor Abel.
Et cuius tu corda vides pietate coæquas
Saraptæ merito, quæ dedit æra duo. *Par viduæ.

XXVI

Domno sancto, atque apostolicis actibus prædicando domino, pio, & peculiariter dulci in Christo, patri Auito papæ, Fortunatus humilis.* * præconando.

OFFICIIS intente pijs, pater orbis, Auite;
Gloria pontificum, noster & altus amor.
Per quem plebs, regio, peregrinus, & hospes aluntur,
In quo cuncta capit, quæ sibi quisq; cupit.
Ex opere immeritus merui pia dona patroni,
Ne minimam pascens immemor esses ouem.
Qui trahis ore greges æterna ad pabula Christi,
Qualiter hinc viuant est quoq; cura * tua.
Semper & absentes præsens tua protegit ala, *tui.
Quo pede non curris, munere totus ades.
Muneribus vestris aut Agnes, aut Rhadegundes,
Multiplici orantes fomite vocis agunt.
* In cœlos penetranda feras, pater alte, talenta, *Ad:
Quæ centena suo tempore culta metas.

Per dominum,regemq; bonum,precor,aulice præsul,
  Vt Fortunati sis memor alme,tui.

XXVII.

Eiusdem ad eundem.

PARVIMVS iussis,sacer ac venerande sacerdos,
  Et pater,imperijs dulcis Auite tuis.
Garrulitate leui potius stridente cicuta,
  Quam placeat liquido nostra camœna melo.
Sed tamen,vt veniam tribuas,pietatis amator,
  Intende obsequio,nec trutinato sophum.
Munere pro magno modicus hæc paruula soluo,
  Pensetur votis est * quia lingua rudis.

*cui.

XXVIII.

Ad Eundem.

VIRTVTVM quid celsa fides mereatur honoris,
  Summe sacerdotum,dulcis Auite,probas.
Qui nectens animos cunctorum in amore beato,
  Post te chare pater,pectora capta trahis.
Sed tamen inter eos tua quos dulcedo repleuit,
  Promptus in affectu portio maior agor.
Lumen dulce meum,patriæ vigor,altor egentum,
  Spes peregrinorum,ductor honorq; patrum.
Si mea vox iugi resonaret acumine carmen,
  Laude minor loquerer,maior amore,pater.
Maxima sed nostri datur hæc occasio voti,
  Vel memorare tuum nomen,opime,sacrum.
Commendantur item vestræ pietatis,amori,
  Agnes voce humili cum Rhadegunde pari.
Larga salutiferos vigeat tibi vita per annos,
  Nam tua quæ fuerit,sit mea,chare,salus.

XXIX.

*Ad Agericum episcopum de Viroduna. Virodunum.

** De domno Agerico episcopo Vereduni.*

VRBS Vereduna, breui quamuis claudaris in orbe,
  Pontificis meritis amplificata,places.
Maior in angusto præfulget gratia gyro,
  Agerice tuus quam magis auxit honor.

Plu

Plurima magnarum fudisti semina laudum,
Quæ matura operis, fertilitate metis.
Tempore præsenti victum largiris egenis,
Vnde futura dies centuplicabit opes.
Dogmatis arcani reseras penetralia pastor,
Nec solum dapibus, pascis & ore greges.
Templa vetusta nouas, preciosius & noua condis,
Cultior est Domini, te famulante, domus.

S. Agericus erigit templa.

Egregios fontes sacri baptismatis exples,
Tam pia diuino fonte repletus agis.
Candida syncero radiat hæc aula sereno,
Et si sol fugiat, hic manet arte dies.

Baptisterium.

Ad noua templa auidæ concurrunt vndiq; plebes,
Et tribuis populis plus in amore Deum.

Populi frequentia in templis.

Te solamen inops meruit te nudus amictum,
Et solus cunctis potus & esca, manes.

Agericus deditus eleemosynis.

Felix, qui meritis æternæ lucis amator,
Tempore tam modico non moritura paras.

XXX.

De Agerico episcopo Vereduni.

PHOEBVS vt elatum suspendit in æthera currum,
Purus & igniferum spargit vbique iubar;
Effusis radiis totum sibi vendicat orbem,
Montes, plana, replens, ima vel alta tenet.
Sic præsul splendore animi cum sole coruscas,
Ille suis radiis fulget, & ipse tuis.

Innocentia & candor animi in S. Agerico.

Agerice sacer, cuius sermone colente,
Ecclesiæ segetis fertilitate placent.

Facundia.

Terrenis sterilis rebus, fœcunde supernis,
Humana spernens, diues iture * polis.

*polos.

Illecebris mundi mundus lasciua repellens,
Nil cui surripuit carnis amarus amor.

Mortificatio.

Lubrica culpa perit; neque mors de crimine gaudet,
Cum tua delictis libera membra vides.
In templis habitando piis, sic purus haberis,
Vt tua corda pater, sint pia templa Dei.

Integritas totius vitę.

Eligit in tali Christus se vase recondi,
Quam sibi purgauit, possidet ipse domum.

Non dolus in labiis, nec sunt fera nubila mentis.
Synceris animis vernat in ore dies.
Doctiloquum flumen salienti fonte refundis,
Et sensus steriles, voce rigante, foues.
Ardua cœlorum pandis mysteria terris,
Per quem plus Dominum scit, timet, orat, amat.
Dogmate diuino, præsul facunde, triumphas,
Dans pastor monitus, ne premat, error oues.
Deliciis reficis quas, cœlum, arua, vnda ministrat;
Et satiat populos hinc cibus, inde fides.
Sumit pauper opem, tristis spem, nudus amictum,
Omnia quicquid habes, omnibus esse facis.
Hic tibi longa salus maneat; licet inde futura,
Atq; diu, pastor, pro grege vota feras.

Doctrina & scientia sacrarum literarum.

Munificentia.

XXXI.

Ad virum venerabilem Amphionem presbyterum.

VIR pietate calens, blanda dulcedine vernans,
Cuius in aspectu mens preciosa micat.
Amphion, mihi chare pater, venerande sacerdos,
Atq; meo semper corde tenendus amor.
Quem prius vt metui cognoscere lumine vultus,
Conspexi sensus lumen inesse tibi.
Qui quemcunq; nouum videas, facis esse propinquum,
Si genus ignores, sit tibi mente parens.
Prouocat alloquium cunctos iucunda * voluptas,
Cogis & vnanimes iugiter esse tuos.
Ingenio viuax, sensus moderamine firmus,
Pondere consilij fixus vbiq; manens.
Qui bene cauta geris maturæ fræna senectæ,
Cui quem præstet honor, scis moderare gradum.
Promptus ad omne decus, larga bonitate redundas,
Cui se coniungit quisquis in orbe venit.
Profluis humane, frugem venientibus offers,
Et tua sit populis omnibus vna domus.
Verbis quippe suis, quem papa Leontius * effert,
Iudicio tanti credimus ista viri.

Suauitas morum Amphionis.

*voluntas.

Prudentia.

*offert.

XXXII.

Ad Paternum abbatem, de codicis emendatione.

PARVIMVS tandem iuſſis; venerande ſacerdos,
Nominis officium iure, Paterne geris.
Qui propriis meritis ornans altaria Chriſti,
Tam prece, quam voto, das placitura Deo.
Supplico, cede tamen ſi quid me forte fefellit,
Nam ſolet iſte meas error habere manus.
Obtineat ſupplex modo pagina miſſa ſalutis.
Hæc quoq; cum relegis, me memorare velis.

XXXIII.

Ad Druconem diaconum.

ALTARIS domini, pollens bone Drucco miniſter,
Hinc tibi feſtinus mando ſalutis opus.
Nos maris Oceani tumidum circumfluit æquor,
Te quoque Pariſius, chare ſodalis habet.
Sequana te retinet; nos vnda Britannica cingit,
Diuiſos terris alligat vnus amor.
Non furor hic pelagi, vultum mihi ſubtrahit illum,
Nec Boreas aufert nomen amice tuum.
Pectore ſub noſtro tam ſæpe recurris amator,
Tempore ſub hyemis quam ſolet vnda maris.
Vt quatitur pelagus, quoties proflauerit Eurus,
Stat neque ſic animus, te ſine, chare, meus.
Blanda ſerenato tempeſtas pectore feruet,
Atque ad te varia mobilitate trahit.
Sed memor eſto mei, votumque repende petenti,
Vt pariter paribus det ſua dona Deus.
Humanam mentem Chriſti quo gratia ditet,
Ac domino noſtro, ſenſus, & ora, vacent.

XXXIV.

Ad archidiaconum Meldenſem.

SI mihi vel veſtros licuiſſet cernere vultus,
Munere pro tanto plurima verba darem.
Direxit nobis muſtum tua chara voluntas,
Et dulces animos dulcia dona probant.

Quem non vidisti, promptus satiare parasti,
  Quid facias illi, qui tibi notus adest?
Det tibi larga Deus, qui curam mente fideli,
  De grege pontificis, magne minister, habes.

XXXV.

Ad Io[illegible]n Diaconum.

PIGNVS amicitiæ semper memorabile nostræ,
  Versibus exiguis, chare Ioannes, habe.
Vt cum me rapiunt loca nunc incognita forsan,
  Non animo videar dulcis abesse tuo.
Anthemium patrem per te, venerande, saluto,
  Cuius in affectu consolidatus agor.
Hilarium pariter nobis in amore tenacem,
  Insero carminibus, quem mea corda colunt.
Perpetuo maneas meritis felicibus æuo;
  Hæc quoque cum relegis me memorare velis.

XXXVI.

Ad Anthemium Diaconum.

SVSCIPE versiculos Anthemi pignus amantis,
  Quos tibi syncero pectore fudit amor.
Cum tua blanditus retineret lumina somnus,
  Lassaque fecisset membra iacere thoro.
Dum dubito, pecco, nolens vexare quietum:
  Sic mea culpa tui causa soporis erit.
Discedo tacitus, veluti fur, indice nullo,
  Nec dixi amplectens, frater amate, vale.
Non licuit mandata animo committere charo,
  Nec tenuit verbis hora vel vna tuis.
Testificor dominum, mihi fortiter esse molestum,
*abcedo. Quod sic *discedo, nec tua dicta fero.
Sed cui plura volens poteram tunc dicere præsens,
  Nunc faciat paucis pagina missa loqui.
Hæc tamen ante Deum, rogo te, mihi munera præstes,
  Omnibus vt semper carus vbique mices.
Nemo mihi vestem, donaria nemo ministret,
  Quod dulcedo monet, hoc mihi nemo neget.

XXXVII.

Ad Sindulphum Diaconum.

FRATER amore Dei digno memorabilis actu,
Pectore * fixe meo frater amore Dei. * forte.
Carpe libenter iter, quod ducit ad ætheris aulam,
Altius vt surgas, carpe libenter iter.
Fer patienter honus, nec te pia sarcina lasset,
Vnde manet requies, fer patienter honus.
Subdere colla decet, quia sunt iuga dulcia Christi,
Quo mereamur opem, subdere colla decet:
Qui sua rura colit, solet horrea plena tenere,
Nec ieiunus erit, qui sua rura colit.
Per mare nauta volat, quo multa pecunia crescat,
Mercibus vt placeat per mare nauta volat.
Non timet ille necem rabie turbante * procellæ, * procellas
Vt lucretur opes, non timet ille necem.
Miles ad arma venit quærens per vulnera palmam,
Vt redeat victor, miles ad arma venit.
Præmia sume libens, mihi tu quoque care sodalis,
Vnde triumphus erit, prælia sume libens.
Quisquis amore venit, nescit se ferre laborem,
Nemo labore iacet, quisquis amore venit.
Carmina parua ferens tibi debita reddo salutis,
Des meliora precor, carmina parua ferens.

VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER QVARTVS.

I.

Epitaphium * Euemeri episcopi ciuitatis Namneticæ. * Eumeri & Eumeri. Beatitudo æternat.

QVAMVIS cuncta auido rapiantur ab orbe volatu,
Attamen extendit vita beata diem.

Nec

Nec damnum de fine capit, cui gloria viuit.
Æternumque locum missus ad astra tenet.
Hoc igitur tumulo requiescit Euemerus almo,
Per quem pontificum surgit opimus honor.

Euemerus nobili genere ortus.

Stemmate deductum fulget ab origine culmen.
Et meritis priscos crescere fecit auos.

Ex iudice fit episcopus.

Emicuit populis geminum memorabile donum,
Inde gradu, iudex, hinc pietate pater.

Eloquens & animo fuit mansueto.

Dulcis in eloquio, placidus moderamine sacro,
In cuius sensu perdidit ira locum.
Alterius motus patienti pectore vicit,
Vt leuitas læsit, hoc grauitate tulit.

Liberalis.

Si quis ab externis properauit sedibus hospes,
Mox apud hunc proprios sensit habere lares.

Patriç desertor ob Christi amorem.

Hic habitare volens patriis rudis exul ab oris,
Oblitus veterem, huius amore, patrem.

Aliorum cõmiserãs mala.

Gaudet & arrisit probat is, se cernere flentem,
Alterius lachrymas mox facit esse suas.

Ieiuniis orationique deditus.

Partitus cum ventre vices, pietate magistra,
Vnde tulit luctus, mox ibi vota dedit.
Pauperibus diues censum transfudit egenis.
Ante bonus tribuit, quam paterentur opem.

In pauperes & ægros beneficus.

Semina iactauit centeno pinguia fructu,
Cui modo de reditu messis adulta placet,
Vnica cura fuit cunctos vt viseret ægros,
Ipse quibus medicus vixit & ipse cibus.

Ecclesia apud Namnetes exusta.

Extulit ecclesiæ culmen, quod reddidit vnum,
Venit ad heredem * quod cumularet, opus.

* qui.

Felicem reliquit successorem.

Felix ille abiit, Felicem in sede reliquit,
Heredis meritis viuit in orbe pater.

II

Epitaphium domni Gregorij episcopi ciuitatis Lingonicæ.

Mors à Christo subiugata.

POST quam syderius disrupit Tartara princeps,
Sub pedibus iusti mors inimica iaces.

Gregorius clara fuit maiorum prosapia.

Hoc veneranda sacri testatur vita Gregori,
Qui modo post tumulos intrat honore polos.
Nobilis antiqua decurrens prole parentum,
Nobilior gestis nunc super astra manet.

Arbiter

Arbiter ante ferox, dehinc plus ipse sacerdos,
Quos domuit iudex fouit amore patris,
Triginta & geminos pie rexit ouile per annos,
Et grege de Christi gaudia pastor habet.
Si quæras meritum produnt miracula rerum,
Per quem debilibus fertur amica salus.

In sæculo iudicis officio relicto, creatur episcopus. Præfuit XXXII. an. Claruitq; miraculis.

III.

Epitaphium domni Tetrici episcopi ciuitatis Lingonicæ.

PALMA sacerdotij venerando Tetrice cultu,
Te patriæ sedes, nos peregrina *tenet.
Te custode pio nunquam lupus abstulit agnum,
Nec de fure timens pascua carpsit ouis.
Sex quasi lustra gerens & per tres insuper annos,
Rexisti placido pastor amore gregem.
Nam vt condirentur diuino corda sapore,
Fudisti dulcem iugiter ore salem.
Summus amor regum populi decus, arma *parentum,
Ecclesiæ cultor nobilitatis honor.
Esca inopum, tutor viduarum, cura minorum,
Omnibus officijs omnia pastor eras.
Sed cui præbebat * variè tua cura medelam,
Funere rectoris plebs modo triste gemit.
Hoc tamen, alme pater, speramus; dignus in astris,
Qualis honore nites, hic pietate probes.

* tenent.
Tetrici ad gregem suum attentio.
Anni episcopatus XXXIII.
Facundia in prædicando.
*potentũ.
Virtutum eius sũma.
*variam.
Mortui desiderium.

IV.

Epitaphium domni Galli episcopi ciuitatis Aruernæ.

HOSTIS inique, Adam paradiso fraude repellis,
Ecce Deus famulos præstat adire polos.
Inuide sic tua mors homini meliora parauit,
Tu expellis terris, hic dat & astra suis.
Testis & antistes Gallus probat iste beatus,
Nobilis in terris diues eundo *polos.
Qui Christi auxilio fultus nec adultus in annis,
Se maiora petens, odit amare lares.
Effugit amplexus patrios, matremque relinquit,
Qui monachum regeret, quæritur abba parens.
Illic tyro rudis generoso cœpit ab æuo.

B. Gallus prænobili & vetusta progenie.
*polis.
Puer pæne relicta patria & parentibus Monasticen excolit.

Inde à Quintiano institutus.

Militiæ domini belliger arma pati.
Quintiano demum ſancto erudiente magiſtro,
Pulchrius eſt auro corde probatus homo.
Inde * palatinam regis translatus in * aulam,
Theodorice tuo vixit amore pio.
Mox vbi deſtituens terras petit aſtra magiſter,
Ceſſit diſcipulo cura tuenda * gregis.
Pontificatus enim moderans ita rexit habenas,
Paſtor vt officijs, eſſet amore pater.
Manſuetus, patiens, bonus, æquus, amator, amandus,
Non erat offenſæ, ſed locus hic veniæ.
Si qua ſuperuenit, facta eſt iniuria virtus,
Vnde furor poterat inde triumphus erat.
Plebem voce fouens, quaſi natos vbere nutrix,
Dulcia condito cum ſale mella * rigans.
Hoc opus exercens præſciuit dona futuri,
Se paſtore nihil poſſe perire gregi.
Sic pater eccleſiam regit in quinquennia quinque,
Bis terdena tamen luſtra ſuperſtes agens.
Hinc meliore via, ſanctum ad cœleſtia vectum,
Non premit vrna rogi, ſed tenet * vlna Dei.

*pa'atina. * aula. Transfertur in aulam Theodorici regis, &c. * gregem. Fit Aruernorum epiſcopus. Magniſq; virtutum ornamentis affluit. Dono etiā prophetiæ præditus. * dabat. Præfuit an. xxv. Vixit an. lx. * aula.

V.

Epitaphium Ruriciorum epiſcoporum, ciuitatis Lemouicinæ.

Mors iuſtis non dominatur.

INVIDA mors rapido quamuis miniteris hiatu,
Non tamen in ſanctos iura tenere vales.
Nam poſtquam remeans domuit fera Tartara Chriſtus
Iuſtorum meritis ſub pede victa iaces.
Hic ſacra pontificum toto radiantia mundo,
Membra, ſepulchra tegunt; ſpiritus aſtra colit
Ruricij gemini flores, quibus Anniciorum,
Iuncta parentali culmine Roma fuit.
Actu, mente, gradu, prænomine, ſanguine nexi,
Exultant pariter hinc auus, inde nepos.
Tempore quiſque ſuo fundans pia templa patroni,
Iſte Auguſtini, condidit ille Petri.
Hic probus, ille pius, hic ſerius, ille ſerenus,
Certantes pariter, quis cui maior erit.
Plurima pauperibus tribuentes diuite cenſu,

Ruritiorū genus ex Aniciana proſapia. Fundans templa.

Miſere

Misere ad cœlos, quas sequerentur opes.
Quos, spargente manu, redimentes crimina mun[di],
Inter Apostolicos credimus esse choros.
Felices, qui sic de nobilitate fugaci
Mercati, in cœlis iura senatus habent.

Amplissimosque cēsus in pauperes distribuunt.

VI.

Epitaphium * *Exotii episcopi ciuitatis Lemouicinæ.*

* Esocij.

QVAMVIS pontificem premeret tremebunda Senectus,
Attamen hæc voluit plebs superesse patrem.
Aut si naturæ mutari debita possent,
Pro pastore suo grex properasset iter.
Sed quia non licuit, populum spes consulat illa,
Hunc quod pro meritis vexit ad astra fides.
Immaculata Deo conseruans membra pudore,
Exotius meruit iam sine fine diem.
Pectore sub cuius regnans patientia victrix,
Fluctibus in tantis, anchora, sensus erat.
Felle carens, animo placidus, dulcedine pastus,
Nesciit offensis ira referre vices.
Templorum cultor, recreans modulamine ciues,
Vulneribus patriæ fida medela fuit.
Qui tria lustra gerens in pontificatus honore,
Pergit ad antiquos, plebe gemente, patres.
Non decet hunc igitur vacuis deflere querelis,
* Post tenebras mundi, quem tenet aula poli.

Exotii mira apud suam plebē gratia.
Pudicitiā adprimè coluit.
Patientiæ laudibus & moderationis iræ excellens.
Assiduus in ecclesia cantu & psalmodia.
Sedit an. xv.

* Quem lætum sūmi nunc tenet aula poli.

VII.

Epitaphium Chalacterici episcopi ciuitatis Carnotenæ.

ILLACHRYMANT oculi, quatiuntur viscera fletu,
Nec tremuli digiti scribere dura valent.
Dum, modo, quæ volui viuo, dabo verba sepulto,
Carmine vel dulci cogor amara loqui.
Digne tuis meritis, Chalacterice sacerdos,
Tardè note mihi, quam cito chare fugis?
Tu patriam repetis, nos triste sub * vrbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos * lachrymosa dies.
Ecce sub hoc tumulo pietatis membra quiescunt,
Dulcior * ac melli lingua sepulta iacet.

*orbe.
*tenebrosa.
*&.
Chalacterici pietas.
Facūdia & doctrina.

Liberalitas ceteræque virtutes.

Forma venusta, decens animus, sine fine benignus,
Vox suauis legem præmeditata Dei.

*totus.

Spes cleri, tutor viduarum, panis egentum,
Cura propinquorum, * promptus ad omne bonum.

Vox eius in Psalmodia suauis.

Organa psalterij cecinit modulamine dulci,
Et tetigit * laudans plectra beata Dei.

*laudis.

Seuera in correptione.

Cautere eloquij bene purgans vulnera morbi,
Quo pascente, fuit fida medella gregi.

Decessit anno XXVIII.

Sex qui lustra gerens, octo bonus insuper annos,
Ereptus terræ iustus ad astra redis.
Ad paradisiacas epulas te ciue reducto,
Vnde gemit mundus, gaudet honore polus.
Et quia non dubito, quanta est tibi gloria laudum,
Nec debes fleri talis, amice Dei.
Hæc qui, sancte pater, pro magnis parua susurro,
Pro Fortunato, quæso, precare tuo.

VIII.

Epitaphium Chronopii episcopi Petrocorica.

Chronopij excellēs pietas fuit.

SI terrena sacer quondam tibi cura fuisset,
Carmine plus lachrymas, quam modo verba darem.
Sed quia tu mundus, nec sunt tibi crimina mundi,
Nos gaudere mones, qui sine morte manes.
Antistes pietate calens, venerande Chronopi.
Membra sepulchra tegunt, spiritus astra tenet.

Parentes eius in episcoporum ordinem adsciti.

Ordo sacerdotum cui fluxit vtroque parente,
Venit ad heredem pontificalis apex.
Hunc tibi iure gradum successio sancta parauit,
Vt quasi iam merito debitus esset honor.

Clara maiorum eius familia.

Nobilis antiquo veniens de germine patrum,
Sed magis in Christo nobilior merito.

Suauitas morum.

Sic vultu semper placidus, seu mente serenus,
Pectore syncero fons sine nube fuit.

Et eloquētia in eo rara.

Cuius ab eloquio nectar per verba fluebat,
Vinceres vt dulces ore rigante fauos.

Animus in pauperes propensissimus.

Nudorum tu vestis eras, algentis amictus,
Qui ad tua tecta fugit, tectus & ipse redit.
Diuitias omnes inopum sub ventre locasti,
Vnde tibi semper viua talenta manent.

Esu-

Esuriens epulum, sitiens te sumere potum,
Cernere te meruit tristis, & exul opem.
Implesti propriis viduatam ciuibus vrbem,
Videruntque suos, te redimente, lares.
Quam lupus ab stabulis tulerat, frendente rapina,
Te pastore,* gregi reddita plaudit ouis.
Templa exusta celer reuocasti in culmine prisco,
Hinc tua sed cœlis stat sine labe domus.
Ipse bis octono vixisti in corpore lustro,
Nunc tibi pro meritis * stet sine fine dies.

Pietas eius in ciues. Ecclesiæq; cura non inferior.
*gregis.
Vixit an. LXXX.
*est.

IX.

Epitaphium Leontij Episcopi Anterioris ciuitatis Burdegalensis.

VLTIMA sors auido grauiter properauit hiatu,
Pastorem rapiens, qui fuit arma gregis.
Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti,
Quo stetit eximium pontificale caput.
Quem plebs cuncta gemens confusa voce requirit,
Hinc puer, hinc iuuenis deflet, & inde senes.
Defensoris opem hic omnis perdidit ætas,
Et quantum coluit, nunc lachrymando docet.
Nemo valet siccis oculis memorare sepultum,
Qui tamen in populo viuit amore pio.
Egregius nulli de nobilitate secundus
Moribus excellens culmine primus erat.
Hic pietate noua cunctis minor esse volebat,
Sed magis his meritis & sibi maior erat.
Quo præsente viro meruit discordia pacem
Expulsa rabie corda ligabat amor.
Ecclesiæ totum concessit in ordine censum,
Et tribuit Christo, quod fuit ante suum.
Ad quem pauper opem, precium captiuus habebat,
Hoc proprium reputans, quod capiebat egens.
Cuius de terris migrauit ad astra facultas,
Et plus iste Deo, quam sibi vixit homo.
Cordis in amplexu retinens, & pectore plebem,
Diceret vt populum se generasse patrem,
Namque suos ciues placida sic voce monebat,
Confitereris vt hunc ad sua membra loqui.

N 3 Inge-

Ingenio vigilans, diues quoque dogmate Christi,
Et meruit studio multiplicare gradum.
Largior in donis absens sibi iunxit amantes,
Et quo non fuerat munere, notus erat.
Principibus carus huiusque amor vnicus vrbis
Festinans animis omnibus, esse parens.
Lustra decem pollens, septem quoque vixit in annos,
Mox vrgente die raptus ab orbe fuit.
Sed quis cuncta canat, cum tot bona solus habebat,
Nunc vno in tumulo plurima vota iacent.
Hæc tibi parua nimis, cum tu merearis opima,
Carmina * Theodosius præbet amore tuus.

*Theudosius.

X.

Epitaph. Leontij sequentis ciuit. Burdegal.

OMNE bonum velox, fugitiuaque gaudia mundi,
Prosperitas hominum quam cito rapta volat?
Malueram potius cui carmina ferre salutis,
Peruerso voto flere sepulchra vocor.
Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti,
Quem sua Pontificem fama sub astra leuat.
Nobilitas altum ducens ab origine nomen,
Quale genus Romæ forte senatus habet.
Et quamuis celso flueret de sanguine patrum,
Hic propriis meritis crescere fecit auos.
Regum summus amor, patriæ caput, arma parentum,
Tutor amicorum plebis, & vrbis honor.
Templorum cultor, tacitus largitor egentum,
Susceptor peregrum distribuendo cibum.
Longius extremo si quis properasset ab orbe,
Aduena mox vidit hunc ait esse patrem?
Ingenio viuax, animo probus, ore serenus,
Et mihi qualis erat? pectore flente loquor.
Hunc habuit clarum, qualem modo Gallia nullum,
Nunc humili tumulo culmina celsa iacent.
Placabat reges, recreans moderamine ciues,
Gaudia tot populis, heu, tulit vna dies.
Lustra decem felix, & quatuor insuper annos
Vixit, & auroræ lumine raptus obit.

Fune

Funeris officium magni ſolamen amoris
Dulcis adhuc cineri dat Placidina tibi.

XI.

*Epitaph. Victoriani Abbatis * Monaſterij Agaunenſis.*

* de monaſterio Aſanæ.

QVISQVIS ab occaſu properas huc, quiſquis ab ortu,
Munus in hoc tumulo quod venereris, habes.
Reſpice ditatum cœleſti dote talentum,
Cuius ſemper habet pectoris arca Deum.
Religionis apex, vitæ decus, arma ſalutis,
Eximius meritis Victorianus adeſt.
Dignum opus exercens, qui fructificante labore
Cunctis, non ſoli vixit in orbe ſibi.
Plurima per patriam monachorum examina fundens
Floribus æternis mellificauit apes.
Lingua potens, pietas præſens, oratio iugis
Sic fuit, vt iam tum totus ad aſtra foret.
Plura ſalutiferis tribuens oracula rebus,
Sæpe dedit ſignis vita beata fidem.
Bis ſenis rexit patrio moderamine luſtris
Rite Deo placitas paſtor opimus oues.
Calle ſequens recto ſacra per veſtigia Chriſtum,
Nunc fruitur vultu, quem cupiebat amor.

XII.

Epitaphium Hilarij Presbyteri.

OMNES vna manet ſors irreparabilis horæ,
Cum venit extremus lege trahente dies.
Sic furit ira necis, neq; nos fugit orbita mortis,
Puluere facta caro non niſi puluis erit.
Hæc tamen inſignes animas ſpes optima paſcit,
Quod qui digna gerit de nece nulla timet.
Hoc iacet in tumulo venerandus Hilarius, actu,
Corpore qui terras, & tenet aſtra fide.
Vir bonus, egregia de nobilitate refulgens, Nobilitas Hilarij.
Inter honoratos germinis altus apex.
Connubio iunctus ſimili, ſed coniuge rapta, Coniugiũ.
Stans in amore Dei, non fuit alter amor.
Vtilis in propriis, doctus moderamine legis, Doctrina.

Cuius

Cuius iudicium pondere libra fuit.

Æquitas. Iuſtitiam tribuens populis examine recto,
Vendita res precio non fuit vlla ſuo.
* Euantia. Funeris officio lachrymans * Euentia charo,
* ſepulchra. Contulit hæc genero membra * ſepulta ſuo.

XIII.

Epitaphium Seruilionis.

* inhoſpita. QVamuis longa dies, breuis hic, & *hoſpita lux eſt,
Sola tamen neſcit vita beata mori.
Hoc igitur tumulo Seruilio clauſus habetur
Nobilis, & merito nobiliore potens.
Ipſe Palatinam rexit moderatius aulam,
Commiſſæque domus creſcere fecit opes.
Preſbyter inde ſacer manſit venerabilis orbi,
Seruitioque Dei libera vita fuit.
Orphanus hic patrem, viduæ ſolatia deflent,
Vnde magis cœlis gaudia vera tenet.
Pontificem genitum videt hinc de munere Chriſti,
Raptus ab orbe quidem lætus ad aſtra redit.

XIV.

Epitaph. Præſidii.

VITA breuis hominum, ſed non breuis illa piorum,
Dum migrante die proſperiora tenent.
Qui meruere magis de carcere carnis euntes
Poſt tenebras mundi luce perenne frui.
Ex quibus hic recubans meritis Præſidius almis,
Carne tenet tumulum, ſpiritus igne polum.
Pectore de proprio Chriſti reſponſa rigando,
Multorum extinxit fonte fluente ſitim.
Inuitans inſtanter oues ad paſcua Regis
Diſtribuit dulcem fratribus ore ſalem.
Nam quoties monachus peccati eſt vulnere ſauus,
Miſſus ad artificem certa medela fuit.
Ibat ad Abbatem famulans, ſanctumq; magiſtrum,
Diſcipulus humilis qui fuit ante tumens.
Talibus officijs intentus amore Tonantis
Inter & angelicos fulget honore choros.

XV.

Epitaphium Boboleni diaconi.

INNVMERIS hominum ſubiecta eſt vita periclis,
Caſibus & varijs ſors inimica premit.
Nam recubando thoro Bobolenus honore Diaeni,
Dum fruitur ſomno mors rapit atra virum.
Hoſtis in inſidijs ſecuro, cæde ſecuris
Percutiens cerebrum, fecit, obire, dolo.
Dic tibi quid prodeſt ſcelus hoc peragendo nefande?
Ille Deo viuit, tu moriture peris.
Martyris ille decus meruit; tu damna latronis;
Hinc ſibi palma placet, ſed tibi pœna manet.

* Diacon. Quieſcens in ſomno Securi cerebro illiſa. Perit inſons.

XVI.

Epitaphium Attici.

QVAMVIS longa ſeni ducatur in ordine vita,
Cum venit extremum, nil valet eſſe diu.
Sed quia nemo fugit, niſi terram terra recondat,
Lege ſub hac, cunctos ſors rapit vna, viros.
Celſus in hoc humili tumulo iacet Atticus; ille
Qui dabat eloquio dulcia mella ſuo.
Impendens placidam ſuaui modulamine linguam,
Pacificuſq; ſuus ſermo medella fuit.
Cuius abundantem venerata eſt Gallia ſenſum,
Excoluitque ſenem ſemper honore patrem.
Clarus ab antiquis, ſpes nobilitatis opimæ,
Sufficiens proprijs nulla rapina fuit.
Dogmata corde tenens plenus velut arca libellis,
Quiſquis quod voluit fonte fluente bibit.
Conſilio ſapiens, animo pius, ore ſerenus,
Omnibus vt populis eſſet amore parens.
Sic venerabilibus templis, ſic * fauit egenis,
Mitteret vt cœlis quas ſequeretur opes.

Atticus eloquens.

In Gallia celebris. Tum ob generis nobiilitatem, tum ob doctrinæ ſapientięque præſtantiam.
* fudit.

XVII.

Epitaphium Arcadii iuuenis.

OMNE bonum velox fugitiuo tempore tranſit,
Quæ placitura videt, mors magis illa rapit.

O Hic

Hic puer Arcadius veniens de prole ſenatus.
Feſtinante die raptus ab orbe iacet.
Paruula cuius adhuc freno ſe vinxerat ætas,
Vt* tener & annis ſurgeret ipſe ſenex.
Eloquio torrens, ſpecie radiante venuſtus
Vincens artifices, & puer arte rudis.
Quo me forma rapis laudes memorare ſepulti,
Singula ſi memores; plus lachrymanda mones.
Sed quoniam nulla maculatus ſorde receſſit,
Nulli flendus erit, quem paradiſus habet.

* teneris.

XVIII.

Epitaphium Baſili.

IMPEDIOR lachrymis prorumpere nomen amantis.
Vixque dolenda poteſt ſcribere verba manus.
Coniugis affectu, cogor dare pauca ſepulto,
Si loquor, affligor, ſi nego, durus ero.
Qui cupis hoc tumulo cognoſcere lector humatum,
Baſilium illuſtrem mœſta ſepulchra tegunt.
Cuius blanda pio recreabat lingua relatu,
Et dabat eloquio verba benigna ſuo.
Hinc doctrina rigans, illinc dulcedo redundans.
Ornauit radio lux geminata virum.
Regis amor, carus populis, ita pectore dulcis,
Vt fieret cunctis in bonitate parens.
Tranquillus, ſapiens, iocundus, pacis amicus,
Nullaque quo ſtabat ſemina, litis erant.
Hunc conſultantem legati ſorte frequenter
Miſit ad Hiſpanos Gallica cura viros.
Sufficienter habens, nunquam fuit arma rapinæ,
Non propriis eguit, non aliena tulit.
Eccleſias ditans, loca ſancta decenter honorans,
Pauperibus tribuens, diues ad aſtra ſubit.
Annis bis denis cum Baudegunde iugali,
Iunxit in orbe duos vnus amore torus.
Qui tamen vndecimo luſtro cito raptus ab æuo,
Poſt finem terræ regna ſuperna petit.
Non iam flendus eris humana ſorte recedens,
Dum patriam cœli dulcis amice tenes.

XIX

XIX.

Epitaphium Aracharij.

PARTV terra suo fraudem non sustinet vllam,
Quæ dedit, hæc recipit, debita membra luto.
Hic vergente suo situs est Aracharius æuo,
Sex qui lustra gerens, raptus ab orbe fuit.
Ipse Palatina refulsit clarus in aula,
Et placito meruit regis amore coli.
Omnia restituit mundo, quæ sumpsit ab ipso,
Sola tamen pro se quæ bene gessit, habet.

Aracharius palatinus.

XX.

Epitaphium Brumachii.

QVISQVIS in hoc tumulo cineres vis nosse sepulti,
Brumachius quondam fulsit in orbe potens.
Quem sensu, eloquio, legati nomine functum,
Dum remeat patriæ, sors inimica tulit.
Finibus Italiæ raptus, sed * Frigia coniux
Detulit huc chari funus amore viri.
Ceu viuum coluit, cui grata est vmbra mariti,
Coniugibus castis ipsa fauilla placet.
Ipse quaterdenos permansit in orbe per annos,
Mox obit, & magnum parua sepulchra tegunt.

Brumachius vir eloquens.
*Fragia Phrygia.
Legatus in Italia moritur.
Annos natus XL.

XXI.

Epitaphium Auoli.

IRRIGVIS Auolum lachrymis, ne flete, sepultum,
Qui propriis meritis gaudia lucis habet.
Nam si pensentur morum pia gesta suorum,
Felix post tumulos possidet ille polos.
Templa Dei coluit, latitans satiauit egentem,
Plenius illa metit, quæ sine teste dedit.
Nobilitate potens, animo probus, ore serenus,
*Plebis amore placens, fundere promptus opes.
Non vsuræ auidus, licet esset munere largus.
Plus nihil expetiit quam numerando dedit.
Nil mercedis egens, merces fuit vna salutis,
Quod minus est precio, proficit hoc merito.

Auoli excellēs pietas.
Et in pauperes benignitas.
* Promptus opes miseris sat tribuendo dedit.

Luce

Luce perenne fruens felix cui mortua mors est,
Quem non pœna premit, vita superna manet.

XXII.

Epitaphium Innocentum.

HOc iacet in tumulo non flenda infantia fratrum,
Quos tulit innocuos vita beata viros.
Vno vtero geniti, simili sunt sorte sepulti,
Et pariter natos lux tenet vna duos.
Pædo baptismus. Lotus fonte sacro prius ille recessit in albis,
Iste gerens lustrum ducitur ante Deum.
Nomine sed primus vocitatus rite Ioannis,
Alter Patricius munere maior erat.
De cuius merito sic plurima signa dederunt,
Felices animæ, quæ pia vota colunt.
Hic etiam felix genitrix requiescit eorum,
Quæ meruit partu lumina ferre suo.

XXIII.

Epitaphium Iuliani.

COndita sunt tumulo Iuliani membra sub isto,
Cuius in æternum viuere nouit honor.
Mercator quondam conuersus fine beato,
Raptus ab hoc mundo crimine liber homo.
Collegit nimium, sed sparsit egentibus aurum,
Præmisit cunctas, quas sequeretur opes.
Sollicitus quemcunque nouum conspexit in vrbe,
Hunc meruit veniens exul habere patrem.
Pascere se credens Christum sub paupere forma,
Ante omnes apud hunc sumpsit egenus opem.
Nec solum refouens, sed dona latendo ministrans,
Amplius inde placet, quod sine teste dedit.
*aluo. Felicem censum, qui fratris migrat in *aluum,
Et viuos lapides ædificare potest.
Extulit hunc tumulum genitoris honore Ioannis,
Qui modo diuinis fungitur officiis.
Qualiter hic viuo seruiret amore parenti,
Cum nati pietas ipsa sepulchra colit?

XXIV.

Epitaphium Orientij.

NON hic nostra diu est fugienti tempore vita,
Quæ sub fine breui vix venit, inde redit.
Ecce caduca volant præsentia sæcula mundi,
Sola fides meriti nescit honore mori.
Clauditur hic pollens Orientius ille sepultus,
Cui Palatina prius mansit aperta domus.
Consiliis habilis, regalique intimus aulæ,
Obtinuit celsum dignus in arce locum.
Vir sapiens, iustus, moderatus, honestus, amatus,
Hoc rapuit mundo, quod bene gessit homo.
Sexaginta annis vix implens tempora lucis,
Coniuge Nicasia qua tumulante, cubat.
Cuius castus amor colit ipsa sepulchra mariti,
Nec placitura homini, sed dedit, esse Dei.

Orientius vir palatinis officiis illustris.

Virtute clarus multiplici.

Nicasia eius coniux.

XXV.

*Epitaphium * Theodechildis reginæ.*

QVAMVIS ætatis senio iam flecteret annos,
Multorumque tamen spes cito rapta fuit.
Si precibus possent naturæ debita flecti,
Plebs ageret lachrymis, hanc superesse sibi.
Gaudia quanta inopum tumulo sunt clausa sub isto?
Votaque quot populis abstulit vna dies?
Inclita nobilitas genitali luce coruscans,
Hic properante die Theodechilda iacet.
Cui frater, genitor, coniux, auus, atque priores,
Culmine succiduo regius ordo fuit.
Orphanus, exul, egens, viduæ nudique iacentes,
Matrem, escam, tegmen, hic sepelisse dolent.
Vnica res placuit; cumulo mercedis opimæ
Antea cuncta dedit, quam peteretur opem.
Occultans sua dona suis, neu forte vetarent,
Sed quæ clausa dedit, iudice teste, docet.
Templorum domini cultrix, pia munera præbens,
Hoc proprium reputans quidquid habebat inops.
Vna mori sors est; & terræ reddere terram;

*Theodechildæ.

Theodechildæ sanguis regius.

Eleemosynarum præstans studium.

Eius in templa munificentia.

Felix, cui meritis stat sine fine dies.

Vixit an. 75. Actibus his instans, terrena in luce relata,
Terquino lustro vixit in orbe decus.

XXVI.

*Vilitrutę. *Epitaphium * Vilithutę.*

OMNE bonum velox, fugitiuaque gaudia mundi
Monstrantur terris, & cito lapsa ruunt.
* perdet perdat. Vt dolor acquirat vires, cum * perdit amantem,
Ante placere facit, durius inde premit.
Heu lachrymæ rerum, heu sors inimica virorum
*Dagaulfus Vilithritæ maritus. Cur placitura facis quæ dolitura * rapis?
Vilithuta decens Dagaulfi cara iugalis,
Coniugis amplexu dissociata iacet.
Corpore iuncta thoro, plus pectore nexa marito,
Lucis in occasu vincula rupit amor.
Tempora cui poterant adhuc in flore manere,
Principio vitæ finis acerbus habet.
Vilithutæ genus & educatio. Sanguine nobilium generata, Parisius vrbe,
Romana studio, barbara prole fuit.
Ingenium. Ingenium mite torua de gente trahebat
Vincere naturam, gloria maior erat.
Nunquam mœsta manens, vultu noua gaudia portans,
Nubila fronte fugans, corde serena fuit.
Forma corporis. Fudit ab ore iubar species redimita decore,
Protulit & radios forma venusta suos.
Stirpe sua reliquas superauit pulchra puellas,
Et crocea facie lactea colla tulit.
Et animi. Splendida conspectu meliori pectore fulsit.
Digna micans animo nec pietate minor.
Cui quamuis nullus hac in regione propinquus
Obsequio facta est omnibus vna parens.
Eleemosynæ fructus Diuinis intenta bonis, alimenta ministrans,
Qua mercede magis se satiasse videt.
Hæc data post obitum faciunt quoq; viuere functam
Forma perit hominum nam benefacta manent.
Corpora puluis erunt, & mens pia floret in æuo.
Omnia prætereunt, præter amare Deum.
Orphana tunc auiæ, studiis adoleuit opimæ,

Inque

Inque loco natæ neptis adulta fuit.
Tertius à decimo vt hanc primum acceperat annus,
Traditur optato consociata viro.
Nobilitas in gente sua cui celsa refulsit,
Atque suis meritis additur alter honor. Dagaulfi nobilitas.
Dulcis ouans, alacris studiis, ornata iuuentus,
Quod natura nequit, littera prompta dedit.
Tres meruere tamen iuncti superesse per annos,
Coniugioque suo corde legante frui.
Ambo pares animo, voto, spe, moribus, actu,
Certantesque sibi, mente, decore, fide.
Tempore iam certo est enixa puerpera prolem,
Damno fœta suo, quæ pariendo perit. Vilithuta perit in partu.
Abripuit teneram subito mors inuida formam,
Annos quippe duos lustra gerendo tria.
Sic animam generans, anima spoliatur; & ipsa
Spem peperit luci, luce negante sibi.
Exemplum sed triste dedit secura parenti
Vnde redire solet, deficit inde genus.
Tertius esse pater cupiens, heu solus habetur,
Crescere quo numerus debuit, * ipse cadit. * esse.
Nam * partus cum matre perit, nascendo sepultus,
Nil vitale trahens, natus in ore necis. Prolesque simul extinguitur.
Plus fuerant soli, si tunc sine prole fuissent,
Addita posteritas abstulit id, quod erat. * paruus.
Infaustis votis genitus de funere matris,
Et genitrix nato mortis origo fuit.
Alter in alterius lætali sorte pependit,
Inque vicem sibi mox ambo dedere necem.
Sed sensit grauiora dolens pater, atque maritus,
Qui gemit, vno obitu se sepelisse duos.
Pro vix dum genito lachrymas iam soluit humato,
Vidit quod fleret, non quod haberet amor.
Tristitiæ cumulum tribuit cui rapta iugalis,
Dans longas lachrymas tempore nupta breui.
Consultum tamen illud habet de coniuge coniux,
Huic quia mercedis non vacuatur opus
Nam quod ad ornatum potuit muliebre videri,
Ecclesiis prompte, pauperibusque dedit. Vilithutæ in eccle-

Hic

fias & pauperes rara liberalitas.

Hic, nulla ex illis rebus, peritura reliquit,
Vt modo præmissas diues haberet opes.
Quam bene distribuens, sine se sua noluit esse,
Nam quæ larga dedit, hæc modo plena metit.
Condidit ergo sibi, quidquid porrexit egenti,
Et quos sumpsit inops, hos habet illa cibos.
Felices, quos nulla grauant de morte secunda,
Nec faciunt pœnis subdita membra feris.

*amarum.

Dulcibus illecebris qui non sibi condit * Auernum,
Nec per carnem, animam vult sepelire suam.
Sed casta pietate manens, sine crimine vitæ
Illius in luce hac, præmia lucis emit.
Tempore quam paruo lachrymas aut colligit amplas?
Aut cui vita nitet, gaudia longa capit?

*Hac.

* Hic de morte leuis dolor est; nam durius illud
Hic, quem viuentem Tartara nigra tenent.

Iudicii extremi hipotyposis.
*arte.
*Commouet.

Infelix, quisquis maculosis actibus vsus
* Ante redemptorem se laqueasse videt.
Nubibus inuectus, cum venerit arbiter orbis,
Et tuba terribilis * mouerit arma polis.
His venit Helias, illis in curribus Enoch,
Anteuiando suos; hinc Petrus; hinc Stephanus,
Flore puellarum rosea stipante corona,
Inter virgineos prima Maria choros.

*mater.

Hinc * Martha, hinc sponsa Agnes, Tecla dulcis, Agatha,
Et quæcunque Deo virginitate placet.
Tunc ibi quis terror, cœli assistente senatu?
Quid dicturæ animæ judicis in facie?

Damnatorum conditio.

Mox aut pœna manet miseros, aut palma beatos,
Quisque suæ vitæ semina iacta metit.
Sunt dicturi alij; cade mons, & comprime corpus:
Sed iussi colles ferre sepulchra negant.
Cogentur minimi quadrantem soluere nummi,
Nemo pedem remouet, quo sua culpa trahit,
Spe vacui, paleæ similes mittentur in ignes,
Pascendis flammis, fit caro nostra cibus.
Viuunt ad pœnas, æterno ardente camino,
Vt cruciet grauius mors mala non moritur.
Ne fessi recreent animas longo igne crematas,

Porri-

Porriget, heu, nullas flammiger amnis aquas.
Parte alia, meritis felicibus *acta tenentes
Fulgebunt iusti, sol velut arce poli.
Digni lumen habent, damnati incendia deflent,
Illos splendor alit, hos vapor igne coquit.
Res est vna quidem, duplici sed finditur actu,
Nam cremat indignos, quo probat igne pios.
Æterna radiant paradisi in luce beati,
Cum facie Christi regna tenendo sui.
Gratia quanta manet vultus qui aspexerit illos?
Quantus honor hominum, posse videre Deum?
Si nimis erigitur, fragilem qui cernit amicum,
Qualiter exultet, qui videt ora Dei?
Lilia, narcissus, violæ, rosa, nardus, *amomum.
Quidquid, odorifero germine, mittit Arabs.
Iudicis in vultu florentia lumina vernant;
Sed super hæc, domini suauior efflat odor:
Nam quantum obscœno melior lux aurea plumbo,
Tantum thura Deo, cedit & omnis odor:
Quantum nocte dies distat, sol lampade lunæ,
Factori cedunt, sic, sua facta suo.
Cum vero iusti tanto splendore fruantur,
Congaudent nimium se caruisse mori.
De tenebris migrasse fauent, in luce perenni,
Et magis ad bona tot tardius isse dolent.
Tu quoque nec lachrymis vras pia facta iugalis,
Cui, modo creduntur, hic meliora dari.
Nam si deplores, meritis quæ viuit opimis,
Coniugis ipse bonis inuidiosus eris.
Præsertim, quam sensu, animo, tibi corpore, *iunctam,
Cum Christo semper corde fuisse refers.
Post domini vultus, ad te si iussa rediret,
Fleret, in hunc mundum, se* reuocasse gradum.
Charius illa diem retinet, quem perdere nescit,
Quam hunc quem timuit, fine sequente, sibi.
Ne graue funus agas, cunctis natura quod offert,
Quod cum principibus participatur inops.
Nullum paupertas, non eripit ampla facultas,
Hoc commune simul, diues, egenus, habet.

*alta
Beatorum status.
Ignis iudicis.
Splendor beatorum.
*Amomus.
Paraclesis ad Dagaulfum.
*iuncta.
*reuocare

P Nam

Nam puer, atque senex, niger, albus, turpis, honestus,
Debilis, & fortis, mitis, & asper, obit.
— Lacuna in MS. Huc sapiens, stolidus —— probus, improbus, omnis
Plenior exiguus, paruus, & altus adit.
Tardiùs, aut citius, currit sors ista per omnes,
Dissimili merito, mors trahit vna viros.
*sumere. Non decet ergo graues pro coniuge * fundere fletus,
De cuius meritis te dubitare, negas.
Fœlices nimium hic qui sine crimine præsunt,
Qui melius discunt viuere, post obitum.

XXVII.

Epitaphium Euphrasiæ.

*æuum. SI pietatis opus nunquam morietur in * æuo,
Viuis pro merito fæmina sancta tuo.
Inclyta sidereo radians Euphrasia regno,
Nec mihi flenda manes, cum tibi læta places.
Terræ terra edit, sed spiritus astra recepit,
Pars iacet hæc tumulo, pars tenet illa polum.
Corpore deposito leuiori vecta volatu,
Stas melior cœlo, quam prius esses humo.
*facta. Carnis iniqua domans de te tibi * sacra triumphans,
Ad patriæ sedes ciuis opima redis.
Ardua nobilitas proauorum luce coruscans,
Plus tamen es meritis glorificanda tuis.
Vir cui Namatius, datus inde Vienna sacerdos
Coniuge defuncto consociata Deo.
Exulibus, viduis, captiuis omnia fundens,
Paupertate pia diues ad astra subis.
Æternum mercata diem sub tempore paruo,
Misisti ad cœlos, quas sequereris, opes.
Sed rogo per regem Paradisi gaudia dantem
Pro Fortunato supplice funde precem.
Obtineas votis hæc qui tibi carmina misi,
Vt merear claudi quandoque claue Petri.

XXVIII.

Epitaphium Eusebiæ.

* parentis. SCRIBERE per lachrymas si possint dura parentes,
Hic pro pictura littera fletus erat.

Sed

Sed quia lumen aquis non signat nomen amantis,
Tracta manus sequitur, qua iubet ire dolor.
Nobilis Eusebiæ furibundi sorte sepulchri,
Hic obscure lapis fulgida membra tegis.
Cuius in ingenio seu formæ corpore pulchro
Arte Minerua fuit, victa decore Venus.
Docta tenens calamos, apices quoque figere filo,
Quo tibi charta valet, hoc tibi tela fuit.
Dulcis in Eusebii iam desponsata cubile,
Viuere sed teneræ vix duo lustra licet.
Vt stupeas iuuenem sensum superabat anilem.
Se quoque vincebat non habitura diu.
Conteriturque socer, cui nata, generque recedit,
Hæc lethalis obit, ille superstes abit.
Sit tamen auxilium, qui non es mortua Christo,
Viues post tumulum virgo recepta Deo.


VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER QVINTVS.

I.

Ad Martinum Episcopum Galliciæ.

Domno, sancto, atque Apostolico in Christi regis exercitu post ducem Paulum primipilo, Martino Episcopo Fortunatus.



FELICI propulsa flatu recreabilis opinionis vestræ nostras aures aura demulsit, & molli blandita lapsu, sibilo crepitante, paradisiaci horti odoramenta * saburrans, suauium florum nuntia nares ipsas aromate respirante suffiuit, ad modulanter indicans, quod sicut ad orientem Edon à principio, ita decurso sæculo, alterum ad occasum Deus plātasset Elysium, in quo fortior Adam, id est, Martius Martinus inexpugnabilis accola Christi, fide ditior viueret, perpetuo seruante mandato, * ad quem non tam ad auram dominus reuisendum, post meridiem pergeret, quam ipse vir factus paradisus, inter perspicui cordis smaragdinas plateas, & vernantis operis * inumbratos co-

* Gloss. MS. 1. spirans odorans.

* τὸ ad deest aliquibus MSS.

* inumbrantes.

tos corymbos, non quod ficus tegeret, sed fructus ornaret, inambulantis in se beati redemptoris, adhæsura vestigia coherceret, fide figente: vnde nec ad momentum pii conditoris laberetur præsentia, quia nec in atomo plasma notaretur in culpa, sed per illas beatitudines, velut odori nemoris, illectus delitiis, & vernulam Dominus, & verna dominum possideret; vtpote cum alternante sibi concatenati dulcedine, nec iste fugaretur *admissu, nec ille fraudaretur amplexu, hinc inhiantibus animis, medullis æstuantibus, oculis suspectis, palmis extentis, feruens magis, quam sitiens. Præstolabar, epistolæ vestræ magna, si vel parua nubecula madidanti vellere bibulus humectarer: desiderii conscius vota voto præueniens, si quid de vobis certissimè, vel per vndas mobiles fixa mihi littera nunciaret, ita vt ariditatem meam colloquii vestri temperaturus imber sic irrigaret, paginam ne deleret. quo tamen prouidentia diuina consulto per filium vestrum venerandum mihi Dominum, sanctam caritatem refectam suscepi, cernens epistolam, quæ vt vos nostis, arte compacta, vt ego sensi, flore conferta, bibentem se potius, quam legentem ferret, per singulos apices pigmentato affamine inebriatura. Diues pauperi propinauit, & vt ita dixerim; quasi falerni nobilis ipso me prius odore pincernante, suppleuit: gemina dicendi fruge congesta, condita sale, melle perfusa, permixta blanditie, cum vigore me peregrini poculi, quantum desuetum, plus auidum; dum pars illicit, pars deterret; in ancipiti posito conuiua *resticulo: nec sustinente magna *bibere, consentio dulcedini, qui certo virtuti. Hoc igitur fluente dono, venit ad me, fateor, per cana Ponti fons poculi; venit, pater optime, per salsum mare, quod sitim restingueret; & venit oceanitide miscente fluctu mera dulcedo; cuius liquor non fauce tenus saperet, si arcana mulceret: quippe quod non carnem foueris tali potu: sed spiritum. Vnde, vt verè prosequar; huius vua palmitis, nobis sitim prorogat, dum propinat. Hac inopina fruge delapsa per gurgitẽ, primus iste mihimet venit fructus è fluctibus; detulit puppis illa reliquis forsitan alumen, mihi vestri colloquii, certè lumen; cōmercium, tali discrepante mercatu, quod aliis illud ad pretium, hoc nobis *inemptum. Illinc restinguitur, hinc purgatur, illud inficit, hinc niuescit. Quid loquar de periodis, Epicherematibus, enthymematis, syllogismisque perplexis, quo laborat quadrus Maro, quo rotundus Cicero; quod apud illos est profundum; hic profluum; quod illinc difficillimum, hinc in promptu. Comperi paucis punctis, quoniam quo volueris, *cola pampinosæ diffundis propagines: quod verò libuerit, acuti cōmatis falce succidis, vt cauti vinitoris studio moderante, nec in hoc luxurians germinet vmbra fastidium; & illuc, tensa placeat propago cum fructu. Nam, quod refertis, in litteris post Stoicam, Peripateticamq; censuram, me

*admisso. *rusticulo *bibente *ineptum *colæ. gloss. 1. crescentis.

me theologiæ, ac theoriæ tyrocinio mancipatum, agnosco. quid amor faciat, cum & immerentes exornat. Cur tamen, bone pater, in me reflectis, quod tuum est ac de me publicè profers, quod tibi priuatum est? cum prima sint vobis nota, & secunda domestica: nam Plato, Aristoteles, Chrysippus, vel Pittacus, cum mihi vix opinione noti sint, nec legenti Hilarius, Gregorius, Ambrosius, Augustinus; quos si vel in visione noti fierent, dormitanti, nec ego verè sentirem; eo quod copiæ artium apud vos velut in commune diuersorium conuenerunt: ipsa vobis *tenacius, quæ sunt cœlo propinquius, quia non oblectamini tam pompa dogmatum, quam norma virtutum. Vnde procul dubio cœlestium *clientela factus es clientelarum. Sed quid ego hæc ad te, ô dulcissime pater, & verè Christi discipule, qui ad instar Samaritani vinum miscens, & oleum ægroto decubanti, blandum mihi malagma porrexisti: mercedem pii operis relaturus cum venerit, qui se stabulario æra pensare * debere repromisit; custodiens in vobis Pontifex summe, quod contulit, sciens suis oculis hoc placere dignissimè, quod ipsam apud te vincit dignatio dignitatem. Quapropter sacratissimæ, sincerissimæ, atque amantissimæ Apostolicæ coronæ vestræ plantas supra meum pectus stratus imponens; & vltimus ego membra subdita, vel pedum vestrorum recubatorium faciens, ita vestræ pietati auido desiderio me cōmendans, deposco in domino, vt inter peccatorem, & redemptorem mundi, alter quodammodo mediator accedens, leuigato delicto probe Pater reprobum reconcilies post reatum. Et quia vestræ fiduciæ pignus accepi, pietatis vestræ filias, & famulas Agnem, & Radegundem vna mecum deuotè earum desiderio mandato, comēndo, communiter supplicantes, vt apud Domnum Martinum pro nobis verba faciens, tam fidus intercessor accedas, qualis apud domnum ipse tum promptus extitit; cum cadauer exanimum non prius dimitteret, quam mors mortuum dimisisset. Est enim ratio cōsequēs, vt per vos illinc nobis redeat, spes patrocinii, quia ad vos hinc prodiit pars patroni, coram domino supplicans, Pie pater, vt in *gratiam vestram receptus, vel apud eos qui vestri sunt commendati, sentiam tam oratione, quam carmine, te doctore regi, genitore diligi, duce progredi, tutore muniri. Præsentium verò portitorem famulum vestrum, verè mihi bonum Bonosum pietati vestræ supplex accedens, nec prius relaxans pedes, quam dulcis pater promiseris, qua valeo prece, supplex commendo: qui interuentu sanctorum, cum vobis sospes occurrerit, absentis vota præsens exsoluens, illud prius obtineam, vt quis quam primum huc comeat, me celebris verbi vestri gaudia festiua respergant.

Locus in plerisque MSS. corruptus.

*hærent.

*clienta seu cliens.

*debiti.

* gratia vestra.

Martini meritis cum nomine nobilis heres,
Pro Fortunato quæso precare Deum.

II.

Item ad eundem.

LVMEN Apoſtolicum cum ſpargeret vna triades,
Exciperetquè nouum mundus honore diem;
Vt tenebras animæ lux ſementiua fugaret,
Et claram hauriret mens oculata fidem;
Redditur, auulſis ſpinis, vrbs Romula princeps
Principis egregii vomere culta Petri.
Paulus ad Illyricos Scythicas penetrando pruinas
Dogmate feruenti frigora ſoluit humi.
Mattheus Æthiopes attemperat ore vapores,
Viuaque in exuſto flumina fudit agro.
Bellica Perſidis Thomæ ſubiecta vigori,
Fortior efficitur victa tiara Deo.
Lurida perſpicuo datur India Bartholomæo;
Andreæ monitis extat Achaia ſeges.
Ne morer accelerans, Martini Gallia priſci
Excellente fide luminis arma capit.
Martino ſeruata nouo, Gallicia, plaude,
Sortis Apoſtolicæ vir tuus iſte fuit.
Qui virtute Petrum, præbet tibi dogmate Paulum,
Hinc Iacobi tribuens, inde Ioannis opem.
Pannoniæ vt perhibent, veniens è parte Quiritis,
Eſt magis effectus *Galliſueba ſalus.
In ſulcum ſterilem vitæ plantaria ſæuit,
Quo matura ſeges fertilitate placet.
Heliæ meritis alter redit imber ariſtis,
Munera roris habens ne premat arua ſitis.
Neu iaceant ſtupidis arentia iugere ſulcis,
Influit irriguæ fonte perennis aquæ.
In ramis hereſis fidei pia germina fixit,
Quodque oleaſter erat, pinguis oliua viret.
Quæ ſtetit exilis viduatis frondibus arbor,
Iam paritura cibum floret honore nouo.
Imponenda focis ſine ſpe ficulnea triſtis,
Præparat ad fructum ſtercore culta ſinum.
Palmitis vua tumens auium laceranda rapinis,
Hoc cuſtode bono non perit vua lacu.

Apoſtolorum in varias orbis partes legatio.
S. Petri.
S. Pauli.
S. Matthæi.
S. Thomæ
S. Bartholomæi.
S. Andreæ.
S. Martini.
Martini alterius legatio.
Eius patria.
* Galliſueba.
Galliciæ incolas Sueuos cōuertit.
Ad Rom. c. 11.

Rebus

Rebus Apostolicis direxit vinitor antes;
Arua ligone mouens, falce flagella premens.
Ex agro domini labruscam excidit inertem,
Atque racemus adest, quo fuit ante frutex.
De satione Dei zizania vulsit amara,
Surgit & æqualis lætificata seges.
Martino seruata nouo, Gallicia plaude,
Sortis Apostolicæ vir tuus iste fuit.
Pastoris studio circum sua septa recurrens,
Ne lupus intret oues, seruat amore gregis.
Supportante manu trahit ipse ad pabula Christi,
Montibus instabilem ne voret error ouem.
Cuius vox refluens, plebi, de fonte salubri,
Vt bibat aure fidem, porrigit ore, salem.
Hosti damna quidem, domino pia vota parauit,
Et commissa sibi dupla talenta refert.
Vocem euangelicam exspectans operarius almus,
Vt sibi dicatur; Seruule perge bone.
Quando fidelis enim mihi supra pauca fuisti,
Supra multa nimis constituendus eris.
Ecce tui domini modo gaudia lætior intra,
Proque labore breui magna parata tibi.
Auditurus eris vocem Martine beatam,
Sed Fortunati sis memor ipse tui,
Quæso precare pater videam tua gaudia tecum,
Sic placeas regi, poste patente Petri;
Cum Radegunde humili, supplex, *pia postulat Agnes,
Vt commendatæ sint tibi, sancte pater.
Et crescente choro per carmina sancta sororum
Complaceant domino, te duce mite, suo.
Atque adscita sibi seruetur ab vrbe * Genesi
Regula Cæsarii præsulis alma pii.
Qui fuit antistes Arelas, de sorte * Lirini,
Et mansit monachus, pontificale decus.
Sedulitate patris, proprias tuearis alumnas,
Vt tibi proficiant hæc bona si qua gerant.
Vnde inlustre caput cingas diademate pulchro,
Et grates dignas pro grege pastor agas.

Distichon hoc vtrubi in MSS. legebatur. Gregem recens natum accurate fouet.

Præmia Martinum quæ maneant. Matth. c. 25.

* piĕ. Commendat illi poëta Radegundem reginam. *Genesii. Regula S. Cæsarii. *Lerini.

Adci-

III.

Ad ciues Turonicos de Gregorico episcopo Turonensi.

PLAVDITE felices populi, noua vota tenentes,
Præsulis aduentu, reddite vota, Deo.
*exertus. Hoc puer * exortus celebret, hoc curua senectus,
Hoc commune bonum prædicet omnis homo.
Spes gregis ecce venit, plebis pater, vrbis amator,
Munere pastoris lætificentur oues.
Sollicitis oculis, quem prospera vota petebant,
Venisse adspiciant, gaudia festa colant.
Iura sacerdotii merito reuerenter adeptus,
Nomine Gregorius, pastor in vrbe gregis.
Martino proprium mittit Iulianus alumnum,
Et fratri præbet, quod sibi dulce fuit.
Quem patris Ægidii Domino manus alma sacrauit,
Vt populum recreet, quem Radegundes amet.
Huic Sigebertus ouans fauet, & Brunichildis honori,
Iudicio regis, nobile culmen adest.
Quo pascente greges, per pascua sancta regantur,
Et Paradisiaco germine dona metant.
Immaculata pii, qui seruet ouilia Christi,
Ne pateant rapidis dilaceranda lupis.
Peruigili cura, stabulum sine labe gubernet,
Commissumque gregem nulla rapina grauet.
Muniat inclusos preciosi velleris agnos,
* Et quos seruatos protegat ipse vigil.
Florea diuino pinguescat vinea cultu,
Et matura suo sit speciosa botro.
Fructibus æternis vt compleat horrea cœli,
Vnde animæ viuo fonte fluenta bibant.
Ne sitis excrutiet, digito quam Lazarus vdo
Ignem vt leniret, tunc petebatur opem.
Sed magis in gremio Abrahæ vernante locandas,
Pastor oues placido ducat ad astra sinu:
Vt bene commisso sese duplicante talento,
Introeant Domini gaudia vera sui.
Lætus agat sub claue Petri, per dogmata Pauli,
Inter sydereos luce micante choros.

Gregorii Turonensis primordia episcopatus.
Ægidius Rhemensis. episcopus Gregorium consecrauit.
Sigebertus & Brunichildis patrini Gregorii.
* Atque soporantes.

Fortis

Fortis Athanasius, qua clarus Hilarius adstant,
Diues Martinus, suauis & Ambrosius.
Gregorius radiat, sacer Augustinus inundat,
Basilius rutilat, Cæsariusque micat.
Quorum gesta sequens, & dicta fideliter implens,
Perpetuæ vitæ participatus ouet.
Atque coronatus digna mercede laborum,
Obtineat miles regis in arce locum.

IV.


In Natalitio Gregorii episcopi, cum antiphona dicere rogaretur. In Missa dictum,

MARTINI meritis per tempora longa Gregori
Toronicum foueas pastor in vrbe gregem.
Conciliis sacris sis norma, & vita *piorum,
Exemploque tuo crescat adeptus honor. *riorum.
Lumen Apostolicum populis tua lingua ministret,
Et cœli donum, te radiante, micet.

V.

Ad eundem, de Iudæis conuersis per Auitum episcopum Aruernum.

*DOMNO SANCTO ET MERITIS APOSTOLICIS *PRÆCONIANDO domino; & in Christo patri Gregorio papæ, Fortunatus.* *præconando.



NSTIGAS, pater optime, seria curiositate, syncera tamen dulcedine, carmine elinguem proloqui, & currere pigrum versu pedestri, atque de laude laudabilis, & Apostolici viri domni Auiti pontificis ex euentu occasionis illatæ, & si non aliqua comptè, saltem comiter prælibare: cum in me non inueneris, quod dictionis luculentia diligeres, sed deleres; & vt ipse mei sum cõscius, habeas apud nos nõ tã quod probes, quam ꝙ reprobes: ꝑsertim cũ instans portitor per verba sigillatim hianti fauce cadẽtia quasi grauis exactor non in me tam fœnera soluere cogeret, quam pensaret. Sub quo, licet illum præceps iter impingeret, mihi inter anhelanti vix licuerit respirare, tamen præceptis vestris licet impliciter expeditis paremus, deuoti potius quã placemus; vobis reputaturi nescio magis an tempori, quod illi hoc iniungitur, qui non habebat apud se nec modum, nec spacium. Sed obsequii illa morigeri seruitute deuoti quod à vobis in laude prædicti pontificis amore præcipitur, honore cantetur.

Gratiæ vis & necessitas.

IN VENERABILIBVS famulis operator opime,
Condecet, vt semper laus tua, Christe, sonet.
Inspirans animum, votum, effectumque ministrans,
Et sine quo nullum præualet esse bonum.
Lumine perspicuo fæcundans pectora vatum,
Vt populis generent viscera sancta fidem.
Supra candelabrum positi, quorum ore corusco
Dogmatis igne micans, luceat alma domus.
Et velut est oculus, capitis qui dirigit artus,
Sic pia pastoris cura gubernet oues.
Pectora pontificum ditans virtute superna,
Tu Deus omnipotens summe, perennis apex.
Spiritus alme sacri labiis infusus Auiti,
Per famulum loqueris crescat vt ordo gregi.
Qui non contentus numero, quem accepit ab illo,
Villicus hic domini dupla talenta refert.

Aruernorum cum Iudæis simultas.] *resilibat.

Plebs Aruerna etenim bifido discissa tumultu,
Vrbe manens vna, non erat vna fide.
Christicolis Iudæus odor* resilebat amarus,
Obstabatque piis impia turba sacris.
Extollens ceruix domini iuga ferre recusans,
Sic tumidis animis turget inane cutis.
Quos in amore Dei monitabat sæpe sacerdos,
Vt de conuersis iret ad astra seges:
Sed caligosi recubans velaminis vmbra,
Pectora tetra premens cernere clara vetat.

Christi ascensus dies sacer. *armante. Aruerna plebs synagogam euertit. * res. Auiti ad Iudæos oratio.

Venerat ergo dies, dominus qua est redditus astris,
Ac homo sydereum pendulus iuit iter,
Plebs, * animante fide Iudaica templa reuellit,
Et campus patuit, quo synagoga fuit.
Tempore quo Christi repedauit ad alta potestas,
Ille quod ascendit * gens inimica ruit.
Hic tamen antistes Moysei lege rebelles,
Alloquitur blandè, quos dabat ira truces.
Quid facis ô Iudæa cohors, nec docta vetustas?
Vt vitam renoues credere disce senex.
Lactea canities sapiat maiora iuuentæ,
Sensum pone grauem, quo puerile fuit,
Non pudeat meliora sequi vel tarda, veternus

Corpore

Corpore deficiens, crescat honore senex.
Est Deus, alta fides, vnus trinus, & trinus vnus;
Personis propriis stat tribus vnus apex.
Nam pater & genitus, quoq; sanctus spiritus idem,
Sic tribus est vnum ius, opus, ordo, thronus.
Legifer hoc reboat, patriarcha hoc*reddit Abraham,
Hinc pater est nobis, est quia nostra fides.
Tres videt æquales, vnum veneratus adorat,
Vnum voce rogat, tres quoque pelue lauat,
Sic *patruo similis Loth suscipit hospes euntes,
Quos cibat in Sodomis, hi rapuere Segor,
Cum à domino dominus pluit igni, triste Gomorræ;
Filius & pater est à domino dominus.
Qui tuus, ipse meus, stat conditor atque creator;
Huius plasma sumus, qui est trinitate Deus.
Vnius estis oues, heu cur non vniter itis?
Sit, rogo, grex vnus, pastor & vnus adest.
Rennuis? an recolis quod canna Dauidica pangit,
Quodque prophetali virgine fœtus agit.
In cruce transfixus palmis, pedibusque pependit,
Sed corrupta caro non fuit ex tumulo.
Post triduum remeans, sanat nos vulnere longo,
Quod rediit cœlis testis & ista dies.
Crede meis, aut crede tuis conuicta senectus,
Si fugis ac trepides * negligis ista legens.
Protrahimus verbum breuitatis tempore longum,
Aut admitte preces, aut rogo cede loco.
Vis hic nulla premit, quouis te collige liber.
Aut meus esto sequax, aut tuus esto fugax.
Redde colone locum, tua duc contagia tecum,
Aut ea sit sedes, si tenet vna fides.
Hæc pia verba viris miti dedit ore sacerdos,
Vt sibi quo libeat, semita cordis eat.
Ast Iudæa manus, stimulante furore, rebellis,
Colligitur, rapitur, conditur inde domo.
Christicolæ vt cernunt tunc agmina Manzara iungi,
Protinus insiliunt, qua latet ille dolus.
Si fremerent gladiis, sentirent iusta, cadentes,
Viuere quo possint aut daret alma fides.

*credit. Genes. 18. Abraham in tribus vnum adorans mysterium Trinitatis commendat.

*patruus. Genes. 19.

Christi mors & resurrectio.

*nec legis

Auitus Iudæos iubet solum vertere.

Iudæi offerunt se fidei christianæ.

Legati occurrunt vati mandata ferentes:
Nos Iudæa manus iam tua caula sumus.
Ne pereant, acquire Deo, qui viuere possunt,
Si mora fit, morimur, & tua lucra cadunt;
Tende celer gressum, properes nisi præpete cursu,
Funera natorum sunt, tibi flenda, pater.
Fletibus hic victus, rapitur miserando sacerdos,
Vt ferat afflictis rite salutis opem.
Perueniunt quo clausa loco fera turba latebat;
Quæ occurrens, lachrymis ingerit ore preces.

* boni.

Mens est tarda * bono Iudaica iura tenenti.
Lucem sero videt, prætereunte die.
Sic oculis cordis velum est ab origine tensum,
Cæcus vt ignoret quo via recta vocet.
Sed tandem sequimur, pastor, quo sæpe monebas,
Qui sale tam dulci currere cogis oues.
Credentes iam crede tuos nec fallere falsis
Nos lauacrum petimus, sit tibi præsto lacus.
Sensimus effectu quod agebas rite precando,
Quod per te hominem nos Deus ipse monet.
Hinc trahit ad lucem, quos texerat vmbra negantes,
Militiæque nouæ rex aperibat iter.
Agmina conueniunt quondam diuersa sub vno,
Partibus & geminis fit Deus vnus amor.

Chrismatis vsus.

Hinc oleari ouium perfunditur vnguine vellus,
Aspersuque sacro fit gregis alter odor.

Pentecostæ die baptizati Iudæi.

Ecce dies aderat, qua spiritus almus ab alto
Missus, Apostolicis fluxit in ora viris.

* terunt.

Res sacra ruricolas, vrbanos excitat omnes,
Certatimque aditus ad pia festa * ferunt.

Fœtor Iudaicus génti agnatus abstergitur.

Abluitur Iudæus odor baptismate diuo,
Et noua progenies reddita surgit aquis.
Vincens ambrosios suaui spiramine rores,
Vertice perfuso chrismatis efflat odor.
Ingenti numero celebratur pascha nouellum,
Ac de stirpe lupi progenerantur oues.

Cereorum vsus in baptismate.

Excepit populus populum; plebs altera plebem;
Germine qui non est, fit tibi fonte parens.
Vndique rapta manu lux cerea prouocat astra,

Credas

Credas vt ſtellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc *veſti color eſt, hinc lampade fulgor, *veſtis
Ducitur, & vario lumine picta dies.
Nec feſtiua minus quam tunc fuit illa coruſcans,
Diuerſis linguis, quæ dedit vna loqui.
Quis rogo pontificis fuit illic ſenſus Auiti?
Quam validus feruor, cum daret iſta Deo?
Inter candelabros radiabat & ipſe ſacerdos,
Diffuſo interius ſpiritus igne micans.
Dum ſibi, qualis erat, tam vera holocauſta ferendo,
Cum libat viuo hoſtia viua Deo.
Si patriarcha placet; quoniam natum obtulit vnum,
Qui tantos offert, quam placiturus erit?
Moſes non valuit fidei quos ſubdere noſtræ,
Qui Chriſto acquirit, quod ſibi munus erit?
Fudit aromaticum domini libamen ad aram,
Incenſumque nouum miſit ad aſtra Deo.
Obtinuit votum, quia iunxit ouile ſub vno.
Et grege de niueo gaudia paſtor habet.
Hæc inculta tibi reputa, pater alme Gregori,
Qui Fortunato non valitura iubes.
Adde quod exiguum me portitor impulit inſtans,
Et datur in ſpaciis vix geminata dies.
Nouimus affectu potius quod diligis illum
Hunc quem corde vides, ſemper & ore tenes.
Hoc tibi nec ſatis eſt, huius quod es ipſe relator,
Compellis reliquos plaudere voce ſibi.
Non fuit in vacuum, quod te prouexit alumnum
Si cui mente fide, reddis amore vicem.
Annuat omnipotens, longo memoraliter æuo,
Vt tu laus illi, laus ſit & ille tibi.
Me quoque vos humilem pariter memoretis vtrinque.
Et pro ſpe veniæ voce feratis opem.

Auiti religionis ſenſus & conſolatio inter hæc ſacra.

Gregorius Turon. Auiti alumnus.

VI.

Ad Syagrium Epiſcopum Auguſtidunenſem.

Domno ſancto, & Apoſtolica ſede digniſſimo Domno Syagrio papa Fortunatus.

TORPORE vecordis otii, quo mens ebria desipit, diutina tabe morbescente brutiscēs, & velut ignaui soporis hebetante marcore suffectus, negotii indulgentis nulla mordente cura dormitans, cum videretur scilicet tam lectio negligi, quam vsus abuti; neque nancisceretur quicquam occasionis ex themate, quod digereretur in poesi; & vt ita dictum sit, nihil velleretur ex vellere, quod carminaretur in carmine, intra me quodammodo meipsum silentio sarcophagante sepeliens; & cum nulla canens obsoleto linguæ plectro æruginauissem, tandem nec inopinato concaptiuo meo, sed tamē, vt arbitror, vestræ felicitatis ad me forte delato, quis? vnde? quidue *referat, dum percontor de filii calamitate, suæ necessitatis, meæ compassionis, vestræ mercedis causas indice * singultus vix laxante prorumpit. Quo, voce intercepta tam viscerum mærore, quam luminum flumine, dum loqui non permittitur, ipso silentio patrem lachrymæ fatebantur; quia dum anxius in verbo genitor pendet, nec exprimit, tacente faucis organo, pupilla fletibus loquebatur. * Tanta est in caritate natura, quod præualet vt parens ante se prodat affectu, quam labio. Fluebant igitur lumina, ac suggestionem suam blandito ploratu compunctam, vt etiam quamuis crudelem redderent lamenta clementem, irrigabant lachrymæ; tam semen miseriæ, quam frugem misericordiæ; vno fonte manabant * resinæ roris, & muneris. Vnde & luctus, & merces, & vnus rigans oculis, alter bibens auribus, quod iste torcularet in fletu, ille apothecaret in fructu. Itaque signo singulti fecisse intelligi mens captiui; & quasi speculariter traxit mæror in facie qui videbatur angor in corde. Vnde inter tacentes, causa rerum cognita, dum apud me *voluit hoc fari, quod * fieri; videbatur affectus mirè sine lingua sic loqui. Igitur cum me moueret lamentabilis conciuis tam iactura quam patria, cum cernerentur vultus patris pietatis imbre perfundi, vt pene totus & ipse in alieno affectu migrarem, lachrymantes oculi querelas mihi finxerunt ad vicem encausti, & admirabili modo, aqua, quæ delere solet, per fletus scripsit. Quis enim flenti non crederet, quem * lupus non genuit? quem non humanitas flecteret, quem partus tigridis non effudit? cum *lentescat blanditiis, cursus pardi, virtus apri, dens leonis, & moles elephanti. Qui tandem, sedato querelarum strepitu, doloris sui *properum te designat antidotum; scilicet dum æger mente sibi poscit medelam; si se dignanter impendat, vestra lingua fit malagma, quo loquente, media per verba me miscens mihi, de vobis credulis fidem feci homini, ex hoc per me te consului. Non flere restabat, tamen coniici; vtrumne pro redemptione dirigerem, quo soboles valeret; an quo duobus proficeret, de compendio cogitans, ne vilitate pretii depretiaretur tibi merces captiui; illud certè metuens, si caperetur in nummo, *respiret in talento: præsertim

*deferat.
*singultu.
*Tantum.
*res mæroris.
*valuit.
*fleri.
*lapis.
*lentiscat.
*prospectum.
*respiraret.

præſertim cum deſiderem theſauros ex æquo te tuo frui cum martyre. Quid vero pro munere modicitas proferret & cum in electione cunctaret, venit in mentem letargico, dictum Flacci Pindarici, *pictoribus, atque poetis. Quaelibet audendi semper fuit aequa potestas*, conſiderans verſiculum, ſi quæ vult artifex permiſcet vterque, cur, etſi non ab artifice, miſceantur vtraque vt ordiretur vnâ telâ ſimul poeſis, & pictura? Dehinc cum pro captiuo velim verſu ſuggerere, attendens quæ fuerint tempora redemptoris; quo tonos ſuæ ætatis anno Chriſtus abſoluerit; totidemque verſiculis texerem carmen, quot litteris; hac protinus operis difficultate repulſus, aut magis incluſus, tam metri neceſſitate, quam litterarum epitome, quid facerem? *quo proditorem noua calculatione anguſtus mihi numerus anguſtius dilatauit? quia præfixo termino non erat, nec vbi prolixitas ſe excuteret, aut breuitas angularet, nec euagari propter deſcendentes verſus frenante repagulo, *orditura permiſit. In quo quippe exordio, ſupercreſcente apice, nō licuit vel ſoluere, vel fila laxare, ne numerum tranſiliens erratica ſe tela turbaret. Hinc cura commoueor, vt duo per capita, duo ex obliquo, vnus verò per medium deſcendentes integri verſiculi, legerentur. Altera pars reſtiterat, quam inter omnes litteram meditullio conlocarem, quæ ſic reciperet omnem, vt offenderet neminem. Igitur huius telæ cum licia numero collegiſſem, vt texere cæperam, & ſe, & me fila rumpebant, incipiens ego opere prope abſoluto ligari, atque mutata vice, dum captiui ſoluere lora cupio, me catena conſtringo. Nam huius opuſculi quæ ſit, hinc coniicitur difficultas, vbi cum volueris, ſi addis, creſcit linea; ſubtrahis, perit gratia; mutas, non conſonant capita; figis: nec fugis litteram. Itaque cum penderet hæc tela verſibus laqueata, vt ſi duo tranſirem, adhuc tria non fugerem; ego incautus paſſer, quaſi mentita per nubila incurri pantheram; quia quod cauere volebam, *hic pinna ligabar, aut magis, vt dictum ſit, velut plumis *illitis quinquiſida viſcata tendebar. Inter hæc illud me commouet, quod tale non ſolum feceram, ſed nec exemplo ſimili trahente ducebar. His incertus, & trepidus, ipſa nouitate ſuſpenſus, vtrumne tentarem, quæ nunquam aggreſſus ſim, an cautius reſpuerem, quam incautè proferrem, tandem, licet inuitus, loquor pæne, quæ neſcio; & tu me vincis amore, ne * vincar ab opere. Ecce exigis à me, & quod in me vix inuenis, violentiam facis ei, qui tuus, non rebellis eſt: extorques; nec repelleris. Amor, blandus, tyrannus eſt. Vt hoc pararem commercii per incertum pelagi rudis nauta vela ſuſpendi, affectu raptus; deferor per fluctus, & ſcopulos; vrges me præcipitem per ignota tranſire. Quid eſt, quod non obtineas? ſicut amas, ſic imperas. Habes igitur opus ſic vno textu quadratum, vt ſit legendo quinquifidum; & cum ſint triginta tres tam verſus, quam litteræ, ad ſimilitudinem

*pro vbi puo.

*ordienda

* huc.

*inlitis.

nem Christi carnalis ætatis, qua nos absoluit vnus resurgens, adhuc duo per capita, duo ex obliquo, vnus quoque per medium legitur in descensu; vnde fit, vt se finito versu littera non finiret; quia, etsi indirecto peruenit ad terminum, tamen cursus illi superest in descensu, quia adhuc coniungitur in finali versiculo. In meditullio autem parui huius opusculi, illam fiximus litteram, quæ inter viginti tres numeratur per media; ac tantas ante se respicit, quantas & post se transilit; quia concurrentibus versibus, & diuiditur tota, & manet integra res diuisa. Littera verò, quæ tingitur in descendenti versiculo, & tenetur in vno, & currit in altero, & vt ita dicatur, & stat pro stamine, & pro trama currit in tramite, vt esse possit in pagina, licia literata. *Ne tamen causa nos oneret, quod velut *araneæ arte videmur picta fila miscere, quod vobis compertum est in Moysi prophetæ libris, polymitarius artifex vestes texuit, sacerdotum. Vnde cum desit hic coccinum, res est texta de minio. Versus autem ex obliquo descēdentes ab angulis, ratione stant, etsi positione succlinant. Qualiter autem connexi sint singuli, vel quid contineant, satis est prudentiæ sine indice rem probare. In summa, commendato me piæ beatitati, & exuberanti vestræ dulcedini, tribuentes petita, cum fidenti vicarietate seruitii. Si placet hoc opere parieti conscripto, pro me ostiario pictura seruet vestibulum. ora pro me.

*Nec *arachne.

Th. Pul. ad marg. Vicarietas.



AVGV-

AVGVSTIDVN [illegible] CVS TIBI SOLVO SYAGRI.



DIVSAPEXADAMVTFECITDATSOMNIADONEC
AVVLSACOSTAPLASMATAESTEVANECIMPAR
FELICESPARITERDVPLOIDELVCISOPERTI
ORECORVSCANTESINTERPIARVRAIVGALES
RIPAEIOCVNDAENARIGRATAAVRAREDIBAT
TVRISDELICIAESATVRABANTVBEREFLATV
VNAFOVENSAMBOSFLOROSASEDEVOLVPTAS
NOTABONISREGIOPASCEBATNEMPEBEATOS
ATCVMTAMMAGNOPOLLERENTMAIVSHONORE
TOTAHOMINVMMIREPAREBATTERRADVORVM
OCCVLTVSMENDAXMOXEXERITARMAVENENI
SERPENSELATVSZELATORLARVEVSHOSTIS
ATROXINNOCVOSEVINCENSFELLENOCENTI
CONLISITSVASVQVOSGRATIADIVABEARAT
ETHOMODETERRATVMDENVODECIDITILLVC
REPTANTISQ:DOLOEOOISEXCLVDITVRORTV
HACNATIMCRIMVRDAMNATALEGEPARENTVM
ATDEVSEXCELLENSAIEETDELVMINELVMEN forte AEI
ECAELISOLIODVMMVNERAPROVIDETVLTRO
CASTAECARNERVDIVIVAXINTROIITAGNVS
PRODIITINDESALVSMATVTINIVELVCERNA
INTACTAEPARTVLVXERVITEXCITAMVNDVM
APATREIVREDSHOMODEHINCCARNEVSALVO
VTNOSERIPERETVILISEDETRAHITAVCTOR DS
OREGISVENALECAPVTQVODDECRVCEFIXIT
TELOVOCEMANVSOLFACTVSVERBEREFELLE
ACTVHACSOLVISCAPTIVOSSORTECREATOR
SEROVERADATAESTVITALISEMPTIOMORTE
YMNOSVNDEDEOLOQVORABSOLVENTEREATV
ATVOSAETERNAESVFFVLTILAVDECORONAE
GALLORVMRADIIVOBISQVOFVLGEATETNOX
RVMPITELORAIVGISETSVMITISARMADIEI
IPSAVELIBERTASVOSLIBERATATQ;BEABIT

VIII.

*Nanneticum.

*Ad Felicem episcopum * Nanneticum.*

SENTIO summe pater, lumen venerabile cunctis,
Orbis dulce caput mihi nomen amabile Felix,
Amplectens quem corde gero pietatis in vlnis,
pondus suaue meum, nec onus grauat istud amantem,
Cur humilem me summe vocas loca visere blanda,
Quæ te chare tenent, tecum modularer in illis?
Qua tua rura lauat vitrea Liger algidus vnda,
Cariaci speciosus ager deuexus in amnem,
Hinc vbi flumen aquis recreat, hinc pampinus vmbris.
Et crepitans Boreas tot * prata comata flagellat
Vber nempe solum, piscoso littore pulchrum.
Sed Fortunatum facies tua reddit amænum.

*Picta.

IX.

*Post itiner.

** Ad Gregorium episcopum Turonensem pro itinere.*

CVLMEN honoratum, decus almum, lumen opimum,
Pastor Apostolicæ sedis amore placens.
Amplectende mihi semper sacer arce Gregori,
Nec diuulse animo, vir venerande, meo.
Gaudeo quod rediit Toronis antistes honore,
Lætificorque mihi te remeasse patrem.
Plaudimus instanter, communia vota tenere,
Ciuibus & patriæ te reuocasse diem.
Præsentem famulum mecum commendo sacerdos,
* Optando longè vos moderare gregem.

*Optantes

X.

Ad eundem.

OFFICIIS generose pijs, pater alme, Gregori,
Mente salutifera qui petis astra palam.
Et quicunque tuis monitis animatur inermis,
Militiæ sacræ victor habebit opem.
Commendans humilem famulum me, soluo salutem,
Semper amore pio, vir benedicte, Deo.
Pagina si breuis est, non est breuis ardor amantis,
Nam plus corda colunt, quam mea verba canunt.

XI.

Ad eundem, pro libro præstito.

CARMINA diua legens, proprioque è pectore condens,
Participans alijs, fit tibi palma parens.
Hæc quoque quæ pridem tribuisti pastor ouili,
Grates persoluens * debita laudo libens. * debite.
Vos tamen hinc maneant donaria celsa tonantis,
Qui sacras inopi distribuistis opes.
Quæ cum percunctare queam, pro munere tanto,
Tunc magis ore meo gratia vestra sonet.
Præsentem famulum pro * munere summe sacerdos * Prodomere Probomere.
Commendo supplex, dulcis amore pater.
Cui sua * concedas iustæ moderamina libræ, * concedens.
Crescat honore Dei palma futura tibi.

XII.

Ad eundem, pro inuitatione mulierum.

INVITANS pietate patris sacer ire Gregori,
Quâ domini Toronis pascis honore greges.
Quo sacer antistes meritis Martinus opimis
Quas prius obtinuit, has tibi * credit oues. * cessit.
Nunc quoque per caulas & * florida pascua Christi, * florea.
Rite gubernantes ducitis ambo greges.
Sed mihi vim faciens vester modo frater honore,
Ad vos ne properem, nempe retorsit iter.
Sæpe rogans voto, mandato & missile verbo,
Et coniuratus sum * tibi pollicitus. * siue
Vir bonitate placens, & pastor pacis amator,
Fœderis ob studium sit veniale precor.
Vos quoque sed genitæ propriæ venerando salutant,
Ast ego commender, quæso, beate pater.

XIII.

Ad eundem pro commendatione mulieris.

SVMME pater patriæ, specimen pietatis opime,
Dulce caput Toronis, religionis apex.
Iugiter alta sequens clementi corde Gregori,
Vnde animæ decus est huc ratione perens.

Quam commendasti venientem, celse sacerdos,
Hanc redeuntem ad te, suscipe more patris.
Sis quoque longæuus cunctorum care recursus
Et mihi vel reliquis sit tua vita seges.

XIV.

Ad eundem, de itinere suo.

IVGITER opto libens, sacer amplectende Gregori,
Cernere vos oculis, quætere litterulis.
Dulce videre mihi, ac si desit copia cerni,
Spes erit oranti vel dare verba patri.
Nuper ab aspectu decedens concite vestro,
Per glaciem vitreas me loquor isse vias.
Sed crucis auxilio, Martino operante patrono,
Perueni ad matres, saluus opime, pater.
Quæ vos multiplici veneranter honore salutant,
Ast ego pro reditu vota salutis ago.

XV.

Ad eundem, Salutatoria.

SVMME sacerdotum, bonitatis opima facultas,
Culmen honore tuo lumen amore meo.
Officiis venerande sacris pietatis alumne,
Pignore amicitiæ corde tenende meæ.
Florens in studiis, & sacra in lege fidelis,
Semper agens animæ dona futura tuæ.
Te pater ego precans, terram, freta, sydera testor:
Vt velis ore sacro me meminisse tuum.

XVI.

*Ad eundem, pro pomis & *graffiolis.*

*graphiolis.

OFFICIIS generose piis, sacer arce, Gregori,
Absens, sis præsens munere; summe pater.
Qui mihi transmittis propria cum prole parentes,
Insita cum fructu surcula, poma simul.
Det deus omnipotens meritorum fruge repletus,
Mala legas auide quæ paradisus habet,

XVII.

Ad eundem, pro commendatione puellæ.

CVM graderer festinus iter, pater alme Gregori,
Qua præcessoris sunt pia signa tui.

Quo fertur conuulsa iacens radicitus arbor,
Martini ante preces exiluisse comis.
Quæ fidei merito nunc stat spargendo medelas,
Corpora multa medens, cortice nuda manens.
Fletibus affuit hic genitor, genitrixque* puellæ, *Puella.
Voce implendo auras & lachrymando, genas.
Figo pedem, suspendo aurem, mihi panditur ore.
Vix per singultus vendita nata suos.
Quæro adhuc, questus perhibet, nullo indice furto,
Furti ex obiectu hanc pater ire iugo.
Se voluisse dare, & iurantes ordine testes,
Nomine quemque tenens, nec potuisset egens.
Non aderat iudex, erat accusator adurgens,
Hic ego quid facerem, posse, vetante * sacro? *Sacer.
Si pius hic, dixi, præsens Martinus adesset.
* Non permisisset perdere pastor ouem. *Nil.
Sed tamen inualui, recolens te summe sacerdos,
Spem præcessoris qui pietate refers.
Discute, distringe, ac si sit secus eripe dulcis
Et pater adde gregi hanc quoque redde patri.
Me simul officio famulum tibi chare subactum,
Protege perfugio, pastor opime, pio.

XVIII.

Ad eundem pro commendatione peregrini.

VIR bone pro meritis adipiscens culmen honoris,
Nobile præsidium, pontificale caput.
Quem gradus & genium fructu pietatis opimo
Dignius attollunt, amplificante Deo.
Vt tibi sit famulans memoratus amore benigno,
Fortunati humilis te pater orat apex.
Hic peregrinus item lætetur, summe sacerdos,
Pastorem & patriam te meruisse suam.

XIX.

Ad eundem Salutatorium.

PASTOR honoris apex, venerabilis arce sacerdos,
Et decus alme patrum religionis amor.
Gloria pontificum, meriti pia palma Gregori,

Aſſurgente gradu nobile, iure, caput:
Fortunatus opem tribui qui poſcit Olympi.
Per te chare pater, quo mereatur age.

XX.

Ad eundem Salutatorium.

VISITAT à vobis dignanter epiſtola currens,
Me ſacer antiſtes, vir pietate, pater.
Hanc auidus capiens oculis, animoque recurro,
Soſpite te gaudens quod referebat apex.
* huc. Longius * hinc veſtro ſub nomine Papa Gregori
Pagina me recreet miſſa ſalutis ope.

XXI.

Dominis ſanctis atque Apoſtolicis in Christo patribus eccleſiæ pontificibus pro commendatione peregrini Fortunatus.


GLORIA pontificum, veneratio Chriſticolarum,
Norma ſacerdotum, culmen & orbis honor.
* amore. Qui loca perſpicitis propriæ mercedis * honore
Succurrendo viris, veſter vt extet apex.
Ecce venit præſens Italus peregrinus & hoſpes,
Cernens paſtores, ne, precor, erret ouis.
Qualiter ad patriam properet, ſolatia poſcit,
Inueniat munus vos, vagus, exul inops.
Me Fortunatum proprium, pietate parentum,
Conciliate polo, quæſo precando Deum.

XXII.

Ad Aredium abbatem.

OPTO benigne pater verbo tibi ferre ſalutem,
Si minus hinc oculo cernere te valeo.
Eſt etenim veſtri tantus mihi cultus honoris,
Vt pro me occurrat hinc tibi miſſus apex.
Quæſo beate tamen per dulcia pabula Chriſti,
Me quoque commemores, cum dabis ore preces.
Munera credo Dei tribui mihi, paſtor Aredi
Si Fortunati ſis memor alme tui.
Pro me etiam ſanctam genitricem chare ſalutans,
Cum redit iſte puer, redde loquentis opem.
Vos itidem genitæ propriæ, pater ample, ſalutant
Agnes amore pio cum Radegunde ſimul.

VENAN-



VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER SEXTVS.

I.

De domno Sigiberto rege.



VERE nouo tellus fuerit dum exuta pruinis,
Se picturato gramine vestit ager.
Longius extendunt frondosa cacumina montes,
Et renouat virides arbor opaca comas.
Promittens grauidas ramis genitalibus vuas,
Palmite gemmato vitis amæna tumet.
Præmittens flores gracili blandita susurro
Delitiosa fauis mella recondit apes.
Progeniem reparans casto fæcunda cubili
Artificis natos gignere flore cupit.
Nexibus apta suis pro posteritatis amore
Ad fœtus properans garrula currit auis.
Semine quisque suo senio iuuenescit in ipso,
Omnia dum redeunt, gaudia mundus habet.
Sic modo cuncta fauent dum prosperitate superna.
Regia Cæsareo proficit aula iugo.
Ordine multiplici fœlicem in sæcula regem.
Vndique cinxerunt lumina tanta ducum.
Culmina tot procerum concurrunt culmen ad vnum,
Mars habet ecce duces, pax habet ecce decus.

Cun-

Cunctornm aduentu festiua palatia feruent.
Coniugio regis gens sua vota videt.
Vos quorum irriguis, fontis meat vnda, fauete,
Iudicio vestro crescere parua solent.

II.

De nuptiis Sigiberti regis, Brunichildis reginæ.

FELICEM sol pande diem, radiisque serenis
Sparge comas, thalamos syncero lumine complens:
Sigibertus ouans ad gaudia nostra creatus
Vota facit, qui nunc alieno liber amore,
Vincula chara subit cuius moderante iuuenta;
Connubium mens casta petit, lasciua retundens,
Ad iuga confugit, cui nil sua surripit ætas.
Corde pudicus agens, rector tot gentibus vnus,
Et sibi fræna dedit, sed quod natura requirit,
Lege maritali amplexu est contentus in vno.
Quo non peccat amor, sed casta cubilia seruans
Instaurat de prole lares, vbi luserit heres.
Torsit amoriferas arcu stridente sagittas
Forte Cupido volans, terris genus omne perurit.
Cupido inducitur. Nec pelagus defendit aquas, mox vilia corda
Subdit vulgus iners, tandem de hinc sensus opimi,
Regis anhelantem placidis bibit ossibus ignem,
Molliter incumbens, & inhæsit flamma medullis.
Regalis feruebat apex, nec nocte sopora
Cordis erat requies oculis, animoque recurrens
*finxit. Ad vultus quos *pinxit amor, mentemque fatigans
Sæpe per amplexum falsa sub imagine lusit.
Mox vbi conspexit telo superante Cupido
Virginea mitem torreri lampade regem,
Lætus ait Veneri mater mea bella peregi,
Pectore flagranti mihi vincitur alter Achilles,
Sigibertus amans Brunichildæ carpitur igne,
Quæ placet apta thoro maturis nubilis annis
Virginitas in flore tumens, complexa marito
Primitiis placitura suis, nec damna pudoris
Sustinet, vnde magis pollens regina vocatur;
Hoc quoque virgo cupit, quamuis verecundia sexus

Obstet,

Obſtet, amata viri, dextra leuiore repellit,
Ignoſcitque ſibi culpas quas intulit ignis.
Sed modo læta veni, quoniam te vota requirunt.
Mox Venus ambroſio violas admiſcet amomo,
Demetit vngue roſas, gremioque recondit auaro.
Et pariter leuibus fregerunt nubila pennis,
Et venere ſimul thalamos ornare ſuperbos.
Hinc Venus egregiam præponere cœpit alumnam,
Inde Cupido virum, nubentibus ambo fauentes
Et litem fecere piam: ſic deinde Cupido
Matri pauca refert. tibi quem promiſimus hic eſt
Sigibertus, amor populi, lux nata parentum — Sigeberti encomium à cupidine.
Qui genus à proauis longo tenet ordine regum,
Et reges geniturus erit, ſpes gentis opimæ,
Quo creuit natale decus, generoſa propago.
Ac melior de ſtirpe redit, famamque priorum
Poſteritas excelſa fouet; hic nomen auorum
Extendit bellante manu, cui de patre virtus,
Quam* Nabis ecce probat, Thoringia victa fatetur, — * Nablis.
*Perficiens vnum gemina de gente triumphum. — * Proficiens.
Nec Dietheuberto pietas venialia pendit.
*Perdidit iſta duos, ambobus ſufficit vnus. — *Sed dedit iſte duos pro.
Cardinis occidui, dominans in flore iuuentæ,
Iam grauitate ſenes teneroſque ſuperuenit annis.
Legem naturæ meruit præcedere factis.
Quamuis parua tamen, nullum minor impedit ætas,
*Qui ſenſum mature regit, generoſior hic eſt — * Corrup. locus.
Quiſquis in anguſto fuerit moderatior æuo:
Sic fouet hic populos ipſis intrantibus annis,
Vt pater, & rex ſit; nullum grauiter regit, omni
Nulla dies ſine fruge venit, niſi congrua præſtet.
Perdere plura putat, ſi non conceſſerit ampla;
Gaudia diffundit radianti lumine vultus;
Nubila nulla grauant populum ſub rege ſereno,
Pectore maturo culpas indulget acerbas.
Vnde alij peccant, ignoſcendo iſte triumphat;
Doctus enim, quoniam prima eſt in principe virtus,
Eſſe pium; quia, ſemper habet, qui parcere nouit.
Corrigit *in ſe prius quod poſcit vt alter emendet. — *ipſe.

Qui sibi censura est, reliquos bene lege coercet,
In quo digna manent, quicquid de rege requiras
Solus amat cunctos, & amatur ab omnibus vnus.
Brunechildis encomium à Venere. Incipit inde Venus laudes memorare puellæ:
O virgo miranda mihi placitura iugali
Clarior ætherea Brunichildes lampade fulgens
Lumina gemmarum superasti lumine vultus,
Altera nata Venus regno dotata decoris,
Nullaque Nereidum de gurgite talis Hibero
Oceani sub fonte natat, non vlla Napea
Pulchrior, ipsa suas subdunt tibi flumina nymphas.
Lactea cui facies incocta rubore coruscat.
Lilia mixta rosis, aurum si intermicet ostro,
Decertata tuis nunquam se vultibus æquant.
Saphirus, alba adamas, crystalla, smaragdus, iaspis.
Cedant cuncta, nouam genuit Hispania gemmam,
Digna fuit species, potuit quoque flectere regem.
Per hyemes validas niuibus Alpemque Pyrenem,
Perque truces populos vecta est, duce rege, sereno
Terrenis regina toris super ardua montis,
Planum carpis iter: nihil obstat amantibus vnquam
Quos iungi diuina volunt; quis crederet autem
Hispanam tibimet Domnam Germania nasci,
Quæ duo regna iugo * precio connexuit vno? (* preciosa connexuit.)
Non labor humanus potuit tam mira parare,
Nam res difficilis diuinis vtitur armis.
Longa retro series regi hoc vix contulit vlli.
Difficili nisu * peraguntur maxima rerum. (* superantur.)
Nobilitas excelsa nitet, genus Athanagildi, Athanagildi regis encomiũ.
Longius extremo regno qui porrigit orbi.
Diues opum quas mundus habet, populumque gubernat
Hispanum sub iure suo pietate canenda.
Cur tamen egregij genitoris regna renarrem,
Quando tuis meritis video creuisse parentes?
Tantum virgo micans turbas superare videris
Fœmineas, quantum tu Sigeberte maritos.
Ite diu iuncti membris, & corde iugati,
Ambo pares genio, meritis & moribus ambo,
Sexum quisque suum preciosis actibus ornans;

Cuius amplexu sint colla conexa sub vno,
Et totos placidis peragatis lusibus annos.
Hoc velit * alterutrum, quicquid dilexerit alter,
Æqua salus, ambobus eat, duo pectora seruet,
Vnus amor viuo solidamine iunctus alescat;
Auspiciis vestris cunctorum gaudia surgant.
Pacem mundus amet, victrix concordia regnet,
Sic iterum natis celebretis vota parentes;
Et de natorum teneatis prole nepotes.

* alteruter.

III.

De Sigeberto rege, & Brunichilde regina.

VICTOR ab occasu, quem laus extendit in ortum,
 Et facit egregium principis esse caput.
Quis tibi digna ferat? nam me vel dicere pauca
 Non trahit ingenium, sed tuus vrget amor.
Si nunc Virgilius, si forsitan esset Homerus,
 Nomine de vestro iam legeretur opus.
Sigeberte potens, generosis clare triumphis,
 Hinc noua te virtus prædicat, inde genus.
Cuius rapta semel sumpsit victoria pennas,
 Et tua vulgando prospera facta, volat.
Saxone * Thuringi resonant, sua damna mouentes,
 Vnius ad laudes tot cecidisse viros.
Quod tunc ante aciem pedibus prior omnibus isti,
 Hinc modo te reges vnde sequantur habent.
Prosperitate noua pacem tua bella dederunt,
 Et peperit gladius gaudia certa tuus.
Plus tamen vt placeas, cum sit victoria iactans
 Tu magis vnde subis, mitior inde manes.
Est tibi summus honor, sed mens præcessit honorem,
 Moribus et vestris debitus extet apex.
Iustitiæ cultor, pietatis amore coruscas,
 Quod te plus habeat, certat vtrumque bonum.
Lingua, decus, virtus, bonitas, mens, gratia pollent
 Ornarent cunctos singula vestra viros.
Cunctorum causas intra tua pectora condis.
 Pro populi requie te pia cura tenet.
Omnibus vna salus datus es, quasi ordine sacro

Sigebertus rex victor Thuringiæ & Saxoniæ.
* Thuringo resonat.

Tempore præsenti gaudia prisca refers,
Catholico cultu decorata est optima coniux;
Ecclesiæ creuit te faciente domus.
Reginam meritis Brunichildem Christus amore
Tunc sibi coniunxit, hanc tibi quando dedit.
Altera vota coles melius quia munere Christi,
Pectora iuncta prius plus modo lege placent.
Rex pie reginæ tanto de lumine gaude,
Acquisita bis est, quæ tibi nupta semel.
Pulchra, modesta, decens, solers, grata atque benigna,
Ingenio, vultu, nobilitate potens.
Sed quamuis tantum meruisset sola decorem,
Ante tamen homini, nunc placet ecce Deo.
Sæcula longa micans chara cum coniuge ducas,
Quam tibi diuinus consociauit amor.

Brunichildis ex Ariana fit Catholica.

IV.

De Chariberto Rege.

INCLYTA magnarum processit gloria rerum,
Et de rege pio spargit vbique decus.
Quem grauitate, animo, sensu, moderamine legum,
Prædicat occiduus, sol oriensque virum.
Qui quadripartitis mundi sub partibus ampli
Fructificante fide, semina * laudis habet.
Hinc cui barbaries, illinc Romania plaudit,
Diuersis linguis laus sonat vna viri.
Dilige regnantem celsa Parisius arce
Et cole tutorem qui tibi præbet opem.
Hunc modo læta, fauens auidis amplectere palmis;
Qui iure est dominus, sed pietate pater.
De Childeberto veteres compesce dolores,
Rex placidus rediit, qui tua vota fouet.
Ille fuit mitis, sapiens, bonus, omnibus æquus,
Non cecidit patruus, dum stat in vrbe nepos.
Dignus erat hæres eius sibi sumere regnum
Qui non est illo laude loquente minor.
Charibertus adest, qui publica iura gubernans,
Tempore præsenti gaudia prisca refert.
In tantum patrui se prodidit esse sequacem,

* lucis.

Childeberti regis elogium.

Charibertus Childeberti nepos & tu-

Vt modo ſit tutor coniugis iſte nepos.
Qui Childeberti retinens dulcedine nomen,
Eius natarum eſt frater,& ipſe pater.
Quæ bene defenſæ placido moderamine regis,
In conſobrino ſpem genitoris habent.
Maxima progenies,generoſa luce coruſcans,
Cuius ab excelſis gloria currit auis,
Nam quoſcunque velim veterum memorare parentum,
Stirpis honorificæ regius ordo fuit.
Cuius celſa fides eduxit ad aſtra cacumen,
Atque ſuper gentes intulit illa pedes.
Calcauit tumidos hoſtes,erexit amicos,
Fouit ſubiectos,conteruitque feros.
Cur tamen hic repetam præconia celſa priorum,
Cum potius tua laus ornet honore genus?
Illi auxere armis patriam,ſed ſanguine fuſo;
Tu plus acquiris,qui ſine clade regis,
Quos prius infeſtis laſſarunt bella periclis,
Hos modo ſecuros pacis amore foues.
Omnia læta canunt felicia tempora regis,
Cuius in auſpiciis floret opima quies.
Per quem tranquilla terrarum frugis abundat,
Deuotis populis eſt tua vita ſeges.
Cum te naſcentem meruerunt ſæcula regem,
Lumine maiori fulſit in orbe dies.
Poſteritate noua tandem ſua gaudia cernens,
Creſcere ſe dixit prolis honore pater.
Qui quamuis eſſet ſublimi vertice rector,
Altius erexit te veniente caput.
Lætus in hæredis gremio ſua vota reclinans,
Floruit inde magis ſpe meliore ſenex.
Ante alios fratres regali germine natus,
Ordine qui ſenior,ſic pietate prior.
Prædicat hinc bonitas,illinc ſapientia plaudit,
Inter vtrunque decus te ſibi quiſque rapit.
De patruo pietas,& de patre fulget acumen,
Vnius in vultu viuit vterque parens.
Quas habuere ambo laudes,tu colligis omnes,
Et reparas ſolus lege fauente duos.

tor liberorum patrui.

Charibertus pacis artibus floret.

Chariberti natalis populo lætiſſimus.

Charibert indoles.

Semita iustitiæ, grauitatis norma refulges,
Et speculum vitæ dat preciosa fides.
Sedatus animus. Tranquillis animis moderatio fixa tenetur,
Qui portum in proprio pectore semper habes.
Tempestas nullo penetrat tua corda tumultu,
Ne sensu titubes, anchora mentis adest.
Constantes animos non ventilat aura susurrans,
Nec leuiter facili mobilitate trahit.
Hinc bene dispolito comitatur gloria cursu,
Prudentia. Quod se maturè mens moderata gerit.
Consilium vigilans alta radice retractas,
Et res clausa aliis, est manifesta tibi.
Publica cura mouens, proceres si congreget omnes,
Spes est consilij, te monitore, sequi.
Hinc quoties fœlix legatio denique pergit,
Ingreditur cautè quam tua lingua regit,
Patientia. Quod tam mirifico floret patientia cultu,
* Viæ. Est tibi Dauidicæ mansuetudo * lyræ.
Iustitiæ rector, venerandi iuris amator,
Iustitia. Iudicium sapiens de Salomone trahis.
Pietas. Tu melior fidei merito; nam principis ampli
Grauitas. Traiani ingenium de pietate refers.
Quid repetam maturum animum, qui tempore nostro
* Fauij. Antiqui * Fabij de grauitate places.
Iuris scientia. Si veniant aliquæ variato murmure causæ,
Pondera mox legum regis ab ore fluunt.
Quamuis confusas referant certamina voces,
Nodosæ litis soluere fila potes.
Obtinet adueniens fructum, cui iusta petuntur,
Quem sua causa fouet, præmia victor habet.
Fides. Cuius clara fides valida radice tenetur,
Antea mons migrat, quam tua verba cadant.
Spes promissa stat nullo mutabilis actu.
Pollicitata semel, perpetuata manent.
Illa domus propriore pondere tuta tenetur,
Quæ fundamento stat bene fixa suo.
Cum sis progenitus clara de gente Sygamber
Floret in eloquio lingua Latina tuo.
Latini ser. Qualis es in propria docto sermone loquella,

Qui nos Romanos vincis in eloquio.
Splendet in ore dies detersa fronte serenus,
Synceros animos nubila nulla premunt.
Blanda serenatum circundat gratia vultum,
Lætitiam populus regis ab ore capit.
Muneribus largis replet tua gratia cunctos.
Vt mea dicta probes, plebs mihi testis adest.
O bonitas immensa Dei quæ diuite censu
Quod famulis tribuit, hoc putat esse suum.
Erigis abiectos, erectos lege tueris,
Omnibus in totum factus es omne bonum.
Protegat omnipotens pietatis munere regem,
Et dominum seruet, quem dedit esse patrem.
Ciues te cupiant, tu gaudia ciuibus addas,
Plebs placeat famulans, rex pietate regat.

moni*s* pe-ritia.
Serenitas animi.
Munificen-tia.
Boni pu-blici custo dia.

V.

** De Theodechilde Regina.*

INCLYTA progenies regali stirpe coruscans,
Cui celsum à proauis nomen origo dedit.
Currit in orbe volans generis noua gloria vestri,
Et simul hinc frater personat; inde pater.
Sed quamuis niteat generosa propago parentum,
Moribus ex vestris multiplicatur honor.
Cernimus in vobis quicquid laudatur in illis,
*Ornasti antiquum *Theodechilda genus.
Mens veneranda, decens, solers, pia, chara, benigna,
Cum sis prole potens, gratia maior adest.
*Euitans odij causas micat ampla potestas,
Quæ terrore minus, plus in amore venis.
Mitis ab ore sonus, suauissima dicta resultant.
Verbaque colloquij sunt quasi mella faui.
Fœmineum sexum quantum præcedis honore,
Tantum alias superas & pietatis ope.
Si nouus adueniat, recipis sic mente benigna,
Ac si seruitiis iam placuisset auis.
Pauperibus fessis tua dextera seminat escas,
Vt segetes fructu fertiliore metas.

* Ad Theude-childem reginam.
Genus.
Mores.
*ornas.
* Theu-dechilde.
*Et Vitās.
Blandi-l. quentia.
Liberali-tas & elee-mosynæ studium.

Vnde

Vnde foues inopes, semper satiata manebis,
Et quem sumit egens, fit tuus ille cibus.
Peruenit ad Christum, quicquid largiris egeno,
Et si nemo videt, non peritura manent.
Cum venit extremus finis concludere mundum,
Omnia dum pereunt, tu meliora petis.
Ecclesijs bene facit.
Ecclesiæ sacræ, te dispensante, nouantur,
Ipsa domum Christi condis, & ille tuam
Tu fabricas illi terris, dabit ille supernis,
Commutas melius, sic habitura polos.
Stat sine fraude tuum quod mittis ad astra talentum,
Quas bene dispergis, has tibi condis opes.
Quæ Domino viuis, summos non perdis honores,
Regna tenes terris regna tenendo polis
Sit modo longa salus pro munere plebis in vrbe
Felix quæ meritis luce perennis eris.

VI.

De* Bertechilde.

* Berthilde.

MENS deuota Deo Berthilde corde coruscans,
Pectore sub cuius Christus amore manet.
Despiciens mortale malum, vitalia seruans
Vnde fugis terras, hinc petis astra magis.
Immaculata micans, nescis contagia mundi,
Sordibus humanis libera membra geris.
Digna pudicitiæ debentur præmia sacræ,
Virgo dicata Deo hinc rapienda polo.
Ille tenet cœlos, cui tu complexa videris.
Quo tuus est sponsus, hic eris ipsa simul.
Non cupis auro humeros, nec collum pingere gemmis,
Sed melius casto pectore pura micas.
Mutasti vestem, mutasti gentis honorem
Cum thalamis Domini sponsa iuganda venis.
Quam meliore via meruisti vota tenere,
Quando creatori forma creata places.
Pauperibus largas das esurientibus escas,
Nescit habere famem, qui tua tecta petit:
Qui sine veste iacet, tegmen pietate ministras,
Vnde calet nudus frigora nulla timens.

Te

Te redimente pia captiui vincula laxant,
 Quæ soluis vinctos libera semper eris.
Distribuis censum nulli sua vota negando,
 Diuitiasque tuas omnibus esse facis.
Colligis in cœlis, quicquid dispergis in aruis
 Semina nunc fundens post meliora metes.
Quicquid habet mundus fugitiuo tramite transit;
 Tempore tu modico semper habenda facis.
Hic tibi longæuis sit vita superstes in annis,
 Rursus in æternum sit tibi vera salus.

VII.

De Gelesuinta.

CASIBVS incertis rerum fortuna rotatur,
 Nec figit stabilem pendula vita pedem.
Semper in ambiguo sæclum rota lubrica voluit. * secum.
 Et fragili glacie lapsibus itur iter.
Nulli certa dies, nulli est sua certior hora,
 Sic sumus in statu debiliore vitro.
Dum gressu ancipiti trahit ignorantia fallens,
 Huc latet ars foueæ, quo putat esse viam.
Nescia mens hominum quid sit necis atque salutis
 Lucifer an vita, mors sibi vesper erit.
His premimur tenebris ignari sorte futuri,
 Et vaga tam fragile hæc tempora tempus habent.
Toletus geminas misit tibi Gallia turres, De Gelesuinta & Brunichilde sororibus loquitur.
 Prima stante quidem, fracta secunda iacet.
Alta super colles speciosa cacumine pulchro,
 Flatibus infestis culmine lapsa ruit.
Sedibus in patriæ sua fundamenta relinquens,
 Cardine mota suo non stetit vna diu.
De proprio migrata solo noua * mersit arena * mors sit.
 Exul & his terris, heu, peregrina iacet.
Quis valet ordiri tanti præsagia luctus,
 Stamine quo cœpit texere flenda dolor?
Cum primum algentes iungi peteretur ad arctos,
 Regia regali Gelesuintha toro.
Fixa Cupidineis caperet vt frigora flammis, * cuperet huc.
 Viueret, & gelida sub regione calens.

Aſſurgente gradu nobile, iure, caput:
Fortunatus opem tribui qui poſcit Olympi.
Per te chare pater, quo mercatur age.

XX.

Ad eundem Salutatorium.

VISITAT à vobis dignanter epiſtola currens,
Me ſacer antiſtes, vir pietate, pater.
Hanc auidus capiens oculis, animoque recurro,
Soſpite te gaudens quod referebat apex.
* huc. Longius * hinc veſtro ſub nomine Papa Gregori
Pagina me recreet miſſa ſalutis ope.

XXI.

Dominis ſanctis atque Apoſtolicis in Chriſto patribus eccleſiæ pontificibus pro commendatione peregrini Fortunatus.


GLORIA pontificum, veneratio Chriſticolarum,
Norma ſacerdotum, culmen & orbis honor.
* amore. Qui loca perſpicitis propriæ mercedis * honore
Succurrendo viris, veſter vt extet apex.
Ecce venit præſens Italus peregrinus & hoſpes,
Cernens paſtores, ne, precor, erret ouis.
Qualiter ad patriam properet, ſolatia poſcit,
Inueniat munus vos, vagus, exul inops.
Me Fortunatum proprium, pietate parentum,
Conciliate polo, quæſo precando Deum.

XXII.

Ad Aredium abbatem.

OPTO benigne pater verbo tibi ferre ſalutem,
Si minus hinc oculo cernere te valeo.
Eſt etenim veſtri tantus mihi cultus honoris,
Vt pro me occurrat hinc tibi miſſus apex.
Quæſo beate tamen per dulcia pabula Chriſti,
Me quoque commemores, cum dabis ore preces.
Munera credo Dei tribui mihi, paſtor Aredi
Si Fortunati ſis memor alme tui.
Pro me etiam ſanctam genitricem chare ſalutans,
Cum redit iſte puer, redde loquentis opem.
Vos itidem genitæ propriæ, pater ample, ſalutant
Agnes amore pio cum Radegunde ſimul.

VENAN-




VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER SEXTVS.

I.

De domno Sigiberto rege.


ERE nouo tellus fuerit dum exuta pruinis,
Se picturato gramine vestit ager.
Longius extendunt frondosa cacumina montes,
Et renouat virides arbor opaca comas.
Promittens grauidas ramis genitalibus vuas,
Palmite gemmato vitis amæna tumet.
Præmittens flores gracili blandita susurro
Delitiosa fauis mella recondit apes.
Progeniem reparans casto fæcunda cubili
Artificis natos gignere flore cupit.
Nexibus apta suis pro posteritatis amore
Ad fœtus properans garrula currit auis.
Semine quisque suo senio iuuenescit in ipso,
Omnia dum redeunt, gaudia mundus habet.
Sic modo cuncta fauent dum prosperitate superna.
Regia Cæsareo proficit aula iugo.
Ordine multiplici fœlicem in sæcula regem.
Vndique cinxerunt lumina tanta ducum.
Culmina tot procerum concurrunt culmen ad vnum,
Mars habet ecce duces, pax habet ecce decus.

Cun-

Cunctornm aduentu festiua palatia feruent.
Coniugio regis gens sua vota videt.
Vos quorum irriguis, fontis meat vnda, fauete,
Iudicio vestro crescere parua solent.

II.

De nuptiis Sigiberti regis, Brunichildis reginæ.

FELICEM sol pande diem, radiisque serenis
Sparge comas, thalamos syncero lumine complens:
Sigibertus ouans ad gaudia nostra creatus
Vota facit, qui nunc alieno liber amore,
Vincula chara subit cuius moderante iuuenta;
Connubium mens casta petit, lasciua retundens,
Ad iuga confugit, cui nil sua surripit ætas.
Corde pudicus agens, rector tot gentibus vnus,
Et sibi fræna dedit, sed quod natura requirit,
Lege maritali amplexu est contentus in vno.
Quo non peccat amor, sed casta cubilia seruans
Instaurat de prole lares, vbi luserit heres.
Torsit amoriferas arcu stridente sagittas
Forte Cupido volans, terris genus omne perurit.
Cupido inducitur. Nec pelagus defendit aquas, mox vilia corda
Subdit vulgus iners, tandem de hinc sensus opimi,
Regis anhelantem placidis bibit ossibus ignem,
Molliter incumbens, & inhæsit flamma medullis.
Regalis feruebat apex, nec nocte sopora
Cordis erat requies oculis, animoque recurrens
*finxit. Ad vultus quos *pinxit amor, mentemque fatigans
Sæpe per amplexum falsa sub imagine lusit.
Mox vbi conspexit telo superante Cupido
Virginea mitem torreri lampade regem,
Lætus ait Veneri mater mea bella peregi,
Pectore flagranti mihi vincitur alter Achilles,
Sigibertus amans Brunichildæ carpitur igne,
Quæ placet apta thoro maturis nubilis annis
Virginitas in flore tumens, complexa marito
Primitiis placitura suis, nec damna pudoris
Sustinet, vnde magis pollens regina vocatur;
Hoc quoque virgo cupit, quamuis verecundia sexus

Obstet,

Obſtet, amata viri, dextra leuiore repellit,
Ignoſcitque ſibi culpas quas intulit ignis.
Sed modo læta veni, quoniam te vota requirunt.
Mox Venus ambroſio violas admiſcet amomo,
Demetit vngue roſas, gremioque recondit auaro.
Et pariter leuibus fregerunt nubila pennis,
Et venere ſimul thalamos ornare ſuperbos.
Hinc Venus egregiam præponere cæpit alumnam,
Inde Cupido virum, nubentibus ambo fauentes
Et litem fecere piam: ſic deinde Cupido
Matri pauca refert. tibi quem promiſimus hic eſt
Sigibertus, amor populi, lux nata parentum — Sigeberti encomium à cupidine.
Qui genus à proauis longo tenet ordine regum,
Et reges geniturus erit, ſpes gentis opimæ,
Quo creuit natale decus, generoſa propago.
Ac melior de ſtirpe redit, famamque priorum
Poſteritas excelſa fouet; hic nomen auorum
Extendit bellante manu, cui de patre virtus,
Quam * Nabis ecce probat, Thoringia victa fatetur, — * Nablis.
* Perficiens vnum gemina de gente triumphum. — * Proficiens.
Nec Dietheuberto pietas venialia pendit.
* Perdidit iſta duos, ambobus ſufficit vnus. — * Sed dedit iſte duos pro.
Cardinis occidui, dominans in flore iuuentæ,
Iam grauitate ſenes teneroſque ſuperuenit annis.
Legem naturæ meruit præcedere factis.
Quamuis parua tamen, nullum minor impedit ætas,
* Qui ſenſum mature regit, generoſior hic eſt — * Corrup. locus.
Quiſquis in anguſto fuerit moderatior æuo:
Sic fouet hic populos ipſis intrantibus annis,
Vt pater, & rex ſit; nullum grauiter regit, omni
Nulla dies ſine fruge venit, niſi congrua præſtet.
Perdere plura putat, ſi non conceſſerit ampla;
Gaudia diffundit radianti lumine vultus;
Nubila nulla grauant populum ſub rege ſereno,
Pectore maturo culpas indulget acerbas.
Vnde alij peccant, ignoſcendo iſte triumphat;
Doctus enim, quoniam prima eſt in principe virtus,
Eſſe pium; quia, ſemper habet, qui parcere nouit.
Corrigit * in ſe prius quod poſcit vt alter emendet. — * ipſe.

Qui sibi censura est, reliquos bene lege coercet,
In quo digna manent, quicquid de rege requiras
Solus amat cunctos, & amatur ab omnibus vnus.
Brunechildis encomium à Venere. Incipit inde Venus laudes memorare puellæ:
O virgo miranda mihi placitura iugali
Clarior æthereo Brunichildes lampade fulgens
Lumina gemmarum superasti lumine vultus,
Altera nata Venus regno dotata decoris,
Nullaque Nereidum de gurgite talis Hibero
Oceani sub fonte natat, non vlla Napea
Pulchrior, ipsa suas subdunt tibi flumina nymphas.
Lactea cui facies incocta rubore coruscat.
Lilia mixta rosis, aurum si intermicet ostro,
Decertata tuis nunquam se vultibus æquant.
Saphirus, alba adamas, crystalla, smaragdus, iaspis.
Cedant cuncta, nouam genuit Hispania gemmam,
Digna fuit species, potuit quoque flectere regem.
Per hyemes validas niuibus Alpemque Pyrenem,
Perque truces populos vecta est, duce rege, sereno
Terrenis regina toris super ardua montis,
Planum carpis iter: nihil obstat amantibus vnquam
Quos iungi diuina volunt; quis crederet autem
Hispanam tibimet Domnam Germania nasci,
* preciosa conexuit. Quæ duo regna iugo * precio connexuit vno?
Non labor humanus potuit tam mira parare,
Nam res difficilis diuinis vtitur armis.
Longa retro series regi hoc vix contulit vlli.
* superantur. Difficili nisu * peraguntur maxima rerum.
Athanagildi regis encomiū. Nobilitas excelsa nitet, genus Athanagildi,
Longius extremo regno qui porrigit orbi.
Diues opum quas mundus habet, populumque gubernat
Hispanum sub iure suo pietate canenda.
Cur tamen egregij genitoris regna renarrem,
Quando tuis meritis video creuisse parentes?
Tantum virgo micans turbas superare videris
Fœmineas, quantum tu Sigeberte maritos.
Ite diu iuncti membris, & corde iugati,
Ambo pares genio, meritis & moribus ambo,
Sexum quisque suum preciosis actibus ornans;

Cuin-

Cuius amplexu sint colla conexa sub vno,
Et totos placidis peragatis lusibus annos.
Hoc velit* alterutrum, quicquid dilexerit alter, * alteru-ter.
Æqua salus, ambobus eat, duo pectora seruet,
Vnus amor viuo solidamine iunctus alescat;
Auspiciis vestris cunctorum gaudia surgant.
Pacem mundus amet, victrix concordia regnet,
Sic iterum natis celebretis vota parentes;
Et de natorum teneatis prole nepotes.

III.

De Sigeberto rege, & Brunichilde regina.

VICTOR ab occasu, quem laus extendit in ortum,
Et facit egregium principis esse caput.
Quis tibi digna ferat? nam me vel dicere pauca
Non trahit ingenium, sed tuus vrget amor.
Si nunc Virgilius, si forsitan esset Homerus,
Nomine de vestro iam legeretur opus.
Sigeberte potens, generosis clare triumphis,
Hinc noua te virtus prædicat, inde genus.
Cuius rapta semel sumpsit victoria pennas,
Et tua vulgando prospera facta, volat.
Saxone* Thuringi resonant, sua damna mouentes,
Vnius ad laudes tot cecidisse viros.
Quod tunc ante aciem pedibus prior omnibus isti,
Hinc modo te reges vnde sequantur habent.
Prosperitate noua pacem tua bella dederunt,
Et peperit gladius gaudia certa tuus.
Plus tamen vt placeas, cum sit victoria iactans
Tu magis vnde subis, mitior inde manes.
Est tibi summus honor, sed mens præcessit honorem,
Moribus et vestris debitus extet apex.
Iustitiæ cultor, pietatis amore coruscas,
Quod te plus habeat, certat vtrumque bonum.
Lingua, decus, virtus, bonitas, mens, gratia pollent
Ornarent cunctos singula vestra viros.
Cunctorum causas intra tua pectora condis.
Pro populi requie te pia cura tenet.
Omnibus vna salus datus es, quasi ordine sacro

Sigebertus rex victor Thuringiæ & Saxoniæ.
* Thuringo resonat.

Tempore præsenti gaudia prisca refers,
Catholico cultu decorata est optima coniux; Brunichildis ex Ariana fit Catholica.
Ecclesiæ creuit te faciente domus.
Reginam meritis Brunichildem Christus amore
Tunc sibi coniunxit, hanc tibi quando dedit.
Altera vota coles melius quia munere Christi,
Pectora iuncta prius plus modo lege placent.
Rex pie reginæ tanto de lumine gaude,
Acquisita bis est, quæ tibi nupta semel.
Pulchra, modesta, decens, solers, grata atque benigna,
Ingenio, vultu, nobilitate potens.
Sed quamuis tantum meruisset sola decorem,
Ante tamen homini, nunc placet ecce Deo.
Sæcula longa micans chara cum coniuge ducas,
Quam tibi diuinus consociauit amor.

IV.

De Chariberto Rege.

INCLYTA magnarum processit gloria rerum,
Et de rege pio spargit vbique decus.
Quem grauitate, animo, sensu, moderamine legum,
Prædicat occiduus, sol oriensque virum.
Qui quadripartitis mundi sub partibus ampli
Fructificante fide, semina * laudis habet. * lucis.
Hinc cui barbaries, illinc Romania plaudit,
Diuersis linguis laus sonat vna viri.
Dilige regnantem celsa Parisius arce
Et cole tutorem qui tibi præbet opem.
Hunc modo læta, fauens auidis amplectere palmis;
Qui iure est dominus, sed pietate pater.
De Childeberto veteres compesce dolores, Childeberti regis elogium.
Rex placidus rediit, qui tua vota fouet.
Ille fuit mitis, sapiens, bonus, omnibus æquus,
Non cecidit patruus, dum stat in vrbe nepos.
Dignus erat hæres eius sibi sumere regnum
Qui non est illo laude loquente minor.
Charibertus adest, qui publica iura gubernans, Charibertus Childeberti nepos & tu-
Tempore præsenti gaudia prisca refert.
In tantum patrui se prodidit esse sequacem,

Vt modo sit tutor coniugis iste nepos.
Qui Childeberti retinens dulcedine nomen,
Eius natarum est frater, & ipse pater.
Quæ bene defensæ placido moderamine regis,
In consobrino spem genitoris habent.
Maxima progenies, generosa luce coruscans,
Cuius ab excelsis gloria currit auis,
Nam quoscunque velim veterum memorare parentum,
Stirpis honorificæ regius ordo fuit.
Cuius celsa fides eduxit ad astra cacumen,
Atque super gentes intulit illa pedes.
Calcauit tumidos hostes, erexit amicos,
Fouit subiectos, conteruitque feros.
Cur tamen hic repetam præconia celsa priorum,
Cum potius tua laus ornet honore genus?
Illi auxere armis patriam, sed sanguine fuso;
Tu plus acquiris, qui sine clade regis,
Quos prius infestis lassarunt bella periclis,
Hos modo securos pacis amore foues.
Omnia læta canunt felicia tempora regis,
Cuius in auspiciis floret opima quies.
Per quem tranquilla terrarum frugis abundat,
Deuotis populis est tua vita seges.
Cum te nascentem meruerunt sæcula regem,
Lumine maiori fulsit in orbe dies.
Posteritate noua tandem sua gaudia cernens,
Crescere se dixit prolis honore pater.
Qui quamuis esset sublimi vertice rector,
Altius erexit te veniente caput.
Lætus in hæredis gremio sua vota reclinans,
Floruit inde magis spe meliore senex.
Ante alios fratres regali germine natus,
Ordine qui senior, sic pietate prior.
Prædicat hinc bonitas, illinc sapientia plaudit,
Inter vtrunque decus te sibi quisque rapit.
De patruo pietas, & de patre fulget acumen,
Vnius in vultu viuit vterque parens.
Quas habuere ambo laudes, tu colligis omnes,
Et reparas solus lege fauente duos.

tor liberorum patrui.

Charibertus pacis artibus floret.

Chariberti natalis populo lætissimus.

Charibert indoles.

Semita iuſtitiæ, grauitatis norma refulges,
Et ſpeculum vitæ dat precioſa fides.
Sedatus animus. Tranquillis animis moderatio fixa tenetur,
Qui portum in proprio pectore ſemper habes.
Tempeſtas nullo penetrat tua corda tumultu,
Ne ſenſu titubes, anchora mentis adeſt.
Conſtantes animos non ventilat aura ſuſurrans,
Nec leuiter facili mobilitate trahit.
Hinc bene diſpoſito comitatur gloria curſu,
Prudentia. Quod ſe maturè mens moderata gerit.
Conſilium vigilans alta radice retractas,
Et res clauſa aliis, eſt manifeſta tibi.
Publica cura mouens, proceres ſi congreget omnes,
Spes eſt conſilij, te monitore, ſequi.
Hinc quoties fœlix legatio denique pergit,
Ingreditur cautè quam tua lingua regit,
Patientia. Quod tam mirifico floret patientia cultu,
* Vitæ. Eſt tibi Dauidicæ manſuetudo * lyræ.
Iuſtitiæ rector, venerandi iuris amator,
Iuſtitia. Iudicium ſapiens de Salomone trahis.
Pietas. Tu melior fidei merito; nam principis ampli
Grauitas. Traiani ingenium de pietate refers.
Quid repetam maturum animum, qui tempore noſtro
* Fauij. Antiqui * Fabij de grauitate places.
Iuris ſcientia, Si veniant aliquæ variato murmure cauſæ,
Pondera mox legum regis ab ore fluunt.
Quamuis confuſas referant certamina voces,
Nodoſæ litis ſoluere fila potes.
Obtinet adueniens fructum, cui iuſta petuntur,
Quem ſua cauſa fouet, præmia victor habet.
Fides. Cuius clara fides valida radice tenetur,
Antea mons migrat, quam tua verba cadant.
Spes promiſſa ſtat nullo mutabilis actu.
Pollicitata ſemel, perpetuata manent.
Illa domus propriore pondere tuta tenetur,
Quæ fundamento ſtat bene fixa ſuo.
Cum ſis progenitus clara de gente Sygamber
Floret in eloquio lingua Latina tuo.
Latini ſer- Qualis es in propria docto ſermone loquella,

Qui

Qui nos Romanos vincis in eloquio.
Splendet in ore dies detersa fronte serenus,
Synceros animos nubila nulla premunt.
Blanda serenatum circundat gratia vultum,
Lætitiam populus regis ab ore capit.
Muneribus largis replet tua gratia cunctos.
Vt mea dicta probes, plebs mihi testis adest.
O bonitas immensa Dei quæ diuite censu
Quod famulis tribuit, hoc putat esse suum.
Erigis abiectos, erectos lege tueris,
Omnibus in totum factus es omne bonum.
Protegat omnipotens pietatis munere regem,
Et dominum seruet, quem dedit esse patrem.
Ciues te cupiant, tu gaudia ciuibus addas,
Plebs placeat famulans, rex pietate regat.

monis puritia.
Serenitas animi.
Munificentia.
Boni publici custodia.

V.

*De Theodechilde Regina.

* Ad Theudechildem reginam.

INCLYTA progenies regali stirpe coruscans,
Cui celsum à proauis nomen origo dedit.
Currit in orbe volans generis noua gloria vestri,
Et simul hinc frater personat; inde pater.
Sed quamuis niteat generosa propago parentum,
Moribus ex vestris multiplicatur honor.
Cernimus in vobis quicquid laudatur in illis,
*Ornasti antiquum *Theodechilda genus.
Mens veneranda, decens, solers, pia, chara, benigna,
Cum sis prole potens, gratia maior adest.
*Euitans odij causas micat ampla potestas,
Quæ terrore minus, plus in amore venis.
Mitis ab ore sonus, suauissima dicta resultant.
Verbaque colloquij sunt quasi mella faui.
Fœmineum sexum quantum præcedis honore,
Tantum alias superas & pietatis ope.
Si nouus aduenіat, recipis sic mente benigna,
Ac si seruitiis iam placuisset auis.
Pauperibus fessis tua dextera seminat escas,
Vt segetes fructu fertiliore metas.

Genus.
Mores.
*ornas.
* Theudechilde.
*Et Vitās.
Blandiloquentia.
Liberalitas & eleemosynæ studium.

Vnde

Te redimente pia captiui vincula laxant,
Quæ soluis vinctos libera semper eris.
Distribuis censum nulli sua vota negando,
Diuitiasque tuas omnibus esse facis.
Colligis in cœlis, quicquid dispergis in aruis
Semina nunc fundens post meliora metes.
Quicquid habet mundus fugitiuo tramite transit;
Tempore tu modico semper habenda facis.
Hic tibi longæuis sit vita superstes in annis,
Rursus in æternum sit tibi vera salus.

VII.

De Gelesuinta.

CASIBVS incertis rerum fortuna rotatur,
Nec figit stabilem pendula vita pedem.
Semper in ambiguo sæclum rota lubrica voluit.
Et fragili glacie lapsibus itur iter. ** secum.*
Nulli certa dies, nulli est sua certior hora,
Sic sumus in statu debiliore vitro.
Dum gressu ancipiti trahit ignorantia fallens,
Huc latet ars foueæ, quo putat esse viam.
Nescia mens hominum quid sit necis atque salutis
Lucifer an vita, mors sibi vesper erit.
His premimur tenebris ignari sorte futuri,
Et vaga tam fragile hæc tempora tempus habent.
Toletus geminas misit tibi Gallia turres,
Prima stante quidem, fracta secunda iacet.
Alta super colles speciosa cacumine pulchro,
Flatibus infestis culmine lapsa ruit.
Sedibus in patriæ sua fundamenta relinquens,
Cardine mota suo non stetit vna diu.
De proprio migrata solo noua * mersit arena
Exul & his terris, heu, peregrina iacet.
Quis valet ordiri tanti præsagia luctus,
Stamine quo cœpit texere flenda dolor?
Cum primum algentes iungi peteretur ad arctos,
Regia regali Gelesuintha toro.
Fixa Cupidineis caperet vt frigora flammis,
Viueret, & gelida sub regione calens.

De Geleſuinta & Brunichilde sororibus loquitur.

** mors sit.*

** cuperet huc.*

T Hoc

Goisuinta mater Gelesuintæ.

Hoc vbi virgo metu audituque exterrita sensit,
Currit ad amplexus Goisuintha tuos;
Tunc matris collecta sinu, male sana reclinans,
Ne diuellatur se tenet vngue, manu.
Brachia constringens nectit sine fune catenam,
Et matrem amplexu per sua membra ligat.
Illis visceribus retineri filia poscens,
Ex quibus ante sibi lucis origo fuit.
Committens secura eius se fasce leuari,
Cuius clausa vteri pignore tuta fuit.

Gelesuintę abeuntis ex Hispania desiderium.

Tum gemitu fit mœsta domus, strepit aula tumultu,
Reginæ fletu plorat & omnis * homo.
In populi facie lachrymarum flumina sordent,
Infans qui affectum nescit, & ipse gemit.

* honor.

Instant legati, Germanica regna requiri,
Narrantes longæ tempora tarda viæ.
Sed matris moti gemitu sua viscera soluunt,
Et qui compellunt, dissimulare volunt.
Dum natæ amplexu genitrix nodata tenetur,
prætereunt duplices, tertia, quarta, dies.
Instant legati nota regione reuerti:
Quos his alloquitur Goisuintha gemens.

Goisuintę matris oratio filiæ discessum morantis.

Si feritate trucis premerer captiua Geloni,
Forsan ad has lachrymas & pius hostis erat.
Si nec corde pius, cupidus mihi cederet hostis,
Vt natam ad precium barbara præda daret;
Si neque sic animum velit inclinare cruentum,
Matri præstaret quo simul iret iter.
Nunc mora nulla datur, precio neque flectimur vllo,
Qui nihil indulget sęuius hoste nocet.
Post vteri gemitus, post multa pericula partus,
Postq; laboris onus, quod graue fœta tuli,
Quæ genui, natæ matrem me non licet esse?
Ipsaque naturæ lex mihi tota perit?
Affectu ieiuna meo, lachrymosa repellor,
Nec pietas aditum, nec dat origo locum?
Quid rapitis? differte dies, cum disco dolores,
Solamenque mali sit mora sola mei.
Quando iterum videam, quando hæc mihi lumina ludant?

Quando iterum natæ per pia colla cadam?
Vnde precor teneræ gressum spectabo puellæ,
Oblectetue animos matris & ipse iocus?
Post causas, quas regna gerunt, vbi mœsta reclinem?
Quis colat affectu,* lambat & ore caput?
Extensis palmis, quis currat ad oscula, vel quæ
Ceruici insiliant pendula membra meæ?
Quem teneam gremio blando sub fasce laborans,
Aut leuiore manu verberer ipsa ioco.
Nec te ferre sinu, quamquam sis adulta, grauater,
Quæ mihi dulce nimis & leue pondus eras.
Cur noua rura petas, illic vbi non ero mater?
An regio forsan non capit vna duas?
Quæ genuêre ergo, lacerentur viscera luctu,
Gaudia cui pereunt tempora, fletus erunt.
Plorans perdam oculos, ducens mea lumina tecum,
Si tota ire vetor, pars mea te sequitur.
Tum proceres famuli, domus, vrbs, rex ipse remugit,
Quaq; petisses iter, vox grauis vna gemit.
Progrediere foras tandem, sed turba morosa,
Soluere dum properat, se properando ligat.
Hinc tenet affectus, rapit inde tumultus euntes,
Sic per vtrasq; vices flebile feruet opus.
Alter abire monet, rogat alter amore redire,
Sic variante fide, hic trahit, ille tenet.
Diuiditur populus per regna nouella vetustus,
Stat pater, it genitus, stat socer, itq; gener.
Qui vidit strepitum, patriam migrare putaret,
Et quasi captiuum crederet ire solum.
Procedunt portis, serraco in ponte retento,
Protulit hoc fletu Gelesuintha caput.
Sic gremio Tolete tuo nutribar, vt ægra,
Excludar portis tristis alumna tuis?
Quoque magis crucier, prodens mea vulnera luctu,
Stas felix regio, cur ego præda trahor?
Antea clausa fui, modo te consydero totam,
Nunc mihi nota prius, quando recedo ferox.
Hinc te dinumero currens per culmina visu,
En ego de numero non ero sola tuo.

* lambiat ore.

Gelesuintæ sponsæ discessus.

Gelesuintæ abeuntis luctus.

Crudeles portæ, quæ me laxastis euntem,
Clauibus oppositis nec vetuistis iter.
Antea vos geminas adamas, petra vna ligasset.
Quam daret huc vllam ianua pansa viam.
Vrbs pia plus fueras, si murus tota fuisses,
Me ire vt ne sineres, cingeret alta silex.
Pergo ignota locis trepidans, quidnam antea discam,
*quas gentes. * Gentem, animos, mores, oppida, rura, nemus,
Quem precor inueniam peregrinis aduena terris,
Quo mihi nemo venis, ciuis, amice, parens?
Dic, si blanda potest nutrix aliena placere,
Quæ lauet ora manu, vel caput ornet acu,
Nulla puella choro neque collactanea ludat,
Hic mea blandities, hic mea cura iaces.
Si me non aliter vel nuda sepulchra tenerent,
*viuere. Non licet hic * viui, hic mihi dulce mori.
Non fruor, amplexu neque visu plena recedo,
Quæ me dimittis dura Tolete, vale.
Sic accensi animi lachrymarum flumina rumpunt,
Fixus & irriguas parturit ignis aquas.
Hinc iter arripiunt genitrix, nata, agmina flentum
*obsequii. Nec piget * obsequium mater anhela sequi.
Deducit dulcem per amara viatica natam,
Implentur valles fletibus, alta tremunt.
Frangitur & densus vacuis vlulatibus aer,
Ipsa repercusso murmure sylua gemit.
Dat causas spacij, genitrix vt longius iret,
Sed fuit optanti tempus, iterq; breue.
Peruenit quo mater, ait, sese inde reuerti,
Sed quod velle prius, postea nolle fuit.
Rursus adire cupit, via qua fert inuia matrem.
Quam proceres retinent, ne teneretur iter.
*refiexæ. Hærebant in se amplexæ pariterq; * replexæ,
Matris & filiæ supremum vale. Incipit hic gemitu Goisuintha fero.
Ciuibus ampla tuis, angusta Hispania matri,
Et regio solis, tam cito clausa mihi.
Quæ licet à Zephyro calidum percurris in Eurum,
*stirpe noui. Et de Thyrreno * tendis ad Oceanum.
Sufficiens populis quamuis regionibus amplis,

Quo

Quo eſt mea nata abſens, terra mihi breuis es.
Nec minus hic ſine te errans & peregrina videbor,
Inque loco proprio, ciuis, & exul ero.
Quæſo quid inſpiciant oculi, quem nata requirant.
Quæ mea nunc tecum lumina ducis amor?
Tu dolor vnus eris quiſquis mihi luſerit infans,
Amplexu alterius tu mihi pondus eris.
Currat, ſtet, ſedeat, fleat, intret, & exeat alter,
Sola meis oculis dulcis imago redis.
Te fugiente errans aliena per oſcula curram,
Et ſuper ora gemens vbera ſicca premam.
De facie infantum plorantia lumina lambam,
Et teneras lachrymas inſatiata bibam.
Tali potu * vtinam, vel parte refrigerer vlla, *etiam.
Aut plorata auidè mitiget vnda ſitim.
Quicquid erit, crucior, nulla hic medicamina proſunt,
Vulnere diſtillo Geleſuintha tuo.
Qua rogo nata manu chara hæc coma pexa nitebit?
Quis ſine me placidas lambiat ore genas?
Quis gremio foueat, genibus vehat, ambiat vlna?
Sed tibi præter me non ibi mater erit.
Quod ſupereſt * gemebundus amor hoc mandat eunti, * timebundus.
Sis precor ô felix, ſed caue, * valde, vale. * vade.
Mitte auidæ matri, vel per vaga flabra ſalutem,
Si venit, ipſa mihi nunciet aura * boni. *bonum.
Filia tum validis genitricis onuſta querelis,
Triſtis, inops animi, nec valitura loqui;
Clauſa voce diu, vix fauce ſolubile fandi,
Pauca refert, cordis vulnere lingua grauis.
Maieſtas ſi celſa Dei mihi tempora * vellet * velit.
Nunc dare plus vitæ, non daret iſta viæ.
Vltima ſed quoniam ſors irreuocabilis inſtat,
Si iam, nemo vetat, qua trahit ira, ſequar.
Hæc extrema tamen loquar & memoranda dolori,
Hinc tua non tua ſunt, Goiſuintha vale.
Oſcula ſic rumpunt, & fixa ori ora repellunt,
Dum ſe non poſſunt, aera lambit amor.
Hinc pilente petens loca Gallica Geleſuintha
Stabat fixa oculis triſtis eunte rota.

E contra genitrix post natam lumina tendens,
Vno stante loco, pergit & ipsa simul.
Tota tremens, agiles raperet ne mula quadrigas,
Aut equus impatiens verteret axe rotas?
Sollicitis oculis circumuolitabat amantem,
Illuc mente sequens, qua via flectit iter.
Sæpe loquebatur quasi secum nata sederet,
Absentemque manu visa tenere sinu.
Prendere se credens, in ventum brachia iactat,
Nec natam recipit, sed vaga flabra ferit,
Inter tot comites vnam spectabat euntem,
Sola videbatur, qua suus ibat amor.
Plus genitrix suspensa animo, quam filia curru,
Hæc titubans votis ibat, & illa rotis.
Donec longe oculo, spacioque euanuit amplo,
Nec visum attingit, dum tegit vmbra diem.
Ipsa putat dubios natæ se cernere vultus,
Et cum forma fugit, dulcis imago redit.
O nomen pietate calens, ô cura fidelis,
Quamuis absenti quid nisi mater eras?
Fletibus ora rigans, lamentis sydera pulsans
Singula commemorans dulcia, dura, pia.
Mobilis, impatiens, metuens, flens, anxia, mater,
* Quid. * Quod sequeris lachrymis, augurat altus amor.
Illa tamen pergit, qua trita viam orbita sulcat,
Gelesuintę iter per Gallias. Quisque suis vacuos fletibus implet agros.
Inde Pyrenæas per nubes transilit Alpes
Quaque pruinosis Iulius alget aquis.
Qua niue canentes fugiunt ad sydera montes,
Atque super pluuias exit acutus apex.
Excipit hinc Narbo, qua littora plana remordens,
Mitis Atax Rhodani molliter intrat aquas.
Post aliquas vrbes, Pictauas attigit arces,
Regali pompa prætereundo viam.
S. Hilarius Inclitus ille quibus vere amplus Hilarius oris
Et satus, & situs est ore tonante loquax.
Thrax, Italus, Schyta, Persa, Indus, Geta, Daca, Britannus.
* generalia. Huius in eloquio spem bibit, arma capit.
* fundunt Sol radio, hic verbo* genitalia lumina* fudit,

Monti-

Montibus ille diem, mentibus iste fidem.
Hanc ego nempe nouus conspexi prætereuntem,
Molliter argenti turre rotante vehi.
Materno voluit pia quam Radegundis amore,
Cernere feruenter si daret vllus opem.
Sæpe tamen missis, dulcis sibi dulcis adhæsit,
Et placidè coluit, quod modo triste dolet.
Turonicas terras Martini ad sydera noti,
Inde petit, lento continuante gradu.
Vigennæ volucer transmittitur alueus alno,
Turba comis rapidis,* alueus exit aquis. *alacris.
Excipit inde repens vitrea Liger algidus vnda,
Quo neque vel piscem leuis arena tegit.
Peruenit, quâ se piscoso Sequana fluctu,
In mare fert, iuncto Rhotomagense sinu.
Iungitur ergo thoro regali culmine virgo,
Et magno meruit plebis amore coli.
Hos quoque muneribus, permulcens, vocibus illos,
Et licet ignotos sic facit esse suos.
Vtque fidelis ei sit gens armata per arma, Ritus inaugurandi data acceptaq; mutuo fide.
Iurat, iure suo se quoque lege ligat.
Regnabat placido componens tramite vitam,
Pauperibus tribuens aduena mater erat.
*Quoq; magis possit regno superesse perenni, *Quaque.
Catholicæ fidei conciliata placet. Eius in pauperes amor & ad fidem catholicã reditus.
O dolor, insignis quid differs tempora fletus,
Lugubresq; vices plura loquendo taces?
Improba sors hominum, improuiso condita lapsu,
Tot bona tam subito sorte volante voras.
Nam breue tempus habens,* consorti nexa iugalis, *consortia.
Principio vitæ funere rapta fuit.
Præcipiti casu volucri præuenta sub ictu, Gelesuinthæ interitus.
Deficit, & verso lumine lumen obit.
Infœlix nutrix audito funere alumnæ,
Exanimum ad corpus vix animata volat.
Ipsa inter famulas incumbens prima fidelis,
Hæc tandem potuit clausa dolore loqui.
Sic placidæ matri promisi pessima nutrix.
Te longe incolumem Gelesuintha fore.

Sic

Sic extincta meum mea cernunt lumina lumen,
Pallida ſic facies, qua robor ante fuit.
Dic aliquid miſerans miſeræ mihi redde loquellas,
Quid referam ad matrem ſi remeare licet?
* ſuper. Hoc * ſupra tantos peregrina ſecuta labores,
Pro vice tale mihi munus alumna refers?
Optabas pariter nobis vitam atque ſepulchra
Quæ tecum vixi, me ſine paſſa mori?
Ordo vtinam vitæ iuuenique ſenique fuiſſet.
Te ſtante incolumi me prius ire neci.
Vix paucas profert, vocem rapit alter ab ore
* gemi. Nec valet vna loqui quod videt aula * gemit.
* lacrymata. Interea vehitur triſti * lachrymoſa feretro,
Soluit & exequias obſequialis amor.
Ducitur, ornatur, deponitur, vndique fletur,
Conditur & tumulo ſic peregrina ſuo.
Naſcitur hic ſubito rerum mirabile ſignum,
Lychnus ſubuerſus mire ardere pergit. Dum pendens lychnus lucet ad obſequium,
Decidit in lapidem, nec vergit, & integer arſit.
Nec vitrum ſaxis, nec perit ignis aquis.
Fama recens reſides germanæ perculit aures,
Brunichildis cõſternatio audita morte ſororis. Affectuque pio ſic mouet ora ſoror.
Hanc rogo germanæ mandaſti chara ſalutem,
Scripta tuis digitis hoc mihi cartha refert.
Sollicitis oculis exſpectabam vnde venires,
Non agis illud iter, quale precata fui.
Optaui Gallis te vt huc Hiſpania ferret,
Non te hic cara ſoror, non ibi mater habet.
Extremo obſequio non huc Brunichildis adiui,
Si tibi nil viuæ mortis honora darem.
Cur peregrina tuos non clauſi dulcis ocellos?
Auribus aut auidis vltima verba bibi?
Officium triſti nihil impendi ipſa ſorori,
Membra, manus, faciem nec manus iſta tegit.
Non licuit fundi lachrymas, nec ab ore reſorbi
Frigida, nec tepido viſcera fonte lauo.
Nutritas pariter, iunctas regionibus Iſdem
Cur ad mortis iter diuidis alte dolor?
Sicque relicta ſoror caſu laceratur ademptæ

Hæc

Hæc vocat, illa iacet, nec repetita redit.
Germanæ validos audit Germania fletus
Quaque recurrit iter, queſtibus aſtra ferit.
Nomine ſæpe vocans te Geleſuintha ſororem;
Hoc fontes, ſyluæ, flumina, rura ſonant.
Geleſuintha taces, reſponde vt muta ſorori,
Reſpondent lapides, mons, nemus, vnda, polus.
Anxia, ſollicitans ipſas interrogat auras;
Sed de germanæ, cuncta ſalute ſilent.
Nuntius hic ſubito fluuios tranſcendit, & Alpes,
Mœroriſque grauis tam cito penna volat.
Optandum fuerat, poſtquam loca cuncta repleſſet,
Tardius ad matrem hic dolor iret iter.
Sed quod fama refert, qui plus amat, & prius audit,
Ac dubium credit, dante timore fidem.
Mox igitur matris iaculans dolor attigit aures,
Anxia ſucciſo poplite lapſa* fuit.
Audita de morte, vna mors altera pulſat,
Et pene incolumi corpore funus erat.
Pallida ſuffuſo tunc Goiſuintha rubore,
Molliter hæç anima vix redeunte, refert.
Siccine me tenero natæ ſolabar amore,
Vt mea nunc grauius viſcera vulnus aret?
Si noſtrum iam lumen obit, ſi nata receſſit,
Quid me ad has lachrymas inuida vita tenes?
Erraſti mors dura nimis cum tollere matrem
Funere debueris, ſors tibi nata fuit.
O vtinam merſis creuiſſent flumina ripis,
Naufraga ſeu fuſis terra nataſſet aquis.
Alta Pyrenæi tetigiſſent ſidera montes,
Aut vitrea glacie ſe ſolidaſſet iter.
Quando relaxaui te Geleſuintha ſub Arcto,
Vt nec rheda rotis, non equus iſſet aquis.
Hoc ergo illud erat, quod mens præſaga timebat,
Non poſſe amplexu vellere nata meo.
Paruimus votis alienis iuſſa ſequentes,
Promiſſa exiſti non reditura mihi.
Hoc erat altus amor placida dulcedine natæ,
Quod teneris labiis vbera preſſa dedi.

Matris dolor ad famam extinctæ Geleſuinthæ.
* ruit.

Hic ordo in Ms. ſcol.

Cur hinc lactis opem produxit vena mamillæ?
Cur alimenta dedi, nec habitura fui?
Sæpe soporantem furtiua per oscula suxi,
Vt leue dormires viscera supposui.
Optasse extremum de te quid profuit illud,
* gremiis. Luderet vt * gremio paruula neptis * aui.
* auis. Nec felix vota, aut infelix funera vidi,
Perdidit heu nimius hoc labor, illud amor.
Partitis lachrymis soror hinc, inde anxia mater,
Vocibus hæc Rhenum pulsat, & illa Tagum.
Condolet hinc Batauus, gemit illinc Bethicus axis,
Perstrepit hoc Vachalis, illud Hiberus aquis.
Tot lachrymis stillasse sat est, sed ab imbre vaporis
Non reuelanda sitim gutta ministrat opem.
Affectus si forte potest mitescere, dicam
Non ea flenda iacet, quæ loca læta tenet.
Dicite siquid ei nocuit, quam tempore lapso,
Mortis iter rapuit, vita perennis alit.
Quæ modo cum Stephano cœlesti consule pergit,
Fulget Apostolico principe clara Petro.
Matre simul Domini plaudens radiante Maria
Rege sub æterno militat illa Deo.
Conciliata placet, precioso funere fulget,
Deposita veteri nunc stola pulchra tegit.
Atque vtinam nobis illos accedere vultus
Cedat amore Deus per mare, per gladios.
Vitæ signa tenet, vitreo cum vase cadente
Non aqua restinxit, nec petra fregit humi.
Tu quoque mater habes consultum voce tonantis,
De nata & genero nepte, nepote, viro.
Credite Christicolæ viuam, quia credidit illa.
Non hanc flere decet, quam paradisus habet.

VIII.

De horto Vltrogothonis reginæ.

HIc ver purpureum viridantia gramina gignit,
Et paradisiacas spargit odore rosas.
Hic tener æstiuas defendit pampinus vmbras,
Præbet & vuiferis frondea tecta comis.

Pinxe-

Pinxeruntque locum variato germine flores,
Pomaque vestiuit candor, & inde rubor.
Mitior hic æstas, vbi molli blanda susurro
Aura leuis semper pendula mala quatit.
Hæc magno inseruit rex Childebertus amore, Childebertus amans rei hortensis.
Carius ista placent, quæ manus illa dedit.
De cultore trahit meslitum planta saporem,
Forsan & hic tacitos miscuit ille fauos.
Regis honore nouis duplicata est gratia pomis,
Nare suauis odor, dulcis in ore sapor
Qualiter ille hominum potuit prodesse saluti,
Cuius & in pomis tactus odore placet.
Felix perpetua generetur ab arbore fructus,
Vt de rege pio sit memor omnis homo.
Hinc iter eius erat, cum limina sancta petebat,
Quæ modo pro meritis incolit ille magis.
Antea nam vicibus loca sacra * petebat amatus. * terebat.
Nunc tamen assidue templa beata tenet.
Possideas felix hæc Vltrogotho per æuum
Cum geminis natis tertia mater ouans.

IX.

Ad Cantumblandum villam; de pomis dictum.* *poma.

VENIMVS ad Cantum fœlici tramite blandum,
Aredium lætor quo reperisse patrem.
Quod petit instigans auido gula nostra barathro,
Excipiunt oculos aurea poma meos.
Vndique concurrunt variato mala colore;
Credas vt pictas me tetigisse dapes.
Vix digitis tetigi, fauce hausi, dente rotaui,
Migrauitque alio præda citata loco.
Nam sapor ante placet, quam traxit naris odorem,
Sic vincente gula, naris honore caret.

X.

De Coco qui ipsam nauem tulerat, & iniuriam fecerat.

CVR mihi tam validas innectis cura querelas?
Heu mea vel tandem desere corda dolor,
Quid reuocas casus? iam me mea sarcina lassat,

Quod iactare puto, cur duplicatur onus?
Tristius erro nimis, patriis vagus exul ab oris,
Quam sit * Apolloniis naufragus hospes aquis.
Venimus vt Mettin, cocus illic regius instans,
Absenti nautas abstulit atque ratem.
De flammis ardente manu qui diripit escas,
Ille rati nescit parcere tutus aquis.
Corde niger, fumo pastus, fuligine tinctus,
Et cuius facies cacabus alter adest.
Cui sua sordentem pinxerunt arma colorem,
* Frixuriæ cucumę, scafa, patella, tripes.
Indignus versu, potius carbone notetur,
Et piceum referat turpis imago virum.
Res indigna nimis, grauis est iniuria facti,
Plus iuscella coci, quam mea iura valent.
Nec tantum codex, quantum se cacabus effert,
Vt mea nec mihi sit participata * ratis.
Sed tamen auxilium solito porrexit amore,
Qui domini pascens Villicus auget oues.
Præstitit, & gracili * pauidus cum lintre cucurrit,
Imbre, euro, fluuio, sed madefactus ego.
Iactaui reliquos, sequerentur vt inde pedestres,
Nam si nemo foris, nemo nec intus erat.
Mergere mox habuit cunctos rapiente periclo,
Naufragij testis nemo superstes erat.
Sic vicinus eram postquam iactauimus omnes,
Ictibus vt crebris lamberet vnda pedes.
Obsequium dixi, remoue, modo nolo lauari,
Sed tamen instabat * lympha rigare pedes.
*Nauciacum veniens refero mea tristia regi,
Risit & ore pio iussit adesse ratem.
Quærunt, nec poterant aliquam reperire carinam,
Donec cuncta cohors regia fluxit aquis.
Restitit hic solus præstans solatia Gogo,
Quod tribuit cunctis, non negat ille suis.
Dulcius alloquitur comitem qui Pappulus * adstat,
Vt quamcunque mihi redderet ipse ratem;
Omnia perlustrans vidit sub littore lintrem,
Nec tamen hic poterat sarcina nostra capi.

* Apollonius.
Coci periphrasis.
* Frixuræ.
* rates.
Villicus, Metensiũ episcopus.
*placidus.
*vnda.
* Nantiacum, & Nauriacũ.
* extat.

*Nauita cum interea fecit me stare parumper, * Nauriacum.
Ordinat & sumptus, quos locus ipse dedit.
Quamuis parua ferat, satis est, sibi sola voluntas,
Est nec parua quidem, quam dat amator opem.
Addidit & Comes mihi pocula, gratus amicus,
In quantum poterat rura parare merum.
Sic mihi iucundam direxti Pappule proram;
Felix viue, vale dulcis amice, * comes. * Comis.

XI.

Ad Dynamium Massiliensem.

EXPECTO te, noster amor, venerande Dynami,
Quamuis absentem, quam mea cura videt.
Quæ loca te teneant, venientia flabra requiro,
Si fugias oculos, non fugis hinc animos.
Massiliæ tibi regna placent, Germania nobis;
Vulsus ab aspectu pectore iunctus ades.
Quo sine te tua pars hucusque oblita remansit,
Nec reuocas animo membra relicta tuo?
Si sopor obrepsit, tibi me vel somnia narrent,
Nam solet vnanimes ipsa videre quies.
Si vigilas, fateor, veniam tibi culpa negabit,
Nil vnde excuses desidiosus, habes.
Altera signiferi reuolutis mensibus anni
Solis anhelantes orbita lassat equos.
Cum mea discedens rapuisti lumina tecum.
Et modo nil sine te cerno patente die.
Vel mihi verba dares, de fonte refusa loquaci,
Vt faceret tecum pagina missa loqui.
Sed tamen vt tandem venias huc, charius hortor,
Et reuoces oculis lumen amice meis.

XII.

Ad * *Dynamium.* * Ad eundem.

TEMPORA præcipiti quos inuidistis amori,
Officium voti quæ vetuistis agi.
Per Lyricos modulos, & fila loquacia plectris,
Qua cytharis Erato dulce relidit ebur.
Ecce vaporiferum sitiens canis exerit astrum,

Et per hiulcatos feruor anhelat agros.
Hinc metuens saniem, ne quo iacularer ab igne,
Sanguine laxato brachia nexa gero.
Labitur inde cruor, nodo manus inde tenetur,
Et dextram innocuam vena soluta ligat.
Vt sine temperie validis sitis vrat amoris,
Causa meis votis obstitit ista grauis.
Nescio quam prosit ratio perfuncta medelæ,
Me tamen inde nocet, quod reticere facit.
Scribere si digitis sinerer, satis illa fuisset,
Nunc mihi prima tui cura, secunda mei.
Ex studio studiis retrahor, silet vnda camænæ;
Carne fluit sanies, ne riget ore latex.
Musicus ignis abest, algent in fonte sorores,
Nam sanguis latices hinc gelat, vnde rigat,
Si qua calens animo recitanda poemata pangam,
Scis ipse hoc studio quam grauet arte labor.
Nam cruor ablatus magis ocia lenta requirit,
Quo neque frigus hiat, nec vapor vstus * eat.
Secretumque petit, ne flabilis aura flagellet,
Quo recreans animum, stat viror, halat odor,
Ast ego post habeo affectu mea seria vestro,
Cura tui faciem, nam mea terga * tenent.
Post sudorem habui modo nam dare membra quieti,
Ordine postposito tempora rumpit amor.
Dico parum, propriam tibi dum volo ferre salutem,
Sed mea prospicio, cum tua vota colo.
Nunc cape parua care, & pollens clue * clance Dynami,
Clare decore tuo, chare fauore meo.
Partibus Italiæ aduecto mihi Rhenus, & Ister,
Quem cecinere prius, quam daret ipse locus.
Insignem specie, celsum lare, lege sagacem,
Omnibus æqualem spe, sale, pace, fide.
Incidit vnde mihi fateor te sorte videndi,
Arctoi gelida sub regione calor.
Plusque libens vultus efferueo totus in illos,
Ad patriæ reditus quam peregrina cohors.
Visibus atque tuis issem velocius, ac si
Ad patris amplexus de Thelamone satus.

Misso sanguine, venam item poëticam sibi queritur obtundi.

* vrat.

* tenet.

* claue lance dic clāce.

Vix quo-

Vix quoque tam cupidus vario sinu amine sulcat
 Rusticus arte solum, nauita plustre fretum.
Ex illo celebrande cliens stat pars mea tecum;
 Et venis huc animæ pars mediata meæ.
Antea corde mihi, notus, quam lumine visus,
 Quem mente adstringo, sineq; tango manu.
Brachia qui nec dum circum tua colla cateno,
 Quod digiti nequeunt, alligat illud amor.
Longius inde absens, ibi sed pertingo quod opto,
 Quo pede non venio, pectore totus eo.
Nos licet obstet Arar, Rhodanusque natamus amore,
 Nec vetat ire animum, qui vetat ire gradum.
Legi etiam missos alieno nomine versus,
 Quo quasi per speculum reddit imago virum.
Fonte Camœnali quadrato spargeris orbi,
 Ad loca qua nescis, duceris oris aquis.
Hinc quoque non aliquo nobis abolende recedis,
 Quo fixus scriptis nosceris esse tuis.
Interiora mei penetrans possessor agelli,
 Felix perpetuo dulcis amice vale.
Spectans oris opem, melioraque syderis optans,
 Currat vt affectus, stet tibi longa salus.
Sacris Theodori primo lare sedis aplaudo,
 Felici egregio quem dedit orbis honor.
Albino eximio, Heliæ, claroque Iouino,
 Pro Fortunato redde salutis opus.
Hæc tibi Elisi modulatus simplice cantu
 Sed tonat * architypho barbitos inde Soph.

* arcitipho.

VENAN-



VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER SEPTIMVS.

I.

Ad Gogonem.



RPHEVS orditas moueret dum pollice chordas,
Verbaque percusso pectine fila darent.
Mox resonante lyra tetigit dulcedine syluas,
Ad citharæ cantus traxit amore feras.
Vndique miserunt vacuata cubilia damas,
Deposita rabie tygris & * ipsa venit.
Sollicitante melo nimio philomela volatu,
Pignora contemnens fessa cucurrit auis.
Sed quamuis longo spacio lassauerat alas,
Ad votum veniens se recreauit auis.
Sic stimulante tua captus dulcedine Gogo,
Longa peregrinus regna viator adit.
Vndique festini veniant, vt promptius omnes
Sic tua lingua trahit, sicut & ille lyra.
Ipse fatigatus huc postquam venerit exul,
Antea quo doluit te medicante caret.
Eruis afflictis gemitus, & gaudia plantas,
Ne tamen arescant oris ab imbre foues.
Ædificas sermone fauos, noua mella ministras,
Dulcis & eloquij nectare vincis apes.
Vbere fonte rigat labiorum gratia pollens,
Cuius ab arcano vox epulanda fluit.

* ipse.

In hospites munificus & peregrinos.

Facundiæ gloria pollet.

Perui-

Peruigili ſenſu diues prudentia regnat
  Fomite condito cui ſalis vnda natat.
Qui fulgore animi radios à pectore vibras,
  Et micat interior lux imitata diem.
Sed vicibus, mundum modo ſol, modo nubila complent,
  At tua ſemper habent corda ſerena diem.
Viſceribus promptis templum pietatis haberis,
  Muneribusque ſacris es fabricata domus.
Forma venuſta tibi proprio ſplendore coruſcat,
  Vt mentis habitum vultus & ipſe probet.
Omne genus laudum ſpecie concludis in vna,
  Nec plus eſt aliquid, quam tua forma gerit.
Principis arbitrio Sigeberti magnus haberis,
  Iudicium regis fallere nemo poteſt.
Elegit ſapiens ſapientem, & amator amantem,
  Ac veluti flores docta ſequeſtrat apes.
Illius ex merito didiciſti talis haberi;
  Et domini mores, ſerue benigne, refers.
Nuper ab Hiſpanis per multa pericula terris
  Egregio regi gaudia ſumma vehis.
Diligis hunc tantum, quantum meliora paraſti,
  Nemo armis potuit, quod tua lingua dedit.
Hæc bona ſi taceam, te noſtra ſilentia laudant
  Nec voces ſpectes qui mea corda tenes.
Vera fauendo cano, neque me fallacia damnat,
  Teſte loquor populo, crimine liber ero.
Hæc tibi longinquos laus ardua ſurgat in annos,
  Hæc te vita diu ſeruet, & illa colat.

Formæ præſtãtia.

II.

Ad eundem, cum rogaretur ad cœnam.

NECTAR, vina, cibus, veſtis, doctrina, facultas,
  Muneribus largis, tu mihi Gogo ſat es.
Tu refluus Cicero, tu noſter Apicius extas
  Hinc ſatias verbis, paſcis & inde cibis.
Sed modo da veniam, * bubula turgente quieſco,
  Nam fit lis vteri, ſi caro mixta fremat.
Hic vbi bos recubat, fugiet puto pullus, & anſer,

*bubla.

Cornibus & pennis non furor æquus erit.
Et modo iam somno languentia lumina claudo,
Nam dormire meum carmina læta probant.

III.

Item ad eundem.

QVAS mihi porrexit modo pagina missa querellas,
Immunem culpæ me loquor esse tuæ.
[* caussaremus.] Nam causam * remur, tua plus præsentia læsit
Quo vos peccastis crimine, culpor ego.
Non tamen ex tali titulo dulcedo peribit,
Fructus amicitiæ corde colente manet.

IV.

Ad eundem.

[* rota.] NVBILA quæ, rapido perflante Aquilone, venitis,
Pendula sydereo quæ mouet axe *rotam.
[* salute.] Dicite qua vegetet charus mihi Gogo * salutem,
Quid placidis rebus mente serenus agat.
Si prope fluctiuagi remoratur littora Rheni,
[* hinc retrahatur.] Vt salmonis adeps * rete trahatur aquis.
Aut super vuiferæ Musellæ obambulat amnem,
[* quo.] * Quod leuis ardentem temperet aura diem.
Pampinus & fluuius, medius vbi mitigat æstus,
Vitibus vmbra rigens, fluctibus vnda recens.
[* dulcisonans.] Aut Mosa dulce * sonans quo grus ganta, anser, olorque est
Triplice merce ferax, alite, pisce, rate.
An tenet herbosis qua frangitur Axona ripis,
Cuius aluntur aquis pascua, prata, seges;
[* Esara.] *Isara, Sara, Chares, Schaldis, * Saba, Somena, Sura,
[* Sate.] Seu qui *Mettin adit de sale* nomen habens?
[* Mettis.]
[* Salia.] Aut æstiua magis nemorum, saltusque pererrans,
Cuspide, rete feras, hinc ligat, inde necat?
[* Ardenna an Vosagus] * Ardennæ an Vosagi, cerui, capræ, Helicis vrsi
Cæde sagittifera sylua fragore ronat?
Seu validi bufali ferit inter cornua campum,
Nec mortem differt vrsus, onager, aper?
An sua rura colens, exusta noualia sulcat,
Et rude ceruici taurus aratra gemit?

Siue

Sine palatina residet modo lætus in aula,
Cui schola congrediens plaudit amore sequax?
An cum dulce Lupo pietatis iura retractat,
Consilioque pari mitia mella creant?
Quo pascatur inops, viduæ solatia præstent,
Paruus tutorem sumat, egenus opem.
Quicquid agunt pariter, fœlicia vota secundent;
Et valeant Christi regis amore frui.
Vos precor, ô venti qui curritis, atque reditis,
Pro Fortunato nuncia ferte suo.

V.

De Bodegisilo duce.

PECTORE de sterili, si flumina larga rigarem,
Non te sufficerem dux Bodegisle loqui.
Inuasit nostram subito tua gratia mentem,
Vt modo plus vester, quam meus esse velim.
Quo primum placidos merui cognoscere vultus,
Oris ab vnguento membra refecta gero.
Colloquio dulci satiasti pectus amantis,
Nam mihi deuoto dant tua verba cibum.
Distribuunt epulas, alij, quæ corpora supplent,
Vnde animum saties, das magis ipse dapes.
Non sic inficiunt placidissima mella falernum,
Ceu tuus obdulcat pectora nostra sapor.
Qualiter oblectas, quos semper amare videris,
Horæ qui spacio me facis esse tuum.
Quæ tibi sit virtus, si possem, prodere vellem,
Sed paruo ingenio magna referre vetor.
Exiguus titubo tantarum pondere laudum,
Sed melius gradior, quem tua facta regunt,
Massiliæ ductor, fœlicia vota dedisti, Boni magistratus officia.
Rectoremque suum laude perenne refert.
Hic tibi consimili merito Germania plaudit,
Cuius ad laudem certat vterque locus.
De bonitate tua lis est regionis vtræque
Te petit illa sibi, hæc retinere cupit.
Iustitiam pauper nunquam, te iudice, perdit,
Nec poterit precio vertere vera potens.

Non ligat immunem, non soluit pœna nocentem,
Nil persona capit, si sua causa neget.
Lumina cordis habes, animi radiante lucerna,
Et tuus æterna luce coruscat apex.
Ingenio torrente loquax de fonte salubri,
Diuitiasque pias ore fluente rigas.
Si videas aliquem defectum forte labore,
Nilus vt Ægyptum, sic tua lingua fouet.
Qui patrias leges, intra tua pectora condens,
Implicitæ causæ soluere fila potes.
Assiduis epulis saturas venerande cateruas
Et repletus abit, qui tua tecta petit.
Si venis in campos ibi plebs pascenda recurrit,
Consequiturque suas, te comitando, dapes.
Vota feras cunctis per sæcula longa superstes;
Et maneas populi semper in ore potens.

VI.

*De Palatina filia *Gallimagni vxore Godegisili ducis.*

* Gallo-magni.
*æthera.

LVCIFER vt nitidos producit in * æthere vultus,
Clarior & læto nuntiat ore diem,
Ornat eundo polum, terris quoque * lampada mittit, — * lampade micat.
Atq; inter stellas, lumine regna tenet,
Sic tua diffundens radiantia lumina vultu,
Fœmineos vincis pulchrior ore choros.
* Et tibi sic cedit muliebris turba decore, — * Aut.
Vt solis radiis lumine luna minor.
Clara serenatos permutat forma colores.
Lilia nunc reparans, nunc verecunda rosas.
Credite, nam si quis vultus conspexerit illos,
Hic relegit flores, quos dare verna solent.
Pingere non possunt, preciosam verba figuram,
Nec valet eloquium mira referre meum.
Gratior incessu, sensu reuerenda pudico,
Talis in ingenio, qualis in ore nitor.
Blandior alloquio placidis suauissima verbis,
Despiciamque lyram, si tua lingua sonat.
Pectore perspicuo sapientia prouida fulget,
Ornatur sexus te radiante tuus.

Coniu-

Coniuge peruigili nituit magis aula mariti,
Floret & egregia dispositrice domus.
Iure quidem magna est, quæ est Galli filia magni,
Sed merito natæ creuit honore pater.
Non aliter poterat nisi munere clarior esse,
Quæ meruit celso digna placere viro.
Eligit è multis quam charus amaret amantem,
Et iudex patriæ iudicat ipse sibi.
Ambo pares iuncti longos maneatis in annos,
Et quæcunque volunt gaudia vestra, ferant.

VII.

De Lupo duce.

ANTIQVI proceres, & nomina celsa priorum
Cedant cuncta, Lupi munere victa ducis.
Scipio quod sapiens, Cato quod maturus * habebat *agebat.
Pompeius felix, omnia solus habes.
Illis consulibus, Romana potentia fulsit;
Te duce, sed nobis hic modo Roma redit.
Te tribuente aditum, cunctis fiducia surgit, Ducis facundi dotes.
Libertatis opem, libera lingua dedit.
Mœstitiam si quis confuso in pectore gessit,
Postquam te vidit, spe meliore manet.
Fundatus grauitate, animi, quoque corde profundus,
Tranquilli pelagi fundis ab ore salem.
Sed facunda magis plebi tua munera prosunt,
Tu condis sensus; nam salis vnda cibos.
Consilij radix, fœcundi vena saporis,
Ingenio viuax, ore rotante loquax.
Qui geminis rebus fulges, in vtroque paratus,
Quicquid corde capis, prodere lingua potest.
Pectore sub cuius firmantur pondera regis,
Pollet & auxilio publica cura tuo.
Subdis amore nouo tua membra laboribus amplis,
Pro requie regis, dulce putatur onus.
O fœlix animus patriæ qui consulit actus,
Et viuit cunctis mens generosa viris.
Legati adueniunt, te respondente, ligantur.
Et iaculo verbi mox iacuere tui.

Lancea sermo fuit, quoque vox armata loquentis,
Auspicium palmæ te Sigebertus habet.
Responsum gentis sensu profertur ab illo,
Et votum populi vox valet vna loqui.
Cuius ab ingenio sortita est causa triumphum;
Assertoris ope, iustior illa fuit.
Nullus enim poterit proprias ita pandere causas,
Ceu tua pro cunctis inclyta lingua tonat.
Nylus vt Ægyptum recreat, dum plenus inundat,
Sic tu colloquij flumina cuncta foues.
Iustitia florente, fauent te iudice leges;
Causarumque æquo pondere libra manes.
Autoritatis gratia. Ad te confugiunt, te cingula celsa requirunt,
Nec petis vt habeas, te petit omnis honor.
In cuius gremio nutritur adepta potestas,
Quo rectore datus crescere nouit apex.
Quam merito retinet concessos semper honores,
Per quem digna magis culmina culmen habent.
Antiquos animos Romanæ stirpis adeptus,
Bella moues armis, iura quiete regis.
Fultus vtrisque bonis, hinc armis, legibus illinc,
Quam bene fit primus, cui fauet omne decus.
Quæ tibi sit virtus cum prosperitate superna,
*Rhodani Saxonis & * Dani gens cito victa probat.
* Borda à quo. *Bordaa qua fluuius sinuoso gurgite currit,
Hic aduersa acies te duce cæsa ruit.
Dimidium vestris iussis tunc paruit agmen,
Militiæ decus. Quam merito vincit, qui tua iussa facit.
* sudas sub. Ferratæ tunicæ * sudasti pondere victor,
Et sub puluerea nube coruscus eras.
Tamque diu pugnas acie fugiente secutus,
Laugona dum vitreis terminus esset aquis.
Qui fugiebat iners amnis dedit ille sepulchrum,
Pro duce fœlici flumina bella gerunt.
Inter conciues meruit te Gallia lumen,
Lampade qui cordis splendor vbique micas.
Sunt quos forma potens, sunt quos sapientia præfert,
Singula sunt aliis, sed bona plura tibi.
* cōplens. Occurrens dominis veneranda palatia * comples,

Et te cum

Et tecum ingrediens multiplicatur honor.
Te veniente nouo domus emicat alma sereno,
Et reparant genium regia tecta suum;
Nempe oculos recipit, cum te videt aula redire,
Quem commune ducum lumina lumen habent.
Principis auxilium, patriæ decus, arma parentum
Consultum reliquis, omnibus vnus amor.
Admiranda etiam quid de dulcedine dicam?
Nectare qui plenus construis ore fauos.
Chara serenatum comitatur gratia vultum,
Fulget & interius perpetuata dies.
Qui satias escis, reficis sermone benignus,
Sepositis epulis, sunt tua verba dapes.
Quis tibi digna loqui valeat, quam voce * patente
Rex pius ornatum prædicat esse suum?
Sit tibi summus apex illo regnante per æuum,
Vitaque sit præsens, atque futura colat.

* potente?

VIII.

Ad eundem.

Ab æstuātis cœli effectis vim amoris erga Lupum sui declarat.

AESTIFER ignitas cum Iulius vrit arenas,
Siccaque puluereo margine terra sitit.
Languidior placidas vix pampinus explicat vmbras,
Mollior & glaucas contrahit herba comas.
Summissis folijs Phœbi regnante vapore,
Vix sua defendit frigida tecta nemus.
Pabula fastidiens fugit æstu bucula saltus,
Ipse nec afflictis pascitur herbis, equus.
Longius expositam linguam canis ore flagellat,
Ilia lassa trahens, tristis anhelat ouis.
Forte viator iter, gradiens feruentibus horis
Vritur accensis sole premente comis.
Qui arescente solo modico recreetur vt haustu,
Sæpius irriguas anxius optat aquas.
Arboris aut tremulæ viridante cacumine fuso,
Frondibus oppositis temperat vmbra sitim.
Prosperitate noua si iam prope lucus opacet,
Et vitrei fontis sibilet vnda recens,
Huc properans placidis homo lætus sternitur aruis,

Voluit

Voluit in herbosos & sua membra thoros.

*secuta. Vota * secunda tenens gemino refouetur amœno,
Hinc leuat vmbra diem, hinc fugat vnda sitim.
Carmina si qua tenet cantu modulante, recurrit
Prouocat & placidos blandior aura sonos.
Si sibi forte fuit bene notus Homerus Athenis:
Aut Maro Traiano lectus in vrbe foro.
Vel si Dauidico didicit sacra dogmata plectro,
Psallit honorificum, fauce rotante, melum.
Tangitur aut digito lyra, tibia, fistula, canna,
Quisque suis Musis carmine mulcet aues.
Sic ego curarum valido defessus ab æstu,
Noscens te saluum fonte refectus agor.
O nomen mihi dulce Lupi, replicabile semper,
Quodque mei scriptum pagina cordis habet.
Quem semel inclusum tabulis dulcedinis intus,
Non abolenda virum pectoris arca tenet.
Thesauros pietatis habens pretiosa voluntas.
Producens animo pura talenta suo.
Diuitias quas mundus habet, mens aurea vincit,
Gemmarumque decus corde micante refert.
Sensus aromaticus suaues diffundit odores,
Hoc tribuens animæ, quod bene thura solent.
Melle saporatum refluens à pectore verbum,
Et sale conditum reddis ab ore sophum.
Post tenebras noctis stellarum lumina subdens,
Lucifer vt radiis sic mihi mente nites.
Vt recreat mundum veniens lux solis ab ortu,
Illustrant animum sic tua verba meum.
Cum peregrina meos tenuit Germania visus,
Tu pater & patriæ consuliturus eras.
Quando merebar ouans placidos intendere vultus,
Mox geminata mihi fulsit in orbe dies.
Conserui quoties vestro sermone loquelas,
Credidi in Ambrosiis me recubare rosis.
Omnibus vna manens sed plus tua gratia nobis,
Vinxit in affectu, me properante suo.
Nunc quoque pro magnis quis digna rependat honoris?
Materia vincor, est quia lingua minor.

Sicque

Sicque per aſcenſum culmen ſupereminet altum,
Hinc meus vrget amor, hinc tuus obſtat honor.
Sed pro me reliqui laudes tibi reddere certent
Et qua quiſque valet te prece, voce, ſonet.
Romanuſque lyra, plaudat tibi Barbarus harpa
Græcus Achilliaca, Chrotta Britanna canat.
Illi te fortem referant, hi iure potentem,
Ille armis agilem, prædicet iſte libris.
Et quia rite regis, quod pax eſt bella requirunt,
Iudicis ille decus concinat, iſte ducis.
Nos tibi verſiculos, dent barbara carmina * leudos, * liedos.
Sic variante tropo laus ſonet vna viro.
Hi celebrem memorent, illi te lege ſagacem,
Aſt ego te dulcem ſemper habebo, Lupe.

IX.

Ad Lupum ducem.

OFFICIIS intente piis memorator amantis,
Prompte per affectum conſulitore tuum.
Charius abſentis nimium miſeratus amici,
Quando latente loco ſigna requirit amor.
Vnde meis meritis datur hoc, vt protinus eſſet
Spes Fortunati cura benigna Lupi?
Exul ab Italia nono puto voluor in anno:
Littoris Occeani contiguante ſalo.
Tempora tot fugiunt, & adhuc per ſcripta parentum,
Nullus ab excluſis me recreauit apex.
Quod pater, ac genitrix, frater, ſoror, ordo nepotum,
Quod poterat regio, ſoluis amore pio.
Pagina blanda tuo ſub nomine miſſa benigno,
Nectarei fontis me * recreauit aquis. * renouauit.
Nec ſolum à vobis me dulcis epiſtola fouit,
Miſſus adhuc in rem portitor inde venit.
Munera quis poterit rogo tot memor ore referre?
Affectum dulcem pandere lingua nequit.
Sed tibi reſtituat rex cuncta ſupernus ab alto,
Quæ minimo fiunt, qui docet eſſe ſuum.

X.

Ad Magnulfum fratrem Lupi.

QVAM cito fama volat pernicibus excita pennis,
Et loca cuncta suis actibus aucta replet?
Nam tibi cum Rhenus, mihi sit Liger, ecce propinquus,
Hic Magnulfe decens magnus honore places.
Sic tuba præconis Sigimundi missa cucurrit,
Vt tua diffuso sint bona nota loco.
Quod tamen in breuibus vix signat epistola verbis,
Non quia cuncta canit, nec reticere cupit.
Iuridico imprimis pollens torrente relatu,
Sic regis, vt reuoces facta vetusta nouus.
Cuius in officiis æqui cultoris aratrum
Semine iustitiæ plebs sua vota metit.
Nemo caret propriis, alienis nemo recumbit,
Sic facis vt populum non vacet esse reum.
Sollicitudo tua reliquis fert dona salutis,
Et labor vnius, fit populosa quies.
Æqualis concors vt ab omnibus alme voceris,
Legibus hinc iudex, hinc bonitate parens.
Da paucis veniam, quoniam mihi portitor instat,
Nam de fratre Lupi res monet ampla loqui.
Sic tribuat dominus meritis reparetis vt illum,
Quem pariter tecum cordis amore colo.

XI.

Ad Iouinum rectorem Prouinciæ.

PROSAICO quoties direxi scripta relatu,
Nullaque de vestro pocula fonte bibo.
Quem prius irrigua recrearas ditior vnda,
Nec modo Castaliis redditur haustus aquis.
Si me cura minor vestri tenuisset amoris,
Iam fuerat lucrum, stringere colla manu.
Nunc magis, inde minus capio, quia diligo maius
Et cum plus cupiam, vota *negata gero. *nugata.
Qui tibi transfudit mea pectora pectore tuto,
Cur rogo non pariter lumina lumen habens.

Vel

Vel quod amice licet ſcriptis fero chare ſalutem,
Sed mihi qua releuer pagina reddat opem.

XII.

Ad eundem.

TEMPORA lapſa volant, fugitiuis fallimur horis, Mortalitatis admonitu inuitat ad amandum & reſcribendum.
Ducit & in ſenium lubrica vita viros.
Fine trahit celeri ſine fune volubilis axis,
Nec retinet rapidas ad ſua frena rotas.
Cuncta mouens ſecum momenta & pondera rerum,
Donec meta auidos ſiſtere cogat equos.
Sic quoque diſſimiles ad finem tendimus omnes.
Nemo pedem retrahit, quo ſibi limes erit.
Imperiale caput regnum trahit, atq; ſenatum,
Nec ſpectante die, cum venit hora rapit.
Quid ſunt arma viris? cadit Hector & vltor Achilles,
* Aiax in Clypeo murus Achæus obit. * Aiacis clypeo.
Quid ſatis eſt cupido gremio quod condit auaro?
Deliciis ſoluis, Attalus auctus abeſt.
Quis non verſutus recubet, dum fine ſupremo
De Palamede potens ars in Vlyxe perit.
Forma venuſta fluit, cecidit pulcherrimus* Aſtur * aſtris.
Occubat Hippolytus, nec ſuperextat Adon.
Non agiles fugiunt, quo terminus inſtat eundum,
Nam cum fratre celer ſorte Quirinus abit.
Quid rogo cantus agit? modulis blanditus acutis
Orpheus, & cytharæ vox animata iacet.
Docta receſſuris quid prodeſt lingua ſophiſtis,
Qui voluere loqui curua, rotunda poli?
Archita, Pythagoras, Aratus, Cato, Plato, Cryſippus,
Turba Cleantharum ſtulta fauilla cubat,
Quidue * poëta poteſt Maro, * Lyſa, Menander, Homerus, * poëma. * Lyſa Mss. an Lyſis? Naſo Georg. F.
Quorum nuda, tabo membra ſepulchra tegunt?
Cum venit extremum, neque Muſis carmina proſunt
Nec iuuat eloquio detinuiſſe melos:
Sic dum puncta cadunt, fugiunt præſentia rerum,
Et vitæ tabulam teſſera rapta leuat.
Eſt tamen vna ſalus, pia, maxima, dulcis, & ampla
Perpetuo trino poſſe placere Deo.
Hoc valet, atque viget, manet, & neque fine peribit,

Hinc quoque post tumulum nascitur almus honor.
Quod superest habitu meritorum flore beato,
* fragat. Suauis iustorum * flagrat odor tumulo.
Gratius, aura fluens quam spiret aroma Sabæum,
Vincens quæ pinguis balsama sylua reflat.
* calta. Cinnama,* caltha,crocus,violæ,rosa,lilia,cedunt,
Vt similis nullus nare bibatur odor.
* Quis. * Quid? quod morte magis virtus generatur in illis,
Dumque sepulchra tenent languida membra fouent.
Multorum dubiam solidant pia funera vitam,
Et redit ex tumulo viuificatus homo.
Nobilis vrna tegit preciosa talenta tonantis,
Ac terris recubat quod super astra volat.
Qui sub amore Dei sacro moderamine viuens,
Fit peregrinus humi,ciuis,eundo, poli.
Denique post illos qui fundamenta coruscant,
Postque Petri ac Pauli limina prima fide.
Quis numerus radiet sanctorum sparsus in orbe
Quanta columnarum gratia fusa viget?
Per loca,per populos mundo sua sydera præsunt,
Quicquid ab Oceanis circulus ambit aquis.
Arctos,meridies,oriens,occasus honorat,
* limina. * Lumina muneribus clarificata suis.
De reliquo nihil est quodcunque videtur in orbe,
Nam tumor hic totus,fumus & vmbra sumus.
Cur igitur metu trahitur data vita susurro,
Nec Fortunato pauca Iouine refers?
Tempora lapsa vides,neque longa silentia rumpis,
Me quoque ne recrees ad mea damna taces.
Non ita rebar ouans,post quam Germania nostros,
Contulerat visus,vt resiliret amor.
Credideram potius quantum se tenderet ætas,
Vt vestri affectus se duplicaret opus.
Heu magis vt video,vota in contraria currunt,
Temporalongantur,sed breuiatur amor.
An quantum ex oculo,tantum tibi corde recedo?
Et tam longe animo,quam sumus ambo loco?
Non ego sic refero,quoniam tibi pectore nector,
* fouet. Prædicat hoc aliter,mens vbi dulce * sonat.

Nam

Nam cui chara fides animum sociauit amice,
Quod minus est oculis flagrat amore magis.
Et licet absentem paries, locus, aula retentet,
Corde suo illic est, est vbi forma placens.
Prospicit affectu, quem vultu non videt ipso,
Et vox longinqua de regione sonat.
Quid gerit, aut vbi, sit tacito dare verba videtur.
Intra se loquitur pectore clausus amor.
Si volat aura leuis, putat inde venire salutes,
Hoc fragor aure refert, quod homo mente gerit.
Hinc tuus ergo cliens ego, chare, colende, requiro,
Absentem faciunt quem loca, non animus.
Qui semper nostro memoraris haberis, in ore,
Scribimus & hæc dum, non sine te loquimur.
Affectu, studio, voto, tua brachia cingo;
Atque per amplexum pectora colla ligo.
Ingrederis mecum pariterque moueris amator,
Et quasi blanda loquens, oscula libo labris.
Ante oculos habeo, sed chara refugit imago,
Hic quoque quem habeo non retinere queo.
Alternis vicibus modo vadis & inde recurris,
Vix fugis ex oculis, ecce figura redis.
Et cum terga dabis, facies mihi cernitur insons,
Si pede conuersus, fronte regressus ades.
Sæpe etiam videor dare te pia dicta relatu,
Illic forte taces, hic mihi verba refers.
Hoc de te minus est, quia prendi non potes absens;
Nam velut illic es totus, & hic meus es.
Qualiter ambo simul paucis habitauimus horis,
Non fugit ex oculis, dum manet ista dies.
Misimus ô quoties timidis epigrammata chartis,
Et tua, ne recreer, pagina muta silet.
Quis rogo reddat eas taciti, quas perdimus horas?
Tempora non reuocat lux leuis, atque fugax.
Dic homo note meus? quid agis? quid amice recurris?
Si tua rura colis, cur mea vota neges?
Scribe vacans animo, refer alta poemata versu,
Et quasi ruris agrum me cole voce, melo.
Per thoraca meum ducas precor oris aratrum;

Amoris honesti imago.

Vt linguæ ſulcus ſint ſata noſtra tuæ,
Pectoris vnde ſeges grauidis animetur ariſtis,
Pullulet & noſtro farre nouale ferax.
Nam mihi ſi loqueris, bone vir, pietatis opime
Exuperas labiis dulcia mella fauis.
Pluſque liquore placet, quam fert oleagina ſucco.
Suauius & recreat, quam quod aroma reflat.
Cum Aſpaſio pariter caris patre, fratre, Leone
Longa ſtante die dulcis amice vale.

XIII.

Ad Felicem ſocerum eius.

ARDVA Pierio cui conſtant culmina faſtu,
Vix humili valeo tangere clauſtra manu.
Sed quoniam patriæ fuit aula ſodalibus vna,
Affectu fidens pulſo benigne fores.

XIV.

De Mummuleno.

DVM mihi feſſus iter gradior prope noctis in vmbra,
Solis in occaſu iam fugiente die.
Cum ſuper vndarum viridantes gramine ripas
Paſcua conſpexi, paſtus & ipſe fui.
Huc oculis captus, voto ducente, trahebar,
Deflectenſque viam, proſperiora peto.
Mummolenus enim qui celſa palatia regis
Altis conſiliis creſcere rite facit,
Inter conciues merito qui clarior extat,
Quemque ſuper proceres vnica palma leuat.
Nobilitate potens, animo bonus, ore ſerenus,
Ingenio ſolers, & probitate ſagax.
Cui genus à proauis radianti luce coruſcat,
Moribus ipſe tamen vicit honore patres.
Huc ergo adueniens epulis expletus opimis,
Quem vidiſſe, mihi conſtitit eſſe cibum.
Menſa nō temperantes habita in fructibus.
Fercula magna quidem dapibus cumulata benignis,
Ac ſi colle tumens, diſcus onuſtus erat.
Vndique montis opus medium quaſi vallis habebat,
Quo meliore via piſcis agebat iter.

Ille na-

Ille natans oleum pro vndis, pro cespite discum
Incoluit, cui pro gurgite mensa fuit.
Attamen ante aliud data sunt mihi mitia poma,
Persica, quæ vulgi nomine, dicta sonant.
Lassauit dando, sed non ego lassor edendo,
Vocibus hinc cogens, hinc tribuendo dapes.
Mox quasi parturiens subito me ventre tetendi,
Admirans vterum sic tumuisse meum.
Intus enim tonitrus vario tumore fremebat,
Viscera conturbans Eurus, & Auster erat.
Non sic Æolijs turbatur arena procellis,
Nec vaga per pelagus puppis adacta tremit.
Nec sic inflantur ventorum turbine folles,
Malleolis famulos quos faber vstus habet.
Alter in alterius ructabat mole susurros,
Et sine me mecum pugna superba fuit.
Sit tibi longa salus celsa cum coniuge rector
Et de natorum prole voceris auus.
Laudis honore potens, fœlicia tempora cernas,
Et valeas dulces concelebrare iocos.

XV.

De Berulfo comite.

DELICIAS Berulfe tuas spectando libenter,
Me fateor duplicem sustinuisse famem.
Sic ego credebam quarta satiarer vt hora,
Me nec ad octauam mensa benigna vocat,
Per vestras epulas didici ieiunia gestans,
* Litania fuit prandia vestra magis. * Letania.
Det tibi vota Deus, per quem modo læta notamus
Hæc quoque dum scribo, plus satiatus agor.

XVI.

** De Condone Domestico.* * Condane.

TEMPORIBVS longis regalis diues in aula
Enituit meritis gloria * Condo tuis. * Conda.
Nam semel vt iuuenem vigili te pectore vidit,
Elegit secum semper habere senem.
Quis fuit ille animus? vel quæ moderatio sensus,

Cum fue-

Cum fueris tantis regibus vnus amor?
Mens generosa tibi, precioso lumine fulget
Quæ meritis propriis amplificauit auos.
Floret posteritas, per quam sua crescit origo,
Et facit antiquos surgere laude, patres.
Nam si præfertur generis qui seruat honorem,
Quanta magis laus est nobilitare genus.
Qui cupit ergo suum gestis attollere nomen,
Ille tuum velox præmeditetur opus.
A paruo incipiens existi semper in altum,
Perque gradus omnes culmina celsa tenes.
* Theodericus ouans ornauit honore tribunum,
Surgendi auspicium iam fuit inde tuum.
Theodebertus enim comitiuę præmia cessit,
Auxit & obsequijs cingula digna tuis.
Vidit vt egregios animos meliora mereri,
Mox voluit meritos amplificare gradus.
Instituit cupiens, vt deinde Domesticus esses,
Creuisti subito, creuit & aula simul.
Florebant pariter veneranda palatia tecum,
Plaudebat vigili dispositore domus,
* Theodoualdi etiam cum parua infantia vixit,
Huius in auxilium maxima cura fuit.
Actibus eximijs sic publica iura fouebat,
Vt iuuenem regem redderes esse senem.
Ipse gubernabas, veluti si tutor adesses,
Commissumque tibi proficiebat opus.
Chlotharij rursus magna dominatus in aula,
Quique domum simili iussit amore regi.
Mutati reges, vos non mutastis honores,
Successorque tuus tu tibi dignus eras.
Tantus amor populi, solertia tanta regendi,
Vt hoc nemo volens surripuisset onus.
Nunc etiam placidi Sigeberti regis amore,
Sunt data seruitijs libera dona tuis.
Iussit & egregios inter residere potentes,
Conuiuam reddens proficiente gradu.
Rex potior reliquis merito meliora parauit,
Et quod maius habet, hoc tua causa docet.

Côdo perenni & inoffêso cursu aulæ præcipitia longæuus superat.

* Teudericus.

* Theudebaldi.

Condonis rara apud omnes gratia.

Sic tu-

Sic tuus ordo fuit, ſemper maiora mereri,
Vitaque quam ſenior, tam tibi creuit honor.
Quæ fuerit virtus, triſtis Saxonia cantat,
Laus eſt arma truci non timuiſſe ſeni.
Pro patriæ votis & magno regis amore,
Quo duo natorum funera cara iacent.
Nec grauiter doleas cecidiſſe viriliter ambos,
Nam pro laude mori, viuere ſemper erit.
Lætitiam vultus hilari diffundit ab ore,
Et ſine nube animi gaudia fida gerit.
Munificus cunctis, largiris multa benignus
Et facis adſtrictos per tua dona viros.
Sit tibi longa ſalus placidis felicior annis,
Atque ſuum reparet, * proles opima patrem. *prolis.

XVII.

*Ad *Gundoarium.* *Guntharium.

SI prodi verbis affectus poſſet amantis,
Carmina plura tibi pagina noſtra daret.
Sed quod ab ore loqui nequeo, quod pectore geſto,
Sit ſatis ex multis vel modo pauca dari.
Nam ſi reſpicias votum per verba canentis,
Malueram maius qui tibi parua fero.
Aſpicimus ſenſum totum in dulcedine fuſum
Quo ſine nube doli corde ſerena micant.
Puro fonte rigans, nectar de fauce redundat,
Cuius verba libens, pectore, corde bibo.
Prouidus, exertus, vigilans, moderatus, honeſtus,
Condimentum animæ mens tua ſemper habet.
Reginæ egregiæ patrimonia celſa gubernas,
Quæ tibi comiſit, ſenſit vbique fidem.
Nemo piæ poterat reginæ charior eſſe
Quam qui pro meritis talis & ipſe foret.
Gundari longo vigeas placiturus in æuo,
Coniuge cum propria luce perenne manens.

XVIII.

Ad Flauum.

AD carum toties mea pergit epiſtola Flauum,
Sic monet officiis ſedula cura loqui.

Nunc quoque prosaico, modo mittens carmina versu
Blandior afflatu debita soluit amor.
Quin tibi pauca ferat, qui vult iter ire viator
Nemo mihi tacitè prætereundus abit.
*Fœtus. *Fœtus amicitiæ te vt pagina sæpe requirit
Et si vir desit portitor, aura placet.
Attonitis animis ego per vaga nubila prendo,
Nullaque suscipio signa relata manu.
An tibi charta parum peregrina merce rotatur?
Non amor extorquet, quod neque tempus habet?
Scribere quo possis, discingat fascia fagum,
Cortice dicta legi, sit mihi dulce tui.
An tua Romuleum fastidit lingua susurrum,
Quæso vel Hæbraicis reddito verba notis.
*& Ammoniis. Doctus * Achæmeniis quæuis perscribito signis,
Aut magis Argolico pange canora sopho.
Barbara fraxineis pingatur runa tabellis,
Quodque papyrus agit, virgula plana valet.
Pagina vel redeat perscripta dolatile charta,
Quod relegi poterit, fructus amantis erit.

XIX.

Ad Flauum & Euodium.

QVAM bene conueniunt genitor quos sustulit vnus,
Si simul hos vnum pectus vtrosque tenet.
Visceribus iisdem genitos Flauum Euodiumque,
Prorsus amore vno viscera nostra tegunt.
Alter in alterius mihi visu visus habetur,
Et fratris speciem fratris imago dedit.
Vnius ex facie facies mihi nota secundi,
Sic speculo similem forma repressa refert.
Ergo pari voto paribus dans vota salutis,
Ambos inter ego tertius alter ero.
Hoc cupiens, vt quos charis amplexibus idem
Tres amor vnus habet, nos quoque charta liget.

XX.

Charissimo & omni gratia prædicando Sigismundo
FORTVNATVS, SALVTEM.

FIXVS

FIxvs amore tuo votis inhiantibus, adstans,
Quæ tibi chare salus sæpe requiro viros.
Quisque viator adest properans Aquilonis ab axe,
Quamuis festinum, sollicitando moror.
Seu priuata virum, seu publica cura citabit;
Hunc nisi perconter, nullus abibit iter.
Quam vegetus membris? quæ te loca chare coercent?
Ordine disposito cuncta requirit amor.
Si grauis arma tenens Italas terit hospes arenas,
Aut quæ Francus habet, pagina pandat, age.
Quid geris, oro refer, tamen vt queo longius opto,
Viuas pars animæ dimidiata meæ.

XXI.

*Ad Sigismundum & * Aregisilum.*

*Alagisilum.

NOMINA amicorum mihi dulcis epistola pandit,
Hinc Sigimunde nitens, hinc Aregisle decens.
Prosperitas felix ventorum flamina fudit,
Quando mihi charos nunciat aura viros.
Testor vtrumque caput, tantum mea vota iuuantur,
Quantum fit florens læta sub imbre seges.
Ne sitiam rapidis æstiuo tempore flammis
Nectarei fontis me recreastis aquis.
Post Italas terras mittis mihi Rhene parentes
Aduentu fratrum non peregrinus ero.
Tempore belligero pacis noua gaudia surgunt,
Hic quia venerunt quos meus optat amor.
Qui mihi festiuæ diei duplicastis honorem,
Sic vester crescat munere regis honor.

XXII.

Ad Bosonem Referendarium.

SIc tegat omnipotens radiantia culmina regis,
Atque eius causas arma superna regant.
Sic dominum ac seruos diuina potentia seruet,
Et patriæ maneat hoc dominante salus.
Sic placido regi summus pius auctor ab alto,
Qui dedit ante Petro, porrigat ipse manum.
Sic te longæui comitetur gratia regis,

Et florente illo gaudia fixa metas.
Hoc rogo quam citius veniat quicunque iubetur:
Ne grauet vltra animos hic mora tarda meos.
Nam qui festinat, statuit quod certa voluntas
Si votum acceleret, dulcius esse solet;
Illud enim nimium per verba precantia posco,
Commender domino te memorante meo.
Actibus excellens maneas per sæcula fœlix
Et memor ipse mei dulcis amice vale.

XXIII.

Ad Paternum.

NOMINIS auspicio fulgent tua facta Paterne,
Munere qui proprio te facis esse patrem.
Seruitii nostri non immemor omnia præstas,
Et tibi deuotis das pia vota libens.
Vt bona distribuas, modo qui tam promptus haberis:
Vnde magis præstes, amplificentur opes.

XXIV.

Versus in Gauatis.

QVI legis in pulchro circundata verba metallo,
Si venias purus, hoc imitaris opus.
Nam velut argentum calida fornace probatur,
Sic se purgato pectore prodit homo.

XXV.

Ad conuiuam.

QVI venis ad charos conuiua fidelis amicos
Quod minus est epulis, plus in amore capis.
Non hæc per pelagus peregrinus detulit hospes,
Sume libens patrii quod genuere lares.

XXVI.

Ad eundem.

QVAMVIS doctiloquax te seria cura fatiget,
Huc veniens festos misce poeta iocos.
Sic tamen vt propriam rationem seruet honestas.
Nam solet incautus sermo mouere manus.

De bre-

XXVII.

De breuitate vitæ.

VITA breuis hominum, fugiunt præsentia rerum:
Tu cole quæ potius non moritura manent,
Erige iustitiam, cole pacem, dilige Christum,
Expete delitias, quas sine fine geras.

XXVIII.

Ad eundem.

PELLE Palatinas post multa negocia rixas
Viuere iocundè mensa benigna monet.
Causæ, iræ, strepitus, sileant fora, iurgia, leges,
Hic placeat requies, quam dat amica dies.

XXIX.

Ad conuiuam.

TE rogo pacificos animos ad prandia defer
Hostem quære alibi, si tibi pugna placet.
Delitiis mediis lites agitare recuses
Arma tibi campus, mensa ministret olus.

XXX.

Ad eundem.

SI tibi magnanimus rigida virtute videris
Securè ad calices fortia bella refer.
Qui venit huc nostræ dapes cognoscere mensæ:
Commendet positos gratia sola cibos.

XXXI.

Ad Galactorium Comitem.

SÆPIVS optaram fieri me remige nautam,
Cursibus vndifragis vt ratis iret aquis,
Flatibus aut rapidis per dorsa Garumnica ferrer,
Burdegalense petens vt celer actus iter.
Velaque fluctiuagum traherent Aquilone secundo,
Me quoque littoreo redderet aura sinu,
Qua pius antistes sacra Gundegisilus offert,
Culmine pro populi qua micat ara Dei.

Tu quoque quo resides meritis comes ample serenis,
Care Galactori sedula cura mihi.
Cui rite excellens rex Guntheramus honores
Maius adhuc debet, qui tibi magna dedit.
*Himus Cum tamen hoc vellem, timor obstitit & *Hunus, ille
Qui cumulo rapidæ mons fremit albus aquæ.
Dulcedo inuitat, ciuilis, & vnda repugnat,
Sic vocat atque vetat hinc amor, inde pauor.
Plane hoc quod superest; soluat vel epistola currens,
Littera quod facerem reddat amore vicem.
Maxime nunc igitur, te dulcis amice saluto,
Sperans à domino te superesse diu.
Cumque domo, sociis, antistite, coniuge, natis,
Viue comes cui sint iura regenda ducis:
Pontifici summo commender opime precatu,
Sic tua pars meritis sit data dextra polis.
Si superest aliquid, hoc forte tributa redundant
Qui modo mitto apices, te rogo mitte pices.

VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER OCTAVVS.

I.

De nomine suo ad diuersos.

AONIAS auido qui lambitis ore camœnas,
Castaliusque quibus sumitur arte liquor.
Quos bene fruge sua Demosthenis horrea ditant,
Largus & irriguis implet Homerus aquis.
Fercula siue quibus fert diues vterque minister
Tullius ore cibum, pocula fonte Maro.
Vos quoque qui nunquam morituras carpitis escas,
*alit, adit. Quas Paradisiaco germine Christus *habet.
Facundo tonitru penetrati, qui retinentur
Nunc monitis Pauli, post ea claue Petri.

Fortu-

Fortunatus ego hinc humili prece voce ſaluto, S. Hilarii laus.
Italiæ genitum Gallica rura tenent.
Pictauis reſidens, qua ſanctus Hilarius olim
Natus in vrbe fuit, notus in orbe pater.
Eloquii currente rota, penetrauit ad Indos,
Ingeniumque potens vltima Thule colit;
Perfundens cunctas vice ſolis lumine terras
Cuius dona * Sacæ, Perſa, Britannus, habet. * fauens
Chriſticola Scyticas laxauit amore pruinas
Dogmate feruenti frigida corda calent.
Martinum cupiens, voto Rhadegundis adhæſi,
Quam genuit cœlo terra Toringa ſacro.
Germine regali pia neptis Herminefredi, B. Rhadegundæ vita & præconium.
Cui de fratre patris Hamalafredus adeſt.
Mens ornata bonis fugitiuos ſpernit honores,
Sciens in ſolo firma manere Deo.
Regia lactineo commutans pallia cultu, Abdicatio ſæculi.
Vilior ancillæ veſtis amata tegit.
Splendida ſerraco quondam ſubuecta ſuperbo,
Nunc terit obſequio planta modeſta lutum.
Quæ prius inſertis onerata eſt dextra ſmaragdis
Seruit inops famulis ſedulitate ſuis.
Aulæ celſa regens quondam modo iuſſa miniſtrat Humilitas
Quæ dominando prius, nunc famulando placet.
Paupertate potens, & ſolo libera voto,
Clarius abiecto ſtat radiata loco.
Aurea fulcra tenens iam tum ſibi vilis honore
Effugit extructum puluere fuſa thorum.
Si contemnatur, tunc nobilis eſſe fatetur,
Et putat eſſe minor, ſi datur vllus honor.
Parca cibo Euſtochium ſuperans, abſtemia Paulam, Perfectio morum.
Vulnera quo curet dux Fabiola monet.
Melaniam ſtudio reparans, pietate Bleſillam,
Marcellam votis æquiparare valens.
Obſequio Martham renouat, lachrymiſque Mariam,
Peruigil Eugeniam, vult patiendo Teclam.
Senſibus iſta gerit, quicquid laudatur in illis,
Signa recognoſco, quæ prius acta, lego.
Omnia deſpiciens, & adhuc in corpore conſtans,

Spiritus

Spiritus hic viuit, ſed caro functa iacet.
Terram habitans, cœlos intrat, bene libera ſenſu,
Atque homines inter iam ſuper aſtra petit.
Lectio pia. Cuius ſunt epulæ, quicquid pia regula pangit,
Quicquid Gregorius, Baſiliuſque docent.
Acer Athanaſius, quod lenis Hilarius edunt,
Quos cauſæ ſocios lux tenet vna duos.
Quod tonat Ambroſius, Hironymus atque coruſcat,
Siue Auguſtinus fonte fluente rigat.
Sedulius dulcis, quod Oroſius edit acutus,
Regula Cæſarii linea nata ſibi eſt.
His alitur ieiuna cibis, palpata nec vnquam
Fit caro, ſit niſi iam ſpiritus ante ſatur.
Cætera nunc taceam, melius quæ teſte tonante
Iudicioque Dei glorificata manent.
Cui ſua quiſque poteſt ſanctorum carmina vatum
Mittat in exiguis munera larga libris.
Se putet inde Dei dotare manentia templa,
Quiſquis ei votis ſcripta beata ferat.
Hæc quoque qui legitis rogo reddite verba ſalutis
Nam mihi charta leuis, pondus amoris erit.

II.

De itinere ſuo cum ad domnum Germanum ire deberet, & à domna Rhadegunde teneretur.

EMICAT ecce dies, nobis iter inſtat agendum,
Debita perſoluens, emicat ecce dies.
Me vocat inde pater radians Germanus in orbe,
Hinc retinet mater, me vocat inde pater.
Dulcis vterque mihi voto amplectente cohæſit,
Plenus amore Dei, dulcis vterque mihi.
Carior hæc animo quamquam ſit & ille beato
* Carior ille gradu, carior hæc animo.
*Clarior. Mens tenet vna duos æquali calce viantes
Ad pia tendentes mens tenet vna duos.
Proficit alterutrum, quicquid bene geſſerit alter
Vnius omne bonum proficit alterutrum
Sunt quia corde pares iuſſus non ire recuſo
Obſequar ambobus, ſunt quia corde pares.

Nec

Nec tamen hinc abeo, quamuis noua tecta videbo,
Corpore discedo, nec tamen hinc abeo.
Hic ego totus ero nec corde ac mente reuellor,
Sic quoque dum redeo, hic ego totus ero.
Porrigat arma mihi cœlestia mater eunti
Vt sibi plus habeat, porrigat arma mihi.

III.

Hymnus de natiuitate Domini.

AGNOSCAT omne sæculum
Venisse vitæ præmium.
Post hostis asperi iugum,
Apparuit redemptio.
Isaias quæ concinit
Completa sunt in Virgine
Annuntiauit angelus,
Sanctus repleuit Spiritus.
Maria ventre concipit
Verbi fideli semine
Quem totus * mundus non capit, *orbis.
Portant puellæ viscera.
Radix Iessæ floruit
Et virga fructum edidit,
Fœcunda partum protulit
Et virgo mater permanet.
Præsepe poni pertulit
Qui lucis autor extitit,
Cum patre cœlos condidit
Sub matre pannos induit.
Legem dedit qui sæculo
Cuius decem præcepta sunt
Dignando factus est homo
Sub legis esse vinculo.
Adam vetus quod polluit
Adam nouus hoc abluit,
Tumens quod ille deiicit
Humillimus hic erigit.
Iam nata lux est & salus,
Fugata nox & vita mors,

Venite gentes credite,
Deum Maria protulit.

IV.

In Nomine Domini nostri Iesu Christi & Domnæ meæ Mariæ Matris eius. De virginitate.

CVLMINA multo polos radianti lumine complent
Lætanturque piis agmina sancta choris.
Carmine Dauidico plaudentia brachia texunt:
*credunturque. *Creditur & sacro tripudiare gradu.
Cœtibus Angelicis hominum sociata propago,
Reddit honorificum laudis amore sonum,
Alternis vicibus diuina poëmata psallunt,
Atque creatori mystica verba canunt.
Lucida sydereo cœli strepit aula tumultu.
Laudibus & domini concutit astra fragor.
Patriarchę Hinc patriarcharum resonant modulamina vocum,
*palma. Inter quos Abrahæ est maxima * cura fide.
Prophetæ. A quo acceperunt reddunt dehinc verba Prophetæ
Moses ante alios dux, mare teste, viros.
Inde fauent fratres & celsa caterua piorum,
Apostoli. Lumen Apostolicum præmeditante Petro.
Qui valet ex meritis cineres animare sepultos,
Et reuocare diem, voce iubente, potest.
Hinc mercede pari sequitur pius ordo senatum,
Martyres. In quibus est Stephanus victor honore prior.
siti. Quos saxis, gladiisque, fame, site, frigore, flammis
Ereptos terris iungit in astra fides.
Casibus heu variis quos sic tulit ita furentis,
Et si mors dispar, lux tamen vna tenet.
Virgines. Inde Dei genitrix pia virgo Maria coruscat.
*virgineoque. * Virgineasque agni de grege ducit oues.
Ipsa puellari medio circundata cætu
Luce pudicitiæ splendida castra trahit.
Per Paradisiacas epulas sua vota canentes.
Ista legit violas, carpit & illa rosas.
Pratorum gemmas, ac lilia pollice rumpunt,
Et quod odoratum est flore comante metunt.
Euphemia illic pariter quoque plaudit Agathe,
Et Iustina, simul consociante Tecla.

Hic

Hic Paulina, Agnes, Basilissa, Eugenia regnant,
Et quascunque sacer vexit ad astra pudor.
Felices quarum Christi contingit amore
Viuere perpetuo nomina fixo libro.
Has inter comites coniuncta * Cesaria fulget
Temporibus nostris Arelatense decus.
Cæsarii monitis luci sociata perenni,
Si non Martyrii, virginitatis ope.
Quos Liliola refert æquatis moribus ambos
Et claram hæredem proxima palma manet.
Et quæcunque suos vigilans meditabitur actus,
His erit egregio participanda gradu.
Concipiente fide Christi Radegundes amore
Cæsarii lambit regula quicquid habet.
Cuius pontificis refluentia pectore mella
Colligit, & riuos insatiata bibit.
Quantum fonte trahit, tantum sitis addita crescit
Et de rore Dei plus madefacta calet.
Nec sibi sed cunctis generaliter vnica viuens
Felix angustam pandit ad astra viam.
Sed tibi præ reliquis mater pia charior instat,
Eligit excelso consociare choro.
Res probat ipsa tamen, quoniam quæ filia constas,
Te matrem votis optat habere suam,
Quamque suis genibus charam nutriuit alumnam
Præficit ecce suo constituenda loco.
Et quæ te semper baculi moderamine rexit,
Prompta sub imperio vult magis esse tuo.
Proficit illa sibi, cum tu præponeris illi,
Illa subit votum, te potiente gradu.
Ecce diem festum tandem pietate tonantis
Quem precibus genitrix sæpe rogabat, habet.
Cuius respirant tacito præcordia pulsu,
Angustosque animos gaudia larga replent.
Expectata nimis oculos ad tempora tendens,
Semine lætitiæ dona superna metit.
Optat adhuc supplex, vnum, quod restat, honoris,
Vt placeas Christo consocianda polo.
Qualiter hæc capias labor esse videtur agentis.

*Cæsaria.

B. Radegundes eiusque vitæ institutum.

Agnes antistita Pictau.

*Quam.

Sed

Sed labor iste breuis fruge replendus erit.
Seruitio domini subdenda est ad iuga ceruix,
Nec graue sed leue fit, quicquid amore feres.
Agnetē ad virginitatis honorem impellit exemplis. B. Cæsariç. B. Mariæ Virginis.
Non aliunde petas; in matre exempla require;
Aspicis ante oculos quod mediteris opus;
Cum qua festinas simul esse in luce perenni,
Condecet hic simili currere lege viam.
Sit tibi dulce decus veneranda Cesaria præsens,
Præsule Cæsario non caritura tuo.
Illos corde sequens, mandataque corpore comples,
Vt teneas flores, has imiteris apes.
Respice qui voluit nasci se ventre puellæ
Et domini summi qua caro carne venit.
Spiritus intactam venerabilis attigit aluum
Virgineam cupiens inhabitare domum.
Hanc Deus ingrediens hominis, quæ nesciit vsum
Sola suo nato conscia virgo viro.
* læsit.
Concipiente fide nullo se semine * lusit,
Et quo factus homo est; non fuit alter homo.
Virginitas digna quæ pariat Deum.
Virginitas felix, quæ partu est digna tonantis,
Quæ meruit dominum progenerare suum.
Templa creatoris sunt membra pudica puellæ,
Et habitat proprius tale cubile Deus.
Quantum sponsa potest de virginitate placere,
* cui.
Ipsa * Dei genitrix non nisi virgo placet?
Sara, Rebecca, Rachel, Esther, Iudit, Anna, Noëmi
Quamuis præcipuè culmen ad astra leuent.
Nulla tamen meruit mundi generare parentem,
Quæ dominum peperit clausa Maria manet.
*ad vbera.
Intemerata Deum suspendit * ab vbere natum,
Et panem cœli munere lactis alit.
*viscera.
Hoc ergo in sponsæ nunc * viscere diligit ipse,
*matrem.
Quod prius in * matre legit honore sacer.
Pectora liberius penetrat sibi cognita soli,
Et quo nemo fuit lætior intrat iter.
* qua.
Hæc sua membra putans, * quæ nulla iniuria fuscat,
Quæ neque sunt alio participata viro.
Mitis in affectu, pectus complectitur illud,
* calens.
Promptus amore * colens quo alter amator abest.

Cum

Cum ſua regna Deus pariter velit omnibus eſſe,
Hoc commune tamen Chriſtus habere fugit.
Per paradiſiacas epulas cupit eſſe cohæres,
Virgineam ſolus vult habitare domum.
Caſtra pudicitiæ melius rex ipſe tuetur,
Si ſibi non violet turba dicata fidem.
Ipſe voluntatem ſi viderit eſſe fidelem,
Proque ſuis famulis & Deus arma tenet.
Lorica, galea, clypeo, præmunit amantem,
Et ſtabilit ſolidum mentis in arce gradum.
*Balliſta iaculans pro te mox exit in hoſtem,
Perdat vt aduerſos, qui tibi bella mouent,
Currit ad amplexus poſt prælia geſta triumphans.
Inſigens labiis oſcula caſta ſacris.
Blanditur, refouet, veneratur, honorat, obumbrat,
Et locat in thalamo membra pudica ſuo.
Syderei proceres, ad regia vota frequentes.
Certatim veniunt, ad glomerando chorum.
Quo præter Cherubin, Seraphin reliquoſque beatos
Aligeros* comites, quos tegit vmbra Dei,
Bis duodena ſenum concurſat gloria vatum
Attonitu, ſenſu, plaudere voce, manu.
His venit Helias, illis in curribus Enoch,
Et nati dono virgo Maria prior.
*Iuriſconſulti Pauli comitante volatu,
Princeps Romana currit ab arce Petrus.
Conueniunt ad feſta ſimul ſua dona ferentes,
Hi quorum cineres vrbs caput orbis habet.
Culmen Apoſtolicum radianti luce coruſcum
Nobilis Andream mittit Achaia ſuum.
Præcipuum meritis Epheſus veneranda Ioannem,
Dirigit & Iacobos terra beata ſacros.
Læta ſuis votis Hierapolis alma Philippum,
Producens Thomam munus Edeſſa pium.
Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum eximium Naddauer alta virum.
Hinc Simonem ac Iudam lumen Perſida gemellum,
Læta relaxato mittit ad aſtra ſinu.
Et ſine rore ferax Ægyptus torrida Marcum,

Quá grata Chriſto ſit virginitas,

Chriſtus pudicitiæ vindex.

*Balliſtam.

Cælites virginibus fauent.

*Angelicos.

*Legis.

Apoſtolicum agmẽ & aliorum ſanctorũ.

Paulus.

Petrus.

Andreas.

Ioannes.

Iacobus vterque.

Philippus

Thomas.

Bartholomæus.

Matthæus

Simon & Iudas.

Marcus.

Lucas. Lucæ euangelica participante tuba.
Africa Cyprianum, dat Siscia clara Quirinum,
Vincentl Hispana surgit ab arce decus.
Egregium Albanum fœcunda Britannia profert,
Massilia victor martyr ab vrbe venit.
Porrigit ipsa decens Arelas pia dona Genesi,
Astris Cæsario concomitante suo.
Ipse Parisiaca properat Dionysius vrbe,
Augustoduno Symphoriane venis.
Priuatum Gabalus; Iulianum Aruernus abundans,
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.
Hinc simul Hilarium, Martinum Gallia mittit,
Te quoque Laurenti, Roma, beate tulit.
Felicem meritis Vicetia læta refundit,
Et Fortunatum fert Aquileia suum.
Vitalem ac reliquos, quos chara Rauenna sepultat,
Geruasium, Ambrosium, Mediolane meum.
Iustinam Patauum, Euphemiam huc Chalcedon offert.
Eulalia Emerita tollit ab vrbe caput.
Cæciliam Sicula profert, Seleucia Teclam,
Et Legio felix Agaunensis adest.
Europæ atque Asiæ quis lumina tanta recurrat?
Vel tua quis possit pignora Roma loqui?
Sãctorum vndique ortorum cætus. Vndique collectos diuersis partibus orbis,
Agminibus iunctis regia pompa trahit.
Intrant sydereo vernantes lumine portas,
Excipit hos proceres vrbs patefacta poli.
Incedit sensim tunc prætextata potestas,
Ordine patricio sic potitura loco.
Nobilitas cœli diues cruce sanguine Christi
*choros. Festinat festos concelebrare * choros.
Paupertas terræ censu cœleste redundans,
Consulibus tantis regia vota colit.
*nemorosa. Vndique distinctè*numerosa sedilia complent,
Attonitique silent rege loquente patres.
Maiestas arcana Dei tum pondere fixo
Virginitatis laudes & labores Alloquitur proceres, quos sua dextra regit.
Hæc mihi pollicitum seruauit virgo pudorem,
Nec voluit placitam dilacerare fidem.

Sollicitis

Sollicitis animis ſponſi veſtigia ſectans,
Et mea vota petens inuiolata venit.
Per tribulos gradiens ſpinæ caueſecit acumen,
Sentibus in mediis neſcia ferre vepres.
Vipera, ſeps, iaculus, baſiliſcus, * hemorrois, aſpis,
Faucibus horrificis ſibila torſit iners.
Inde ſagitta volans, hinc terruit arcus euntem,
Docta ſed inſidiis cautius ire ſuis,
Inter tot hoſtes nulli ſe ſubdidit inſons,
Vulnera ſuſcepit, ſed tolerando fugit.
Per tela, & gladios, tenuit mora nulla ſequentem,
Sed tam dura nimis non niſi ferret amor.
Ad me aures, oculos, animos ſuſpenſa tetendit,
Cum terris iacuit, iam ſuper aſtra fuit.
Singultus, gemitus, curas, ſuſpiria, fletus,
Sæpius audiui non abolenda mihi.
Abſcondens aliis nulli confeſſa dolores,
Intellecta mihi murmura clauſa dedit.
Vidit forte meum quoties in imagine vultum,
Oſcula dans labiis lumine fudit aquas.
Peruigil incubuit, ſi forte alicunde venirem,
Marmore iam tepido frigida membra premens.
Hæc geleſacta meum ſeruauit in oſſibus ignem,
Viſceribus rigidis pectus amore calet.
Corpore deſpecto recubabat in aggere nudo
Seque oblita iacens * immemor ipſa fuit,
Fletibus aſſiduis exhauſto humore genarum,
Siccatis oculis terra natabat aquis.
Et quia me viuens carnali lumine quondam
Cernere non potuit, miſit amata precem.
Nam mihi ſollicito nocturnis ſæpius horis,
Scripta ſuis lachrymis pagina lecta fuit.
Plena quidem variis tremulo ſermone querelis
Quod ſine me ſola mœſta iaceret humo.
Cuius ab ore fluens natiuo gutta liquore,
Hæc dedit in tremulis ſigna relata notis.
Strata ſolo recubo lachrymans neque cerno quod opto
Triſtis in amplexu pectore ſaxa premo.
Sponſo abſente manens tam dura cubilia ſeruo;

Deus in ſanctorum cætu memorás inducitur.

*emæro Metatheſi literarum.

*me memor.

Virginis ſanctæ Deum ſolicitantis ſuo deſiderio.

Nec

Nec mea, quem cupiunt, membra tenere queunt.
Dic vbi ſis, quem exſpecto gemens; qua te vrbe requiram?
Quaue ſequar, nullis ſemita nota locis.
Ipſa venire velim, properans ſi poſſit in aſtris
Pendula ſideream planta tenere viam.
Nunc ſine te fuſcis grauiter nox occupat alis,
Ipſaque ſole micans eſt mihi cæca dies.
Lilia, narciſſus, violæ, roſa, nardus, amomum,
Oblectant animos germina nulla meos.
Vt te conſpiciam, per ſingula nubila prendo,
Et vaga per nebulas lumina ducit amor.
Ecce procelloſos ſuſpecta interrogo ventos,
Quid mihi de Domino nunciet aura meo:
Proque tuis pedibus cupio cæmenta lauare,
Et tua templa mihi tergere crine libet.
Quidquid erit, tolerem; ſunt omnia dulcia dura
Donec te videam, hæc mihi pœna placet.
* quando. Tu tamen eſto memor, * quoniam tua vota requiro;
Eſt mihi cura tui, ſit tibi cura mei,
Hæc referens auidis iactabat brachia palmis,
Si poſſit plantas fortè tenere meas:
Cum decepta ſibi ſine me ſua dextra rediret,
Luminis inſtillans ora lauabat aquis.
Cum recubaret humo, neque victa ſopore quieuit,
Conſuliturus ei ſæpe ſimul iacui.
*melle rigata. Condolui pariter, lachrymarum flumina terſi,
Oſcula dans rutulis * mellificata fauis.
Nunc igitur regnet, placidoque fruatur amore,
Quæ mihi iam pridem pectore iuncta fuit.
Virginitas afficitur præmio in cælis. Adſenſu fremit aula poli, reſidente ſenatu,
Nomen perpetuo ſcribitur inde libro.
Traditur æternum manſura in ſæcula cenſum,
Virginis in thalamos fundit Olympus opes.
Inſeritur capiti radians diadema beryllis,
Ordinibus variis alba Smaragdus ineſt.
Alligat & nitidos amethyſtina vitta capillos,
Margaritato flexilis arte ſinu.
Sardonyche impreſſum per colla monile coruſcat,
* ſardi. * Sardia purpurea luce metalla micant.

Dextræ

Dextræ armilla datur Chalcedone Iaspide mixta,
Aut hyacinteo sudat honore manus.
Bractea gemmatam cycladem fila catenant;
Sidereis donis * arta sigilla tument. *arte.
Pulchra topaziacis oneratur zona lapillis,
Chrysolitha auratam fibula claudit acum.
Veste superposita bis torta purpura bysso,
Qualem nupta Dei ferre puella potest.
His cumulata bonis thalamo regina sedebit,
Atque polis sobolem sub pede virgo premet. Virginita-
Cui tamen hoc opus est cum virginitatis honore; tis comites
Vt placeat sponso mens moderata suo. virtutes.
Inconcussa grauem teneat patientia vultum, Patientia.
Viribus ira suis ne labefacta ruat.
Neu faciles animos ventosa procella fatiget,
Fluctibus in mediis anchora cordis agat.
Virtutum speciale decus patientia fulget,
Qua gradiaris iter, Iob tibi signa dabit.
Quidue loquar humilem quem gratia celsa decorat? Humilitas
Et quantum ima petit, surgit ad alta magis.
Quod diuersa nimis diuisa est causa duobus,
Qui iacet, ille subit; qui tumet ipse cadit.
Hæc exempla quidem Ioseph Pharaoque dederunt;
Tollitur ille lacu, mergitur iste freto.
Est etiam laudis stipendia poscere tantum, Paupertas.
Ne premat ipsa suum pestis auara sinum.
Contentus minimis si non maiora requirat,
Pauper in angusto regnat, habendo Deum.
Saphira, vel mulier geminos largita minutos.
Illa tenendo perit, hęc sua dando manet.
O nimium felix quem non modo mollia frangunt,
Iudice qui sese membra labore terit.
Spernit opum laqueos, vnguenta, toreumata fluxa,
Vt custos animæ sit rigor ipse suæ.
Hoc etiam recolens, quid possit parcior vsus, Temperā-
Sobrietas Iudith vincere sola facit. tia.
Quidue animum dulcem memorem, quem gratia pascit? Amor
Cum intra se populos viscera cara ferant. Dei.
Pacificus, gaudens, vnus complectitur omnes,

Stringit in affectu pectora cuncta suo.
O nimium felix, florens bonitate voluntas,
Qua sine nil populo, nec placet ara Deo.
Hoc opus; vt quotiens aliquo mens fertur amaro,
Firmet in aduersis spes comitata fidem.
Aspera ne frangant, tumidos neque prospera reddant,
Sic mediocre tenens cautius itur iter.
Hæc bona sumit homo, tribuat si gratia Christi,
Inspirante illo, vel moderante gradum.
His ornata bonis radiantia lumina fundis;
Has retinens gemmas tu quoque gemma micas.

Virginitatis encomium.

Virginitas felix nullis æquanda loquelis,
Nec si centenos suppleat ore sonos.
Quod prius est sine sorde nitet, venerabilis orbi
Naturæ proprium non vitiando bonum.
Corporis inlæsum seruans preciosa talentum,
Perpetuas retinens nescia furis opes.

Caret partus & orbitatis incommodis

Non premit incluso torpentia viscera fœtu,
Aut grauefacta iacet pignore mœsta suo.
Inter anhelantes animæ seu corporis æstus,
In dubio pendens stamine fessa salus.

Deformitas prægnantis.

Quando suis iaculis vteri læsura tumescit,
Atque voluptatis morbida crescit Hydrus.
Vltra hominis habitum tantum cutis effera turget;
Vt pudeat matrem hoc quod amore gerit.
Se fugit, & propriis verecunda parentibus aufert,
Donec depositum sarcina soluat onus.
Quis gemitum partus verbis æquare valebit?
Aut cui tot lachrymas carmine flere vacet?
Cum sua secretum compago relaxat honestum,
Atque dolore graui viscera fascis agit.
Victa puerperio membrorum porta patescit,
Exit & ad lucem sors sine luce puer.
Sin viuat genitus, genitrix se oblita requirit,
Tristis & ad natum lumina lassa trahit.
Respicit expositum nec iam sua mater alumnum,
Quæ vix dum peperit, hæc modo funus habet.
Nec mater meruit modo hæc, nec virgo vocari,
Hæc duo damna dolens se mala nupta gemit.

Nam

Nam valido fuerat matris ſpes rapta dolore,
Nec fletu nati ſe fouet illa ſui.
Non charas lacrymas infantis ab ore reſorbet,
Aut teneras voces lacte fluente rapit.
Triſtis decrepito damnat ſua viſcera luctu,
* Quod iacuit natus, heu dolet ille ſinus. * Quo.
Quid ſi vita manet pueri, nec ſemper habenda,
Incipiat teneros, vt dare voce ſonos.
Imperfecta rudis conlidens murmura linguæ
Cum matrem dulci fauce ſuſurrus alit.
Contingatque nefas, rapiatur pectore matris,
Ætas ad damnum creuit adulta ſuum.
Triſte flagellatis genitrix orbata capillis,
Defuncti in labiis vbera ſicca premit.
Infundens lacrymas lamenta reſuſcitat ardens,
Et gelidum corpus fonte tepente lauat.
Dilacerat faciem, crinem aufert, pectora tundit,
Heu dolor armatus, ſic ſua membra ferit?
Si videt alterius natum, ſua pignora deflet,
Æqualemque ſuum triſtis obiſſe gemit.
Alter ſi ploret, currat, ſtet, gaudeat infans,
Ante oculos nati ludit imago ſui.
Quem ſemel effudit per cuncta momenta requirit,
Nec miſeræ matris pendet ad ora puer.
Quid ſi aliud grauius; moriatur & ipſe iugalis?
Quæ noua nupta fuit, iam viduata iacet.
De thalamo ad tumulum, modo candida, tam cito nigra:
Ante quibus caluit, frigida membra tenet.
Conſtruit exequias, peruerſaque vota celebrans
Exornat tumulum, heu, ſpoliando torum.
Sæpe maritale repetit miſerando ſepulchrum,
Contemptaque domo funus amara colit.
Incumbit tumulo, ſolatia caſſa requirens,
Cuius membra prius, nunc ſuper oſſa premit.
Fletibus irriguis periturо carmine luget,
Funeris obſequio lumina perdit amor,
Quot mala plebeiæ veniant, quis pandere poſſit?
Vix bene reginæ, quæ viduata manet.
Non veto coniugium, ſed præfero virginis aluum,

Quod dat Apostolica Paulus ab ore tuba.
Virginitas coniugio antestat. Inclita virginitas, cœlos quæ dote mereris,
Cum thalamis Christi consocianda places.
Funera nulla gemis, sine limite gaudia sumis,
Viuit amor semper, nec tibi Christus obit.
Illic regna tenes; hic vincis, & integra fulges,
Omni tuta loco, sanctificata Deo.
Hæc tibi, chara Deo, meritis venerabilis Agnes,
* placeat. Offero; quo * placeant, tu faciendo colas,
Iudicis vt iussu munus tribuatur vtrisque;
Quando corona tibi, tunc mihi vel venia.
Opto per hos fluctus animas tu Christe gubernes,
Arbore & antenna velificante crucis.
Vt post emensos mundani gurgitis æstus,
In portum vitæ nos tua dextra locet.

V.

In laudem sanctæ Mariæ Virginis & matris Domini.

Vaticinia de Christi D.N. incarnatione. LINGVA Prophetarum cecinit de virgine partum;
Nuncia fert terris angelus ista poli.
Consona vox hominum memorat hoc ferre puellam,
Quod daret absque viri germine virgo virum.
Isaiæ c. xi. Hoc euangelio concordans pandit Isaias;
Quæ Deus inspirat, hæc canit ipse tuba.
Eloquio torrens, & rite profunda locutus,
Emanuel nostrum, virgine dante canens.
Prædicens olim, vt de matre tonantis honore,
Radicis florem Iessea virgo daret.
Virgo hæc virga fuit, de qua flos Christus abortus,
Cuius odor viuax membra sepulta leuat.
Laxus morte iacens, de cuius aromate tactus,
Postque diem quartum Lazarus ore reflat,
Ierem. 33. Hanc Ieremias vtero ipso sanctificatus
Monstrans voce pari; sic quoque vatis ait.
Ecce dies venient, & Dauid suscito germen,
Et regnabit Rex, atque erit hic sapiens.
Hoc germen iustum virgo est, & REX suus infans,
Iudicium faciens arbiter, orbis herus.
Psalm. 86. Psalmographi plectro cantata est ista virago,

Cum

Cum daret arte melos vox,lyra,chorda,chorus.
Mater Sion dicit homo,& homo factus in illa est,
Ipse hanc fundauit,factus in ipsa & homo est.
Sic quoque qui fundauit eam,est altissimus ipse,
Hæc Sion,mater virgo Maria fuit.
Qui tanquam sponsus * thalamo procedit ab alto, Psalm. 18. * thalami aluo.
Exultatque gigas Christus,eundo viam.
O vteri thalamus,noua iunctio facta salutis,
Qua Deus atque caro nupsit honore nouo.
Quo Deus amplexus carnem est,caro iuncta cohæsit,
Stat Deus atque homo fit,Christus vtrumque genus.
Non Deus in carnem est versus,Deus accipit artus,
Non se permutans,sed sibi membra leuans,
Cuius non poterat Deitas per aperta videri,
Velamen sumpsit, carne videndus homo.
Vnus in ambabus naturis,verus in ipsis,
Æqualis matri hinc,par Deitate patri.
Non sua confundens,sibi nostra sed omnia nectens,
Quem sine peccato gignit vterque virum.
De patre natus habens diuina,humanaque matris,
De patre sublimis,de genetrice humilis.
Quando incorporeus pie,corporis induit artus,
Æqualis matri fit minor inde patri.
Carnem,animam,ossa,cutem,neruos,venas,femur,vngues:
* Formam serui assumens,minor inde patri. * seruus vt assumens est.
Sed redeo,qua virgo trahit mihi laude canenda,
Qualis nulla fuit,nulla futura venit.
Quemque pluunt nubes iustum de rore superno, Psalm. 35.
Hæc Saluatorem germine terra dedit. Isai. 45.
Hæc porta est clausa,in quam intrat vir nemo,nec exit,
Ni dominus solus,cui quoque clausa patent. Ezech. 44.
Cuius in aduentu exiluit de ventre Ioannes, Lucæ. 1. Ioannes exultans in vtero matris.
Infans personuit munere præco nouus.
Trans vterum matris,quasi per specularia cernens,
Materna & puero membra fenestra fuit.
Quando exultauit ventrem de ventre salutans,
Dum pede non potuit,motibus iuit iter.
Credo,& prostratus iacuit,palmasque tetendit,
Ante redemptorem paruula membra mouens.

Luc. 3. Corrigiamque pedum quoniam est non soluere dignus,
Pronus adorauit, credo, tremente genu.
Nobilis Elizabeth, de que canit alta prophetans,
Hæc operante Deo germina læta refert.
O benedicta inter mulieres, vnde mihi hoc,
Me vt mater Domini visitet alma mei?
Lu. 1. Hanc Gabriel vocitat benedictam laude puellam,
Et merito extollit, quæ noua dona gerit:
Quæ genitura foret benedictum germine fructum,
Quem Hieremias voce tonante refert.
Ierem. 31. Hic Deus est noster, non absque illo alter habetur,
Isaiæ. 45. Post hæc in terris visus homo est habitus.
Baruch. 3. Quem Daniel sanctum sanctorum prædicat vnum,
Daniel. 2. De monte excisus qui angulus & lapis est.
Deut. 18. De quo Moses ait, DEVS excitat ecce prophetam
Vobis, ex vestris fratribus, orbis opem.
Si qua anima hunc non audierit, qui exterminat illum,
De populo vindex ipse propheta suo est.
Dauid dixit: adorabunt hunc munere reges,
Psalm. 71. Seruibunt gentes, & Saba dona dabit.
&. 59. Simeonis Accipiens Simeon manibus quem iustus vtrisque,
canticum. Decrepitus senio hæc pia verba dedit:
Nunc dimitte in pace tuum seruum auctor ab alto,
Viderunt oculi iam quia vota mei.
Quando salutare hoc merui, tua verba secundum,
Ferre manu & visu cernere iure DEVM.
O sacra virgo Dei talem generando Maria,
Per quem lumen habet plebs tenebrosa prius.
Isaiæ. 9. In regione vmbræ mortis lux orta refulsit,
Admirabilis est consiliarius hic.
Qui Deus est fortis, pater, atque in sæcula princeps,
Imperij cuius pax sine fine manet.
Rorarunt cœli nubes, iustumque pluerunt,
*ditesque. Quem saluatorem germine virgo dedit.
Sabæi. Ægyptus, labor Æthiopum, * Sabaimque sublimes,
Isaiæ. 60. Ad quem transibunt, mente sequendo Deum.
Est in quo tantum Deus, & non est Deus absque hoc,
Hic Deus absconsus, qui DEVS Israël est.
Isaiæ. 11. Cuius iustitia est lumborum cingulum & Idem

Eius re-

Eius renis adeſt cinctoriumque fides,
Reguli & aſpidis auſa manus penetrare foramen,
Ablactatus agens, nec nocet vllus ei.
Aſtans in ſignum populorum, eiuſque ſepulchrum
Nobile adorandum gloria quanta tegit?
Quem dominatorem terræ miſit Moabitis, Iſaiæ. 16.
Petra ex deſerti qui pius agnus adeſt.
De quo Zacharias, exulta filia Sion, Zachariæ. c.9.
Iuſtus, Saluator, Rex tuus ecce venit.
Aſcendens aſinam ſuper, aut aſinæ quoque pullum,
Quadrigas perdens ex Effraim & equum,
Vnde & Micheas; & tu, inquit, Bethleem Ephrata, Mich. c. 5.
Paruulus in IVDA millibus ipſe manes.
Egredietur, qui dominatur in Iſraël, ex te, Pſal. c.ix.
Egreſſuſque potens eius ab initio.
Lumen ſanctorum in ſplendoribus, ex vtero quem
Ante & Luciferum progenuitque pater
Liuores ſanans noſtros liuore beato, Iſaiæ. LIII.
Et veteres maculas ſanguinis amne lauans.
O virgo inſignis nobiſque medella monades, B. Mariæ virginis præconiū.
Quam Deus impleuit totius orbis ope.
Quæque creatorem meruiſti ventre tenere,
Et generare diem, concipiente fide.
Mundatura nouo partu de crimine mundum,
Atque ſacro fœtu progenitura Deum.
Humano generi genuit quos Eua dolores,
Curauit genitus, virgo Maria, tuus.
Peccati iaculo defixa in ſtirpe cicatrix,
Vlcera nulla gerit, nec ſua ſigna patent.
Succus amarus enim vetiti de cortice ligni,
Stante redemptoris de cruce dulce ſapit:
Sub pomi ſpecie mors tunc de fronde pependit,
Nunc tuus eſt vterus, hinc cibus, inde ſalus.
Fructu ſancta pio renouaſti tempora rerum,
Lucidiorque dies, te generante, nitet.
Poſt tenebras ſolem reuocat tuus aluus in orbem,
Cum domini iubaris irradiauit apex.
In te habitans mundi lumen ſtatione coruſca,
Floruit interius per tua membra DEVS.

Nunc

Nunc vinax fulgor penetrans & ad ima profundi.
Orbem alit,aſtra regit,tartara luce replet.
Cuius mundi vno eſt hæc machina tecta pugillo,
Clauditur in fibris caſta puella tuis.
Supportans fabricata fabrum,atque humana Tonantem,
Virgula radicem,facta creantis opem.
Qualiter illa nouum tenuerunt viſcera lumen,
Quod decus intus erat,quiſue honor inde foras?
Gaudia quanta ſinus hilaris tuus ille vehebat,
Cum tua membra premens plus releuabat onus?
Tum genitrix de faſce leuis,de prole ſalubris,
Rem ſplendoris habens,lux neque pondus erat.
Auxilium de flore gerens,de fruge leuamen,
Spem, & cœli panem ſpica nouella gerens.
Cuius erat ſtella. & ſol matutinus in aluo,
Infra arcam abſcondens fulgida luna iubar.
Anniculum portans agnum,antiquumque gigantem,
Deque tribu Iuda qui leo fortis erat.
Christi domini encomia typica. Cornua producens vitulus ceu Rhinocerotis,
Arduus,elatis naribus alta fremens.
Regulus atque aſpis,cedunt cui cuncta venena,
Vipera,ſeu dipſas,ſeps,draco,cenchris,hydra.
Paruulus ipſe puer,perſona vetuſta dierum,
Egreſſus cuius ſtat ſine principio.
Pſalm. 44. Cuius diffuſa in labiis eſt gratia florens.
Inſignis forma præ genitis hominum.
Cuiuſque eſt oriens ex alto nomen honoris,
Qui nos,lumen agens,viſitat in tenebris.
Qui venit de Edom,de Boſra veſte cruenta,
Iſaiæ. 63. Pulcher,ſanguineus,candidus atque ruber.
Calcaturus erat qui ſolus torcular altum
In cruce penſandus,membra cruore leuans.
Vnde ſibi miſta eſt ſtola candida,tincta rubore,
Quem poſt,anteue quem,non Deus vllus erit.
Cuius tranſcendit ſacra magnificentia cœlum,
Cuncta regens palma,ſidera,rura,freta.
Apoſtrophe ad S. Dei genitricem. Quis te tunc ſenſus,Domini pia mater,habebat,
Quum tibi talis erat fœtus,honore nouus?
Præmia quanta vterum implebant, & gaudia pectus,

Cœlorum

Cœlorum artificem, cum tua ferret humus?
O meritis radians dic virgo putasne videbas
Angelicos cursus ire redire nouos?
Militiam cœli cum te seruare vicissim,
Sentires animo, sæpè leuata manu.
Quæ circa te acies, vel quando iter ire parares,
Millia prægressus concomitando tuos?
Quid Michael faceret ductor, sub principe celso,
Quid gereret Gabriel nuncius ille sacer?
Qualiter aut Raphael occursum impenderet almæ,
Te portante, Dei dum putat esse thronum.
Credo alter cuperet plantis substernere palmas,
Ille excussa ala sub nitidare viam.
Duceret iste auras, ne te grauis vreret æstus,
Ille leuans pinnas, vertat vt imber aquas.
Iste ad frena manum retinens, ne sarcina lapset,
Neu pes offendat, pendula turba vetat.
Quot vigiles turmæ, cum te sopor altus haberet,
Solaque dormitans tot vigilare dares?
Sidereo obsequio meritis dignissima virgo,
Cum te diuinis cingeret ala choris.
Cuius honore mero sol ipse tremisceret ortum,
Lunaque sub pedibus quæreret esse tuis.
Artificique suo se machina subderet orbis;
Ac miraretur, per tua membra DEVM.
O virgo excellens, vincens super omnia matres,
Quam genus erexit, cui Deus alta dedit.
Cuius fructus adest, & flos non perdit honores,
Quæ nato es Genitrix, & tibi virgo manes.
Felix quæ generi humano sub Tartara lapso
Ad cœlos facta es sors, via, porta, rota.
Aula Dei, ornatus Paradisi, gloria regni,
Hospitium vitæ, pons penetrando polos.
Arca nitens, & theca potens gladij bis acuti,
Ara Dei assurgens, luminis alta Pharos.
Celsa super cedros, & vasta cacumina montis,
Subque tuis plantis & rota solis adest.
Virgineo cœtu dux sexu prima secundo,
Prælata astrigeris sola puella choris,

Angeli in obsequio B. Mariæ quales.

Dei genitricis epitheta.

 Figmen-

Figmentum figuli ſuper omnia vaſa decorum,
Atque creaturæ fulgida maſſa nouæ.
Candelabrum pulchrum, verbi capiendo lucernam,
Quam formam ſculpſit tam ſuper aſtra faber.
Ornans Ieruſalem ſanctam, ſpecioſa venuſtas,
A facie templi vas in honore Dei.
Exuperans portas SION ſplendore coruſco,
Stans merito fidei, gemma ſuperba throni.
Ore diem iaculans, radios à fronte ſagittans,
Luminibus rutulis, lumen honore rotans.
Sidereum ſpeculum, illuſtris domus omnipotentis,
Vultibus ex illis fulgura clara ferens.
Nomen honoratum, benedicta MARIA per æuum,
Ad laudem artificis nobilis artis opus,
Dulcis & angelico precioſa puella relatu,
Omnes vltra homines dona decoris habens.
Inde rubore roſas, candore hinc lilia vincens,
Flos nouus è terra, quem polus arce colat,
Chryſtallum, electrum, aurum, oſtrum, concha alba, ſmaragdus,
Quo tua forma nitet, cuncta metalla iacent.
Nix premitur candore tuo, ſol crinis honore,
Palleſcunt radij, virgo decore, tui.
Lychnites hebes eſt, cedit tibi Lucifer ardens,
Omnibus officiis lampade maior ades.
Occulti in terris ſacramenti conſcia ſummi,
Et ſecreta poli ſunt patefacta tibi.
Fœcunda virginitas. Dignus ager Domini, generans ſine ſemine frugem,
Et ne caſſa ſeges meſſe repleta places.
Sola ſine exemplo fœcunda, & libera nexu,
Ignara amplexus, mater opima ſinu.
Virgo intacta manens, fidei vbertate marita,
Inſcia coniugio fœta, negante viro.
Accipis, vt neſcis: ſic reddis, vt integra conſtes,
Nec violata paris, nec pariendo doles.
Et tamen eſt genitus DEVS & homo, verus & vnus,
Spiritus atque caro Chriſtus, vtrumque genus.
*ſed. In deitate patri æquâlis, * vel corpore matri,
Et ſine peccato de genitrice caro.
Factor dans legem, factus ſub lege miniſter,

Ipſe

Ipse pater mundi, filius ipse tibi.
Vnde tuum mater generas natum atque parentem?
Hinc prolem, inde patrem: hoc DEVS, illud humus.
Cuius honore sacro genitrix transcendis Olympum,
Et super astrigeros erigis ora polos.
Conderis in solio felix regina superbo,
Cingeris & niueis lactea virgo choris.
Nobile nobilior circumsistente senatu,
Consulibus celsis celsior ipsa sedes.
Sic iuxta genitum regem regina perennem,
Ornata ex partu mater opima tuo.
Occurrunt proceres, & gloria magna Ioannes,
Notus & ante DEVM, quam pateretur homo.
Fratribus adscitis, Paulus, reliquisque beatis,
Doctor Apostolicus, fulgida palma Petrus.
Diligit has portas SION super omnia Iacob,
Pro patribus genitos quos in amore DEVS.
Qui omnes ore suo ornati, super astra coruscant,
Si sic discipuli, quid pia mater erit?
Hinc Patriarcharum numero sociante Prophetæ
Conueniunt celso munera ferre throno.
Martyrij hinc inde choros redemita coronis.
Principe cum Stephano ciuica turba poli.
Primitiæ florum, Bethlemitica passio lactans,
Quæ meruit nascens viuere morte magis.
Italiæ mundique caput quos Roma retentat,
Vrbs vel Alexandri, aut Antiochenus ager.
Quos Hyerosolymis, aut quos Byzantion oris,
Quos Patra, quos Ephesus, Naddauer arce tenet:
Quos oriens, occasus habet, quos Africa & Arctos,
Quosque sepultat humus, cingit & Oceanus.
Natio, gens, populus, regiones, agmina, reges,
Vndique currentes ad noua dona patris.
Æthiopes, Thraces, Arabes, Dacus, Indus, Alanus,
Aurora & vesper, Persa, Britannus adest.
Intrantes in regna Dei, pietate redempti,
Gaudia visuri regis in arce poli.
Quos recipit sacra porta Petri, quos ianua Pauli,
Postis ad Andrææ limen Achaia * petit.

B. Mariæ virginis cœlestis honor omnes exsuperans cœlitum aliorum.

* patet.

Matheus Æthiopes, Ephesinos valua Ioannis,
Et quem quisquis amat, hunc sua porta rogat.
Horum ante aduentum te qualiter ornat amator,
Portauit quem vterus virgo beata tuus?
Dans tibi larga poli, cui tu domus arcta fuisti,
Ventris pro hospitio restituendo thronum.
Componendo caput niueum diademate fuluo.
Et gemmis rutilam comit honore comam.
Annectens niueo preciosa monilia collo,
Fulgore & vario pectora pura tegens.
Quam speciosum humeris imponit honoris amictum,
Splendore ardescens purpura tincta nitet.
O quoties coctum zonæ micat aura per aurum,
Pallida nec pallæ est fimbria, luce nitens!
Quis tibi digna canat, quantum decus exeat ore,
Aut de veste tui gemma virore micet?
Quando strata iacet pedibus preciosa smaragdus,
Quando pauimentis alba Topazus adest.
Quodque oculus non vidit agens, non audiit auris,
Ornamenta tibi hæc pia virgo nitent.
Cum regio ergo poli, totusque exercitus astri
Te ornatam inspiciet, laudibus ora mouent.
B. Virginē Mariam laudant angeli.
Incipiens Michael præconia ferre beatæ,
Cumque suis turmis, hæc tibi virgo refert.
O decus excellens, ô fœmina forma salutis,
Partus fruge potens, virginitate placens.
Per quam est se nasci dignata redemptio mundi,
Et reparare genus, quod tulit Eua ferox.
Hanc tibi mater opem legionum millia mille,
Per classes resonant carmine, voce, lyra.
Angelus inde tuos repetit paranymphus honores,
Qui tibi de cœlis nuncia sancta vehit.
Dicens, ô felix imitari nescia virgo,
Cuius & agnus ouis, conterit ora lupi.
Tartara disrumpens, patriæ captiua reducens,
Et libertati post iuga pressa refers.
Excipit has iterum ingeminans pars altera laudes,
Perstrepit & cunctis vox reuoluta choris.
Sanctique ceteri.
Incipit inde alios producere terra fauores,

Zacha-

Zachariæ genitus vox,tuba,præco,ſonus.
Cum Petro & Stephano ducibuſque in millibus amplis,
Agminibus,mixtis plauſibus alta canens:
O virgo inſignis,benedicta ad gaudia nata,
Auxilium terræ,fulgor honorque poli.
Ecce tuus florens vterus quæ præſtitit orbi,
Te * generante,fide nos paradiſus habet. * pariente.
Quid ſumus aut fuimus? quos merſerat EVA profundum.
De limo in cœlum nos facit ire ſinu.
Laudibus his Domini genitrix fragor intonat aſtris,
Militiæque poli hæc tibi clangor agit.
Aſt ego ferre volens,videor ſubducere laudes, Poëtę peroratio.
Nam tibi quisque cupit voce fauere ſacræ.
Mens oret genitum,ſic matri digna loquatur,
Cuius amore pio viuis honore nouo.
Pulchra ſuper gemmas,ſplendorem ſolis obumbrans,
Alta ſuper cœlos, & ſuper aſtra nitens.
Vellere candidior niueo,rutilantior auro,
Fulgidior radio,dulcior ore fauo.
Suauior & roſeo nimium rubicundior oſtro,
Vincis aromaticas mentis odore comas.
Cara,benigna,micans,pia, ſancta,verenda,venuſta,
Flos,decus,ara,nitor,palma,corona,pudor.
Per quem omnes fines terræ meruere ſalutem,
Gaudet & orbs totus,pontus,harena,polus.
Hæc tibi qui, indignus quamuis corde,ore,ſuſurro,
Spes mihi ſis veniæ,quæ vehis orbis opem.

VI.

Ad Virgines.

INTER Apoſtolicas acies,ſacroſque prophetas,
Proxima martyribus præmia Virgo tenet.
Splendida ſidereo circumdata lumine pergens. Virginitatis eximia laus.
Iungitur angelicis caſta puella choris.
Fruge pudicitiæ cœli dotanda talento,
Æterni regis ducitur in thalamos.
Pulchra corona caput triplici diademate cingit, Aureolæ virginum circumlocutio.
Et gemmæ exornant pectora,colla,comam,
Induitur teneris ſuperaddita purpura membris,

Et candore niuis fulgida palla tegit.
Floribus æternis oculos rosa, lilia, pascunt,
Et paradisiacus naribus intrat odor.
Vnde magis dulcis hortamur vt ista requiras,
Quæ dedit Eugeniæ Christus & alma Teclæ.
Virgo Dei fructus cœli, victoria mundi,
Vt semper regnes, has pete regis opes.
Sunt ibi Chrysolithis fabricata palatia gemmis,
Atque Smaragdineo ianua poste viret.
Limina sardonychæ variato lumine florent,
Et Hiacynthęus circuit ordo domum.
Aurea tecta micant, plebs aurea fulget in aula,
Et cum rege pio turba corusca nitet.
Ille puellarum locus est, quæ lucis amore,
Hic seruant domino corpore, mente, fidem.
Despice quod terræ est, & clara sedebis in astris,
Christi vt sponsa placens regna superna colas.
Præsens vita nimis fugitiuo tempore transit;
Virginis integritas glorificanda manet.
Paupertas te parua rogat cum diuite Christo,
Vt venias nostro dulcis alumna sinu.
Quo patris auxilium domino obtentura preceris,
Atque tibi felix regna beata pares.
Vt pariter sanctæ merearis iuncta Mariæ,
Gaudia perpetuo concelebrare choro.
Has quæcunque pijs manibus susceperis arras,
Non nuptura homini, sed sis amata Dei.

VII.

Ad Domnam Radegundem.

REGALI de stirpe potens Radegundes in orbe,
Altera cui cœlis regna tenenda manent.
Despiciens mundum meruisti adquirere Christum,
Et dum clausa lates, hinc super astra vides,
Gaudia terreni conculcas noxia regni,
Vt placeas regi læta, fauente polo.
Nunc angusta tenes, quo cœlos largior intres,
Diffundens lacrymas gaudia vera metes.
Et corpus crucias, animam ieiunia pascunt,

Salue, quam dominus seruat amore suus.

VIII.

Ad eandem de violis.

TEMPORA si solito mihi candida lilia ferrent,
Aut speciosa foret suaue rubore rosa
Hæc ego rure legens aut cespite pauperis horti,
Misissem magnis munera parua libens.
Sed quia prima mihi desunt, vel soluo secunda,
Profert qui violas fert & amore rosas,
Inter odoriferas tamen has quas misimus herbas,
Purpureæ violæ nobile germen habent.
Respirant pariter regali murice tinctæ,
Et saturat foliis hinc odor, inde * color. *decor.
Hæc quod vtrumque gerit pariter habeatis vtraque
Et sit mercis odor flore perenne decus.

IX.

Ad eandem de floribus super altare.

FRIGORIS hiberni glacie constringitur orbis,
Totaque lux agri flore * cadente perit. * carente.
Tempore vernali, Dominus quo Tartara vicit,
Surgit * perfectis lætior herba comis. *perfecta. * aperta suis.
Inde viri postes, & pulpita floribus ornant,
Hinc mulier roseo complet odore sinum.
At vos non vobis, sed Christo fertis odores,
Has quoque primitias ad pia templa datis.
Texistis variis altaria festa coronis,
Pingitur vt filis floribus ara nouis.
Aureus ordo crocis violis, hinc blatteus exit,
Coccinus hinc rubicat, lacteus inde niuet.
Stat prasino venetus, pugnant & flore colores,
Inque loco pacis herbida bella putes.
Hæc candore placet, rutulo micat illa decore;
Suauius hæc redolet, pulchrius illa rubet:
Sic specie varia florum sibi germina certant,
Vt color hinc gemmas, thura reuincat odor.
Vos quoque quæ struitis hæc Agnes cum Radegunde,
Floribus æternis vester anhelet odor.

Ad

X.

Ad eandem pro floribus transmissis.

O Regina potens, cui aurum & purpura vile est,
Floribus ex paruis, te veneratur amans.
* est tamen.
Et si non res est color,* attamen ipse per herbas,
Purpura per violas, aurea forma crocus.
Diues amore Dei vitasti præmia mundi,
Illas contemnens, has retinebis opes.
Suscipe missa tibi variorum munera florum,
Ad quos te potius vita beata vocat.
Quæ modo te crucias, recreanda in luce futura,
Aspicis hinc qualis te retinebit ager.
Per ramos fragiles, quos nunc præbemus olentes,
Perpende hinc quantus te refouebit odor.
Hæc cui debentur, precor, vt cum veneris illuc,
Meque tuis meritis dextera blanda trahat.
Quamuis te spectet paradisi gratia florum,
Istæ vos cupiunt iam reuidere fores.
Et licet egregio videantur odore placere,
Plus ornant proprias te redeunte comas.

XI.

Ad eandem, cum se recluderet.

Mens fœcunda Deo Radegundis, vita sororum,
Quæ vt foueas animam membra domando cremas.
Annua vota colens, hodie claudenda recurris,
Errabunt animi te repetendo mei.
Lumina quam citius nostris abscondis ocellis,
Nam sine te nimium nocte premente grauor.
Omnibus exclusis vno retineberis antro,
Nos magis includis, quos facis esse foris:
Et licet hic lateas breuibus fugitiua diebus,
Longior hic mensis, quam celer annus erit.
Tempora subducis, ceu non videaris amanti,
Cum vos dum cerno hoc mihi credo parum.
Sed tamen ex voto tecum veniemus in vnum,
Et sequor huc animo, quo vetat ire locus.
Hoc precor, incolumen referant te gaudia paschæ,

Et nobis

Et nobis pariter lux geminata redit.

XII.

Ad eandem cum rediјt.

VNDE mihi rediјt radianti lumine vultus?
Quæ nimis abſentem te tenuere moræ?
Abſtuleras tecum, reuocas mea gaudia tecum,
Paſchalemque facis bis celebrare diem.
Quamuis incipiant modo ſurgere ſemina ſulcis,
Hic egomet hodie, te reuidendo, meto.
Colligo iam fruges, placidos conpono maniplos,
Quod ſolet Auguſtus menſis, Aprilis agit.
Et licet in primis modo gemma & pampinus exit,
Iam meus Autumnus venit, & vua ſimul.
Malus & alta pirus gratos modo fundit odores,
Sed cum flore nouo iam mihi poma ferunt.
Quamuis nudus ager nullis ornetur ariſtis,
Omnia plena tamen, te redeunte, nitent.

XIII.

Ad Gregorium Epiſcopum, pro infirmitate ſua.

VENIT ad ægrotum medici vox alma Gregori,
Vrbe ex Toronica, dum cubo rure thoro.
Concitè presbytero recitante Leone ſereno,
Item, vt Martini ſunt vbi feſta pij.
Tum, fateor, morbi graue debilitate laborans,
Febre calens ſummo, * iam rigor intus eram.
Hinc fragili nimium, forti languore, redacto,
Ilia laſſa leuans, halitus æger erat.
Ibat anhelanti vapor aridus ora perurens,
Ibat ab arcanis flatilis aura coquens.
Feruor eram totus, triſtis rogus igne caminus,
Febris & in fibris ſtabat aperta patens.
Donec Chriſtus opem ſudore vndante refudit,
Feruidus & gelidas ignis abegit aquas.
Redditur ipſa ſalus, pater alme, ſaluto ſalutem,
Auxilium exili ſis rogo paſtor oui.

* non. Febricitãtis habitus

XIV.

Ad eundem pro causa Abbatissa.

REPSIT quale nefas intra pia septa synaxis?
In consulte dolor rumpere verba vetas.
Quale nec ante oculos, patulas neque polluit aureis,
Nec facerent vitio qui sua fana colunt.
Tu tamen, alme pater, pietatis amore labora,
Vt sacer antistes culmina cuius habes.
Vnde repræsentes Martinum in tempore sacrum,
Cursibus atque fide dando salutis opem.

XV.

Epistola pro eadem re.

COMMENDANS humilitatem meam copiosissimæ vestræ dulcedini, & mitissimæ dominationi suggero, vt causa vniuersalis Ecclesiæ talem vos habens basidem, vt nullus ventorum turbo succlinans, nulla procellarum propellens congeries possit illic inuenire quod quatiat, aut quod labefaciet, reperiat: in causa qua conseruus meus presbyter præsentium portitor ad vos pro singulari præsidio confidens occurrit, sicut ipse singula poterit explicare. Memor sis commendationis beatæ Domnæ meæ filiæ, vel iam matris vestræ Domnæ Radegundæ pro loci sui, vel personæ, totiusque regulæ stabilitate quod petijt, & verborum vel viscerum supplicatione commisit, ita præcipiatis infatigabiliter laborare, qualiter ipse vobis in retributione sempiterna restituat, qui prouidet auxilium indigentibus. In causa * Iustinæ vester Apostolatus pastoraliter desudet.

* Iustitiæ.

XVI.

Ad eundem ex nomine Iustina.

ANTISTES Domini, bone pastor & autor honoris,
Ritè decus generis, quo est generosa fides.
Iustinam famulam pietate memento, beate,
Per te & commender stirpe vel arce patri.
Hinc referens grates auiæ, quia reddita tandem,
Ad vultus neptis dulcis imago venit.
Ista diu nostris votis dans gaudia rector,
Inter auam & neptem tu mediator agas.

XVII.

Ad eundem salutatoria.

ALME beate pater, lumen generale Gregori,
Iure sacerdotum culminis arce caput.
Reddo Deo grates de vobis prospera noscens,
Vestris nunc scriptis lætificatus agens.
Me quoque commendans humili prece voce saluto,
Iugiter officio quem mea corda colunt.

XVIII.

Ad eundem salutatoria.

SVMME pater, patriæ celsum & generale cacumen,
Forte decus, generis Toronicensis apex.
Lumen ab Aruernis veniens feliciter aruis,
Qui inlustrans populos spargeris ore pharus.
Alpibus ex illis properans mens altior ipsis,
Vir per plana sedens qui pia castra tegis.
Ne noceant hostes, qui sunt in ouile fideles,
Vnicus in campis publica turris ades.
Vir date dulce caput, regioni chare Gregori.
Martini retinet quem sacra sella patrem.
Me Fortunatum humilem commendo patrono,
Sic tua vita diu hoc sit in orbe Deo.

XIX.

Ad eundem salutatoria.

SI qua mihi veniet quotiens occasio dulcis.
Opto sacer calamo soluere vota meo.
Summe pater patriæ toto venerabilis orbe.
Vndique chare mihi, fulgida cura Dei.
Commendans humilem tibi me sacer arce Gregori,
Pro famulo proprio quæso precare Deum.

XX.

Ad eundem.

SI cessent homines velociter ire per Austros,
Ad te chare pater carmina missa velim.
Nunc tamen est, quoniam gerulus mihi porrigo verbum,

Sed minus eloquio, quam quod amore colo.
Dulcis, opime, decus nostrum, pie papa Gregori
Versiculis breuibus soluo salutis opus.
Sed memor ipse mei commenda quæso Tonanti
*throni. Sic te consocium reddat honore * throno.

XXI.

Ad eundem.

GVRGITIS in morem si lingua fluenta rigaret,
Turbine torrentis vel raperetur aquis.
Ad tua præcipuè præconia summa Gregori
Dum non explerem flumine, gutta forem.
Munificumque patrem æquaret nec Musa Maronis,
Fers bone quanta mihi quis valet ore loqui?
Ac breuitate sacer famulum commendo subactum
Me Fortunatum, sit veniale precor.

XXII.

Ad eundem pro villa præstita.

TRAMITE munifico celebrauit pagina cursum,
Carmine dulcifluo quam tuus edit amor.
In qua sorte loci facta est conlatio doni,
Qua Vigenna procax littore frangit aquas.
Lapsibus & tumidis dum fertur nauta carinis,
Iugera culta videt quando celeuma canit.
*repleto. Grates chare gero pietatis fruge * reperta,
Qui facis vnde decens multipliceturapex.
Et sine his mea sunt à te quæcunque tenentur,
*abit. *quem. Grex * habet omnis agris, * quod bone pastor habes.

XXIII.

Ad eundem precatoria pro ipso agro.

MVNIFICI reparans Martini gesta Gregori,
Texit vt ille habitu, nos alis ipse cibo.
Discipulus placidum sapiens imitando magistrum,
Ille vbi dux resider, miles habebis opem.
Vt chlamydem ille prius, sic tu partiris agellum,
Ille regendo potens, tuque fouendo decens.
Ille ope me antiquum releuans, tu chare nouellum,

Fit

Fit diues merito paupere quiſque ſuo.
Quando repoſcetur, veſtris redit vſibus aruum,
Et domino * proprio reſtituemus agrum.
Vnde amplas refero grates, dulciſſime rector,
Et repeto, pandens hæc tua, paſtor ouis.
Nec tantum reddo, quantum tibi debeo, præſul,
Pro Fortunato ſed rogo flecte Deum.

* propriū.

XXIV.

Ad eundem pro pellibus ſibi tranſmiſſis.

EGREGIO compacta ſitu, phalerata rotatu,
Atque Sophocleo pagina fulta ſopho.
Me arentem veſtro madefecit opima rigatu,
Fecit & eloquio, quod loquor, eſſe tuo.
Dulcis, chare, decens, facunde, benigne Gregori,
Atque pater patriæ hinc ſacer, inde cate.
Muneribus, meritis animis & moribus æquis.
Omnibus officiis, vnde colaris, habens.
Me Fortunatum tibi celſo ſterno puſillum,
Commendo & voto ſupplice rite tuum.
Cui das vnde ſibi talaria miſſa ligentur,
Pellibus & niueis ſint ſola tecta pedis.
Pro quibus à Domino detur ſtola candida vobis,
Qui datis hoc minimis, vnde feratis opes.

VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER NONVS.

I.

Ad Chilpericum regem, quando ſynodus Brinnaco habita eſt.

ORDO Sacerdotum venerandaque culmina Chriſti,
Quos dedit alma fides relligione patres.

Paruulus opto loqui regis præconia celsi,
Subleuet exigui carmina vester amor.
Chilperici regis nobilitas.
Inclyte rex armis & regibus edite celsis,
Primus & antiquis culmina prima regens.
* ades.
Rector * habes nascendo decus, moderando sed auges.
De radice patris flos generate potens.
Æquali serie vos nobilitando vicissim,
Tu genus ornasti te genus ornat aui.
Excepisti etenim fulgorem ab origine gentis,
Sed per te proauis splendor honore redit.
Te nascente patri lux altera nascitur orbi,
Nominis & radios spargis vbique nouos;
Gloriæ fama.
Quem præfert oriens Lybies, occasus, & arctus,
Quo pede non graderis, notus honore venis.
Quidquid habet mundus peragrasti, nomine princeps
Curris & illud iter, quod rota solis agit.
Cognite iam ponto & rubro pelagoque sub Indo,
Transit & Oceanum fulgida fama sopho.
Nomen vt hoc resonet, non impedit aura nec vnda
Sic tibi cuncta simul terra vel astra fauent.
Virtus.
Rex bonitate placens, decus altum, & nobile germen,
In quo tot procerum culmina culmen habent.
Auxilium patriæ, spes & tutamen in armis,
Fida tuis virtus, inclytus atque vigor.
Chilperici etymon.
Chilperice potens, si interpres barbarus extet,
Adiutor fortis, hoc quoque nomen habes.
Non fuit in vanum sic te vocitare parentes,
Præsagium hoc totum laudis & omen erat.
Iam tunc iudicium præbebant tempora nato,
Dicta priora tamen dona secuta probant.
In te dulce caput, patris omnis cura pependit,
Inter tot fratres sic amor vnus eras.
Agnoscebat enim te iam meliora mereri.
Vnde magis coluit, prætulit inde pater.
Eius res gestæ.
Præposuit genitor, cum plus dilexit alumnum,
Iudicium regis frangere nemo potest.
Auspiciis magnis creuisti, maxime princeps.
Hinc in amore manens plebis, & inde patris.
Sed meritis tantis subito sors inuida rerum

Pertur-

Perturbare parans regna quieta tibi.
Concutiens animos populorum,&fœdera fratrum,
Lædere dum voluit,prosperitate fauet.
Denique iam capiti valido pendente periclo,
Quando ferire habuit,reppulit hora necem.
Cum retinereris mortis circumdatus armis,
Eripuit gladios sors operante Deo.
Ductus ad extremum,remeas de funere vitæ,
Vltima quæ fuerat fit tibi prima dies.
Noxia dum cuperent hostes tibi bella parare,
Pro te pugnauit fortis in arma fides.
Prospera iudicium,sine te,tua causa peregit,
Et rediit proprio celsa cathedra loco.
Rex bone,ne doleas,nam te fortuna querellis
Vnde fatigauit,hinc meliora dedit.
Aspera tot tolerando diu modo læta sequuntur,
Et per mœrores gaudia nata metis.
Multimodas per opes seminans tua regna resumis,
Namque labore graui crescere magna solent.
Aspera non nocuit,sed te sors dura probauit, Victoria.
Vnde grauabaris,celsior inde redis.
Altior assiduis crescis,non frangeris armis,
Et belli artificem te labor ipse facit.
Fortior efficeris per multa pericula princeps,
Ac per sudores dona quietis habes.
Nil dolet amissum,te rege superstite, mundus,
Qui se seruarunt debita regna gradu.
Consuluit domui,patriæ,populoque creator,
Quem gentes metuunt te superesse virum.
Ne ruat armatus per Gallica rura rebellis,
Nomine victoris hic es & ampla * regis, * regis.
Quem Geta VVasco tremunt,Danus, * Estio,Saxo,Britannus, * Euthio.
Cum patre quos acie te domitasse patet.
Terror & extremis Frisonibus atque * Sueuis * Suebis.
Qui neque bella parant,sed tua frena rogant.
Omnibus his datus es timor illo iudice campo.
Et terrore nouo factus es altus amor.
In te rector habet regio circumdata murum,
Ac leuat excelsum ferrea porta caput.

Tu pa-

Tu patriæ radias adamantina turris ab Auſtro,
Et ſcuto ſtabili publica vota tegis.
Neu grauet hæc aliquis, pia propugnacula tendis,
Ac regionis opes limite forte foues.
Iuſtitia. Quid de iuſtitiæ referam moderamine, princeps:
Quo male nemo redit, ſi bene iuſta petit,
* in orbe. Cuius in * ore probo menſuræ libra tenetur,
Rectaque cauſarum linea currit iter.
Nec mora fit, vero falſus nihil explicat error,
Iudicijsque tuis fraus fugit, ordo redit.
Doctrina, & linguarum peritia. Quid? quoſcunque etiam regni ditione gubernas,
Doctior ingenio vincis, & ore loquax.
Diſcernens varias ſub nullo interprete voces,
Et generum linguas vnica lingua refert.
Erigit exiguos tua munificentia cunctos.
Et quod das famulo, credis id eſſe tuum.
Qualiter hinc itidem tua ſe præconia tendunt,
Laudis & hoc cumulo concutit aſtra fragor.
Cui ſimul arma fauent & littera conſtat amore,
Hinc virtute potens, doctus & inde places.
Inter vtrumque ſagax armis & iure probatus,
Belliger hinc radias, legifer inde micas.
De virtute pater, reparatur auunculus ore,
Doctrinæ ſtudio vincis & omne genus.
Poëſis. Regibus æqualis de carmine maior haberis,
Dogmate vel qualis non fuit ante parens.
Te arma ferunt generi ſimilem, ſed littera præfert,
Sic veterum regum par ſimul atque prior.
Admirande mihi nimium rex, cuius opimè
Prælia robur agit carmina lima polit.
Legibus arma regis, & leges dirigis armis,
Artis diuerſæ ſic ſimul itur iter.
Diſcere ſi poſſit rector tua ſingula quiſquis,
Ornarent plures, quæ bona ſolus agis.
Sed tamen hæc maneant, & creſcant proſpera vobis,
Et liceat ſolio multiplicante frui,
Coniuge cum propria, quæ regnum moribus ornat,
Principis & culmen participata regit.
Prouida conſilijs, ſollers, cauta, vtilis aulæ,

Ingenio

Ingenio pollens, munere larga placens.
Omnibus excellens meritis, Fredegundis opima,
Atque serena suo fulget ab ore dies.
Regia magna nimis curarum pondera portans,
Te bonitate colens, vtilitate iuuans.
Qua pariter tecum moderante palatia crescunt,
Cuius & auxilio floret honore domus.
Quærens vnde viro duplicentur vota salutis,
Et tibi mercedem de Radegunde facit.
Quæ meritis propriis effulget gloria regis,
Et regina suo facta corona viro.
Tempore sub longo hæc te fructu prolis honoret,
Surgat & inde nepos, vt renoueris auus.
Ergo creatori referatur gratia dignè
Et cole rex regem, qui tibi præbet opem.
Vt seruet cumuletque bonum, nam rector ab alto.
Omnia solus habet, qui tibi multa dedit.
Da veniam victor, tua me præconia vincunt,
Hoc quoque quod superor, fit tibi maior honor.
Paruulus opto tamen sic prospera vota secundet,
Vt veniant terris hæc pia dona polis.
Aëra temperie faueant tibi, tempora pace,
Frugibus arua micent, fœdera regna ligent.
Edomites omnes, tuearis amore fideles,
Sis quoque Catholicis relligionis apex.
Summus honor regis, per quem donantur honores,
Cui longæua dies constet, & alma fides.
Regibus aurum alij, aut gemmarum munera soluant,
De Fortunato paupere, verba cape.

Fredegundæ reginæ laus.

II.

Ad Chilpericum Regem & Fredegundem reginam.

ASPERA conditio & sors irreuocabilis horæ,
Quod generi humano tristis origo dedit.
Cum suadens coluber proiecit ab ore venenum,
Morsu & serpentis mors fuit Eua nocens.
Sumpsit ab ipso ex tunc Adam patre terra dolorem,
Et de matre gemens mundus amara capit.
Præuaricando duo probro damnantur acerbo

Moriendi necessitas.

Inductio-

ne priscorum mortalium.

Ille labore dolet, hæc generando gemit.
Mors venit inde vorax transmissa nepotibus ipsis,
Hæredesque suos tollit origo nocens.
Ecce hoc triste nefas nobis genuere parentes,
Cœperat vnde prius, hinc ruit omne genus.
Primus Abel cecidit miserando vulnere cæsus,
Ac fraterna sibi sarcula membra fodent.
Post quoque Seth obijt sub Abel vice redditus idem,
Et quamuis redijt, non sine fine fuit.
Quid Noë memorem laudatum voce Tonantis,
Quem leuis arca tulit, nunc grauis arca premit.
Sic quoque Sem & Iapheth patrum iustissima proles,
Sancta & progenies tale cucurrit iter.
Quid patriarcham Abraham, vel Isaac, Iacob quoque dignos,
Cum de lege necis nemo solutus adest.
Melchisedech etiam Domini sacer ore Sacerdos,
Iob quoque ceu geniti sic abiere sui.
Legifer ipse iacet Moses Aaronque sacerdos,
Alloquijsque DEI dignus amicus obit.
Successorque suus populi dux inclytus Iesus
Qui legis libris occubuêre patres.
Quid Gedeon, Samson, vel quisquis in ordine iudex
Mortem sub Domino iudice nemo fugit.
Israëlita potens Dauid Rex atque Propheta,
Est situs in tumulo cum Salamone suo.
Esaias, Daniel, Samuel, Ionasque beatus
Viuens sub pelago, stat modo pressus humo.
Princeps claue Petrus, primus quoque dogmate Paulus,
Quamuis celsæ animæ, corpora terra tegit.
Semine ab humano cui nullus maior habetur
Vir Baptista potens ipse Ioannes obit.
Enoch, Heliasque hoc adhuc spectat vterque,
Qui satus ex homine est & moriturus erit.

Ab ipsius Christi Domini morte.

Ipse creator ouans surgens cito Christus ab vmbris,
Hic quia natus homo est, carne sepultus humo.
Quis rogo non moritur, mortem gustante salute?
Dum pro me voluit hic mea vita mori?
Dic mihi quid poterunt Augusti & culmina Regum
Membra creatoris cum iacuêre petris?

Brachia

Brachia non retrahunt fortes, neque purpura Reges,
Vir quicunque venit puluere, puluis erit.
Nascimur æquales morimurque æqualiter omnes,
Vna ex Adam est mors, Christus & vna salus.
Diuersa est merces, funus tamen omnibus vnum,
Infantes, iuuenes, sic moriere * senex.
Ergo quid hinc facimus, nunc te rogo celsa potestas,
Cum nihil auxilij possumus esse rei:
Ploramus, gemimus, sed nec prodesse valemus,
Luctus adest oculis, est neque fructus opis.
Viscera torquentur, lacerantur corda tumultu,
Sunt cari extincti, flendo cadunt oculi:
Ecce vocatur amor, neque iam reuocatur amator,
Nos neque iam rapetit, quem petra mersa tegit.
Quamuis clamantem refugit mors surda, nec audit,
Nescit in affectum dura redire pium.
Sed nolo atque volo migrabo cum omnibus illuc,
Ibimus hinc omnes, nemo nec inde redit.
Donec aduentu Domini caro mortua viuat,
Surgat & ex proprio puluere rursus homo.
Cœperit vt tegere arentes cutis vda fauillas,
Et viui cineres de tumulis salient.
Ibimus ergo omnes alia regione locandi,
Ibimus ad patriam, quos peregrina tenent.
Ne cruciere igitur pie Rex, fortissime princeps,
Quod geniti pergunt, quo petit omnis homo.
Quale placet figulo vas fictile, tale paratur,
Quando placet figulo vasa soluta ruunt.
Quod iubet Omnipotens, non possumus esse rebelles,
Cuius ad intuitum sydera, terra tremunt.
Ipse creat hominem, quid dicere possumus, idem
Qui dedit & recipit, crimina nulla gerit.
Illius ecce sumus figmentum, & spiritus inde est,
Cum iubet hinc imus qui sumus eius opus.
Si libet, in hora montes, freta, sidera mutat,
Cui sua facta fauent, quid homo fumus agit?
Rex, precor, ergo potens age quod tibi maxime prosit,
Quod prodest animæ cum deitatis ope.
Esto virile decus, patienter vince dolores,

Consolatio ad Regem.
* senes.

Ab ineuitabili.

A sp: immortalitatis.

Quod non vitatur, vel toleretur onus.
Quod trahimus nascendo sine hoc non transiit vllus,
Quod nemo immutat vel ratione ferat.
Chilpericum Reginam iubet consolari. Consul eas Dominæ Reginæ & amantis amatæ,
Quæ bona cuncta capit te sociante sibi.
Materno affectu placare iubeto dolentem,
Nec simul ipse fleas, nec lacrymare sinas.
Te regnante viro, tristem illam non decet esse,
Sed magis ex vestro gaudeat alta toro.
Deprecor hoc etiam vitam amplam coniugis optans,
Consul eas genitæ, consul eas patriæ.
Talis erit populus, qualem te viderit omnis,
Deque tua facie plebs sua vota metit.
Exemplo Iobi. Denique Iob natos septem vno triste sub ictu,
Amittens, laudes rettulit ore Deo.
Dauidis. Dauid psalmographus genitum cum amisit amatum,
Mox tumulo posuit, prandia festa dedit.
Machabæorum. Fœmina bis fœlix pia mater Machabæorum,
Natos septem vno funere læta tulit.
Prompta adiens Domino semper tibi gloria Rector.
Cum vis summe pater pignora mater habet.
Vnde Deo potius refertur gratia nostro,
Infantes à baptismo funere succisi. Germine de vestro qui facit ire polo.
Eligit & gemmas de mundi stercore pulchras,
De medioque luto ducit ad astra throno.
Messis vestra Deo placuit, quam in horrea condit,
Dum spicis teneris dulcia grana metit.
Non paleas generas, frumenta sed integra gignis,
Nec recremanda focis, sed recreanda polis.
Præsertim qui sic sancto baptismate puri,
Hinc meruere rapi, fonte lauante, noui.
Stantes ante Deum velut aurea vasa decoris,
Aut quasi candelabris pulchra lucerna nitens,
Immaculatæ animæ, radiantes semper honore,
Viuorum retinent in regione locum.
Inque domo Domini plantati lumine vernant,
Candida ceu rubeis lilia mixta rosis
Iusserit & Dominus cum membra redire sepulta,
Vestibit genitos tunc stola pulchra tuos.

Aut pal-

Aut palmata chlamys rutilo contexta ſub auro,
Et variis gemmis frons diadema geret.
Vtentes niueam per candida pectora pallam,
Purpureamque togam fulgida zona ligat.
Tunc Pater & genitrix mediis gaudebitis illis,
Cum inter ſidereos cernitis eſſe viros.
Eſt tamen omnipotens Abrahæ qui ſemen adauxit,
Vobis atque dabit Iob quod amore dedit.
Reſtituens numerum natorum germine digno,
Progeniemque refert nobilitante fide.
Qui in ſolium Dauid Salamonis contulit ortum,
Pro * vice germani cum redit ipſe patri.
Ille tibi poterit de coniuge reddere natum,
Cui pater adludat, vbere mater alat.
Qui medius veſtri reptans per colla parentum,
Regibus & patriæ gaudia longa paret.

* nece.

III.

Ad eoſdem.

POST tempeſtates & turbida nubila cœli,
Quo ſolet infeſto terra rigere gelu.
Poſt validas hiemes, ac triſtia frigora brumæ,
Flamine ſeu rapidi rura grauante Noti.
Succedunt iterum vernalia tempora mundo,
Grataque poſt glaciem prouocat aura diem.
Rurſus odoriferis renouantur floribus arua;
Frondibus arboreis & viret omne nemus.
Dulce ſaporatis curuantur robora pomis,
Et, redeunte ſibi gramine, ridet ager.
Sic quoque iam Domini poſt triſtia damna dolentes,
Vos meliore animo lætificate, precor.
Ecce dies placidi reuocant paſchalia Chriſti,
Orbs quoq; totus item per noua vota fremit.
Gaudia plus faueant per celſa palatia regum,
Et per vos famuli feſta beata colant.
Omnipotens vobis noſtra addat morte ſalutem,
Atque diu patriam culmina veſtra regant.

Triſtibus læta ſuccedunt.

IV.

Epitaphium Chlodoberti.

* Super sepulchrum domni Chlod.

FLERE mouent populum crudelia funera regum,
Cum caput orbis humo mæsta sepulchra tegunt.
Hoc igitur tumulo recubans Chlodobertus habetur,
Qui tria lustra gerens raptus ab orbe fuit.
De proauo veniens Chlodouecho celsa propago,
Chlodtharijque nepos, Chilpericique genus.
Quem de Regina sumpsit Fredegunde iugali,
Auxerat & nascens Francica vota puer.
* Quo. *Quem, patris & patriæ dum spes adolesceret ampla,
Accelerante die, sors inimica tulit.
Sed cui nulla nocent queruli contagia mundi,
Non fleat vllus amor, quem modo cingit honor
Nam puer innocuus, viuens sine crimine lapsus
Perpetui regni se fauet arce frui.

V.

Epitaphium Dagoberti.

DVLCE caput populi Dagoberte, perennis amore,
Auxilium patriæ, spes puerilis obis.
Germine regali nascens generosus & infans,
Ostensus terris, mox quoque rapte polis.
Belligeri veniens Chlodouechi gente potenti,
Egregio proaui germen, honore pari.
Regibus antiquis respondens nobilis infans,
Chilpericique patris vel Fredegunde genus.
Te veneranda tamen mox abluit vnda lauacri,
Hinc licet abreptum lux tenet alma throno.
Viuis honore ergo, & cum iudex venerit orbis,
Surrecturus eris fulgidus, ore nitens.

VI.

Ad Gregorium Episcopum pro metris Sapphicis.

POLLENTE eloquio peruenit epistola cursu,
Sed voluit voto tarda venire meo.
Nec tamen offendit, quamuis remorata requirit,
Quem tenet astrictum mente ligante virum.

Cum

Cum cupiam talem, qualis fuit ille Nazanzo
Gregorium vt repares dogmate, sede parens.
Quæque iniunxisti, pater, ecce poëmata misi,
Et mihi proficient, si tibi, chare, placent.
Hoc mandas etiam quo Sapphica metra remittam,
Da veniam, modici dum seges * vrget agri. *vrguet.
Dum meto, da spatium: tibi mox parere parabo,
Si saturer fructu, fors meliora cano.
Condere si valeo, cum metro mitto libellum,
Quæ cape tu voto, * quo tibi dictat amor. *quod.

VII.

Ad eundem in ipso metro.

CORDE iucundo, calamo venusto,
Litteras mittis, cupiente voto
Blanda conscribens seriæ salutis
Care Gregori.
Exigens nuper noua me mouere
Metra, quæ Sappho cecinit decenter,
Sic Dioneos memorans amores,
Docta puella.
Pindarus Graius, meus inde Flaccus
Sapphico metro, modulante plectro,
Molliter pangens citharista, blando
Carmine lusit.
Cur mihi iniungis * Lyricas melodas, *Lyricos melodos.
Voce qui rauca modo vix susurro,
Eloqui cordis mea dextra nescit
Pollice dulci.
Qui vel hæc olim mihi si fuissent
Nota, prudentum docili Camœna
Per tot oblitus fueram benignam
Tempora Musam.
Cum labor doctis sit, vt ista pangant,
Dogma nec quisquam * sapienter intrat. *rapiĕter.
Et satis constet resonare paucis
Metra poëtis.
Non leue est nautæ rate transfretare
Vincere aut vastum pelagus natatu,

Vix

Vix procelloso repetunt sub Austro
Carbasa portum
Arduum nobis iter,& profundum,
Quo iubes pergi,tamen ibo votis,
Si minus possum pedibus viare.
Ducor amore.
Præstitit,pastor,tua mî voluntas,
Codicem farsum tumido cothurno,
Quemque paupertas mea vix valebat
Tangere sensu.
Regiis verbis humili repugnat,
Diuites versus inopi recusans
Et mihi Mopso referare nolens
Docta sophistis.
Disputans multum variante miltho,
Quæque sunt rythmis vel amica metris
Sapphicum quantum * tua me arua adornent
Dulcis Epodus.
Multus autorum numerus habetur,
Plura dicentum modulo canoro,
Quæ volens isto memorare metro
Nomina frango.
Maxime qui nunc resolutus à te,
Postque bis denos loquor istud annos,
Clara quod scripsit citharam terendo
Lesbia virgo.
Scire qui vult hæc,Libycas arenas
Ante per littus numerare tentet,
Cuncta quam metris ratione cauta
Carmine cingat.
Nam moras feci,remoratus ipse,
Pluribus causis modo hinc & inde
Nec vacans legi placida quiete
Dulce sophistæ.
Scito nam pastor,nec adhuc cucurri
Ordinem totum relegens libelli.
Sed satis,crede est,satis est amanti
Sola voluntas.
Ergo, laxatus celeri volatu,

* Tome. An Tomus hæc forte exilij Nasonis.

Ad

Ad patrem ſacrum, comitante voto,
Et ſibi noſtrum renouans amorem
Perge libelle.
Forte non poſſum piger ire greſſu,
Quo vocat blandus meus ille vultus,
Inuicem noſtram, rogo te, Libelle,
Redde ſalutem.
Sit memor fili, pater ore dulci,
Hunc precans, qui nos, mare, & aſtra fecit.
Ac pijs votis bene ſe colentem
Pectore ſeruet.
Fœminæ caræ ſibi mente nexæ.
Quem colunt Agnes Radegundes idem,
Sicut expoſcunt, vice filiarum
Solue ſalutem.
Adde Iuſtinam pariter precantem,
Nempe commendans famulam propinquam,
Et refer, quantum ſibi cara profert
Neptis honorem.
Hæc tibi promptus prece, voce, mente,
Soluo vix implens, ego pauper arte.
Sed tamen largo, refluens amore
Care Gregori.

VIII.

Ad BaudoVValdum Epiſcopum.

SVMME ſacerdotum bonitatis opima facultas,
Culmen honore tuo, lumen amore meo.
Officijs venerande ſacris, pietatis alumne,
Pignore amicitiæ corde tenende meo.
Florens in ſtudijs, & Sacra in lege fidelis,
Semper agens animæ dona futura tuæ.
Te pater ergo precans, terram, freta, ſidera, teſtor,
Vt velis ore ſacro me memor eſſe tuum.

IX.

Ad Sidonium Moguntiacenſem Epiſcopum.

REDDITA ne doleas felix Maguntia caſus;
Antiſtes redijt, qui tibi ferret opem.

In omnibus Mss. hæc lacuna.

Ne mœrore graui lacrymans orbata iaceres
Te meruisse fame ————————
Porrigit ecce manum genitor Sidonius vrbi;
Quo renouante loco prisca, ruina perit.
Iura sacerdotij sacro moderamine seruans;
Per cuius studium creuit & ipse gradus.
Parturis assidue grauidos Ecclesiæ fructus,
Quamuis Apostolico vinctus amore regis.
Suscipit heredes cœlesti germine natus,
Tali nupta viro quando marita placet,
Te vigili custode, lupus non diripit agnos,
Te pascente gregem, non ouis vlla perit.
Cautius in toto per mitia pascua ducis;
Toxica ne noceant, florea rura paras.
Sis cibus vt populi, placide ieiunia seruas;
Et satias alios, subtrahis vnde tibi.
Nudos veste tegis, * captiuis vincula soluens,
Deposito reddens libera colla iugo.
Exulibus domus es, & esurientibus esca,
Felix cui Christus debitor inde manet.
Te doctrina probum, prouidentia sacra modestum
Fecit, & eloquio vincere mella tuo.
Templa vetusta nouans, specioso fulta decore,
Inseris hinc populis plus in amore Deum.
Vt plebem foueas, & Rheni congruis amnes,
Quid referat terris, qui bona præbet aquis?
Hîc quod fana micant, & instaurata quod extant,
Viuis in æterno laude fluente tibi.
* Hac cresces longos meritorum fruge per annos,
Et crescente diu de grege vota, feras.

S. Sidonij, episcopo dignæ virtutes.

* captorũ.

* Hic longos vigeas.

X.

Ad Rhagnemundum Episcopum.

Rucco & Rhagne Teudiscis forte idem

SVMME pater patriæ, dulci mihi lumine Rucco.
Interiora mei cordis amore tenens:
Quidquid amicitiæ veteris collegimus ambo,
Crescit in affectum semper, opime, meum.
Nam mihi nulla meos obliuio tollit amantes;
Ante sit extremum, quam mihi desit amor.

Vnde,

Vnde, beate pater, properans dependo ſalutem,
Optans longinquo te ſupereſſe gradu.
Hinc etiam genitæ reddunt tibi pectore grates
Munere pro niueo, marmore de Pario.
Quæ quotiens epulæ diſco tribuuntur in illo,
In doni ſpecie te pietate vident.
Nam pro gemmarum ſerie tibi reddat honorem,
Cui data proficiunt, crux veneranda throno.

XI.

Ad Droctoueum Abbatem.

VIR venerande, ſacer meritis, & honore colende,
Droctouee mihi ſemper amore pater.
Qui de diſcipulis Germani iure beati
Norma magiſterij factus es ipſe ſui.
Cuius pontificis ſacra per veſtigia currens,
Deſpicis hunc mundum, dum cupis ire polo,
Perge libenter iter cœli, manſurus in orbem,
Et pro me famulo, quæſo, precare Deum.

XII.

Ad Faramundum Referendarium.*

* Pharamodum.

DVLCIS amice mihi, memorabile nomen amantis,
Promptus in officiis, vir Faramunde, bonis.
Si non ipſe adij, te pagina miſſa ſalutet,
Soluat & obſequium, quod minus ipſe gero,
Commendeſque libens dominis me regibus, oro,
Et referas grates pro pietatis ope.
Impenſo affectu me pagina veſtra requirat,
Hoc remeante tamen, redde benigne vicem.

XIII.

Ad Lupum & VValdonem Diaconum.

CORDE parentali iugi pietate colendi,
Hinc Lupe blande mihi, Waldo vel inde ſacer.
Vt bonitate pari ſimul eſtis honore miniſtri,
Sic mihi conſimili ſemper amore rati.
Quod valeo, facio, abſens dependo ſalutem.
Si non poſſum oculis, vos peto litterulis.

Pontifici summo nos commendate precamur.
Regibus & dominis ferte salutis opes.
Droctoueo, dulci clero, & conciuibus, oro
Quod præsens facerem, vos adhibete vicem.
Mummulus egregius veneretur, Cæsareusque
Et Constantino me memorate meo.

XIV.

*De *basilica sancti Laurentij.*

* De basilicæ S. Laurentij trabe.

LAVRENTI merito flammis vitalibus vste,
Qui feruente fide victor ab igne redis.
Vir dilecte Deo, terreno in corpore quondam,
Tunc quoque sydereus iam tibi sensus erat.
Qui potuisti oculos tactu reuocare sepultos,
Rursus & in vacua fronte referre diem.
Luminis extinctas iterum accendisse lucernas,
Credimus hæc signo te faciente crucis,
Addita nunc etiam populis miracula præstas,
Et fidei tribuis indubitanter opem.
Dum tua templa nouant, breuiori robore, plebes,
Creueruntque trabes, creuit & alma fides.
Stipite contracto tua se mercede retendit,
Quantum parua prius, postea cæsa fuit.
Crescere plus meruit succisa securibus arbor,
Vt didicit sicca longior esse coma.
Vnde recisa fuit, populis fert inde salutem,
Si venit intrepidus, lumina cæcus habet.
Tu leuita sacer, pœna purgate fideli,
Vnde prius flammas, hinc modo lumen habes.
* Visa ita temporibus venerandi antistitis acta
Sed tamen æterno sunt memoranda die.

* Visura.

XV.

De domo lignea.

CEDE parum paries lapidoso structe metallo,
Artificis merito præfero ligna tibi.
Æthera mole sua tabulata palatia pulsant,
Quo neque prima patet consolidante manu.
Quidquid saxa sablo, calces, argilla tuentur,

Singu-


Singula sylua fauens ædificauit opus.
Altior *innititur quadrataque porticus ambit,
Et sculpturata lusit in arte faber.

*immitior.

XVI.

Ad Chrodinum ducem.

INCLYTE dux meritis totum vulgate per orbem,
Quem nimis egregium splendida fama refert.
Non ego prætercam præconia celsa, Chrodine,
Ne videar solus magna silere bonis.
Itala terra tibi, pariter Germania plaudunt,
Laus tua cunctorum semper in ore sonat.
Clarus ab antiquis digno generosior ortu,
Regibus & patriæ qui placiturus eras,
Tutoremque alij, nutritoremque fatentur.
Et fit certamen de pietate tua.
Vt habeant alij, nulli tua dona recusas,
Tu tibi plus auges, quas bene fundis opes.
Cui possis præstare, lubens exquiris, & optas,
Vt sis apud cunctos, hoc facis esse tuos.
Es generale bonum, nulli grauis, omnibus æquus,
Iustitiæ socium nulla rapina tenet.
Mitis in alloquio, placidus, gratus atque modestus,
Omnia cui data sunt, vt decus omne geras.
Gentibus adstrictus, Romanis charus haberis,
Felix qui populis semper in ore manes.



VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER DECIMVS.

I.

*Dominicæ.

Expositio orationis * Domini.



Anta pietatis profunda misericordia, filij dilectissimi, circa genus humanum nostri patuit Saluatoris, qua nos ereptos de concatenatis mundi naufragijs ad portum perpetuę detulit libertatis; vt nec verbis exequi, neq; lingua patefieri, neque ipsa valeant cogitatione pulsari; cui parum videbatur de limo * quem cōdidit, * quem cruore redemit, * quem baptismo renouauit, nisi ad salutis cumulum, mens nostra ne lapsum ignoranter incurreret, * instrueretur etiā qualiter exoraret. Ne si non docuisset quemadmodum deberemus iustas voti preces offerre, essemus aut certè temerarij, aut erroris nube confusi, & nesciendo, quæ petere oporteret magis admitteremus peccatum, quam purgaremus admissum, & vnde * sperabamus posse venire suffragium, videremur incurrere detrimentum, cum de oratione incondita fieret periculi plus caussa, quam voti. Inde retinentes eius mysteria, & quam multa sint in breuitate collata, propter ædificationem Ecclesiæ paucis docemus explicare, quia tunc nobis melius placebunt auditu, cum patuerint intellectu. Itaque ad ipsum veniamus sanctæ orationis sermonem.

*** quod * instrueret.

*Spectabamus.

Pater noster qui es in cælis.

Isaiæ c.45. *in raucoglos.corde

Ecce vox Domini prædicantis; de quo propheta dicit. *Nubes pluant iustum*; arcanæ scientiæ lumen effudit: & vt * nostram ariditatem sermonis imbre reficeret, veluti fons aquæ salientis erupit. Quis enim tantum secretum mysterij cœlestis hominibus reuelaret, aut hoc doceret vel pręsumeret vel sciret? Nunquid Abraham, Moses, propheta vel angelus? imo * nullus nisi Vni-

* deest Mss.

nisi Vnigenitus, cui soli in maiestatis plenitudine pater est notus: nam reliqui tantum meruerunt de DEo in terra cognoscere, quantum ipse de cœlo voluit ministrare. Filius enim, in quo pater est totus vnitate substantiæ, non confusione personæ, subiectum habebat hoc nosse, non alterius munere, sed potestate naturæ. Ergo dicendo, *Patrem nostrum esse in cœlis*, peregrinationem nobis significat, dum sumus in terris, iuxta illud. *Incola sum ego in terra.* Vnde videtur instruere, vt ad excelsa iugiter animum eleuantes, ea Deo tribuente, festinemus peragere, quæ nos in æternæ vitę beatitudinem placato patre, Christo duce, faciant introire; & promissa præmia sic filij valeant obtinere: * veruntamen audito Deo *patre* nullus tam crudelis sit filius, vt non festinet ad veri genitoris amplexus. Item congrue *Pater noster*, quia homo renascendo per baptismum, effectus est Dei filius, qui per præuaricationem factus fuerat inimicus & perditus. ergo cuius gratia fruitur, iam patrem libere confitetur. Sed licet non simus de eo patre sic filij quo modo persona Domini nostri Iesu Christi, quia ille de ipsius natus est substantia, nos autem dignatus est creare de terra: attamen per gratiam vnigeniti nos effici meruimus adoptiui & ideo qui in Ecclesia Catholica ex aqua & spiritu sancto nascitur, inter Dei filios computatur. Item *Pater noster* qui est in cœlis, in hac confessione & Deum veneramur, & mandata sequimur, & fidem nostram exponimus, & eos qui patrem in cœlis denegant, refutamus. Item dicendo, *Pater noster*, habemus quod in ipso diligere; & agnoscendo Deum, habemus pariter quem timere debeamus. Timeamus ergo * quoniam iustus est: amemus quoniam pius est, ne quod ille solicitè contulit, nos velimus perdere negligenter, & diuina beneficia nostro sint excessu calcata. Quisquis ergo *Patrem* illum appellat, sicut decet filium, sic vitam suam immaculatè dispenset, quia ipse est filius, qui non contribulat genitorem; non exasperat cohæredem, fratris charitatem non violat, testamentum conditoris non dissipat, sequitur monita, festinat implere mandata; quod si recalcitrauerit, proiectus contumaciter de possessione discedit; nec aliqua iam fronte hæreditatem repetit, quem admissi culpa damnauit. Vnde qui ad Deum patrem venimus, Christi fratres dicimur, si in peccati crimine non versemur: nam amittit nomen filij, qui fuerit seruus peccati. Quod autem non singulariter *Pater meus, sed Pater noster* dicimus, ad hoc pertinere cognoscitur, vt nullus pro se tantum, sed generaliter pro omnibus misericordem Dominum deprecetur; quatenus ab hoste perfido cuncti pariter liberentur. Omnes enim, qui in Ecclesia conueniunt, eodem se muro concludunt; quoniam etsi multa membra sunt; tamen in vno Christi corpore continentur; & ideo qui simul iunguntur in templo, separari non debent nec in voto: quia sicut in membris

quibusdã.

*vnde.

*quod.

1. Corint. c. 12.

nostris

nostris aspicimus, qualiter humerus humero, manus manui, pes pedibus subueniunt, ita congruum creditur, vt monitis, orationibus, lachrymis nobis ipsis à nobis inuicem succurratur: propter illud; *Inuicem onera vestra portate.* Denique frequenter alter pro alterius crimine confidenter obtinet, qui pro se suggerere, confunditur ex pudore, quia in suo facinore verecundia nihil præsumet. Ergo vnusquisque supplicet pro omnibus in commune, quoniam sicut in se diuisa domus non stabit, sic vnita ruinæ non subiacet. Et bene auctor Dominus pacis sic docuit, vt quidquid vnus peteret, omnibus videretur proficere. Item bene *pater noster* additur, quia nisi quis rectè credat in Christo, non potest habere patrem in cœlo: non est enim ipse pater Ariano, Iudæo, Photino, Manichæo, Sabellio, & reliquis pestibus veneno praui cordis infectis, & pessimæ confessionis falce succisis, qui de filio, quem iniustè Deo patri nostro conati sunt inæqualem facere, cæcati recesserunt, ex patre suo diabolo* fructum carnis recipiũt. Et ideo nobis pater in cœlis est, qui rectè filium confitemur in terris.

Gal. 6.

* furore carnati.

Sanctificetur nomen tuum.

VIGILANTER considerandum est, quid in hoc vocabulo admonitio diuina significet, dicendo *Sanctificetur nomen tuum.* * non quod aliquid inueniatur superius, quo Deus pater sanctificari valeat; aut quasi nos videamur aliquid illi orando præstare; cum magis ipse sanctificet: *Sed sanctificetur*, id est, benedicatur *nomen tuum* incessanter omnibus linguis, vniuersis in locis, vtpote cuius dona sunt, hoc ipsum, quod respiramus & viuimus *Sanctificetur nomen tuum.* Deus cum omnium sit elementorum concentu laudandus, & sanctus, vt in nobis nomen eius sanctificetur, id est, firmiter teneatur, optamus, & in ea, qua nos abluit baptismi sanctitate, viuamus. Ergo in hoc tempore non nouam sanctificationem requirimus, sed quam incontaminatam percepimus, hanc vt sine vitij macula conseruemus. Nam in homine fructus bonæ conuersationis sanctificatio Dei est. Hoc quoque ordine *nomen eius rectè sanctificari dicimus*, vt si quis dono diuinitatis vitam videat nobis esse synceram, gratias largitori referat, & in nostris operibus sanctum nomen eius extollat: quoniam rectè omnis laus illi redditur, à quo vota complentur. Item *sanctificetur nomen tuum*: quia ipsa oratione non continetur expressum, *in nobis sanctificetur nomen tuum*, videmur non tantummodo pro nobis optare, vt sanctificetur nomen eius, sed & pro illis, qui necdũ meruerunt ad baptismi gratiam peruenire, nã in Christi plenissima charitate docemur etiã pro inimicis orare; quia ipse non amicos & fideles, sed aduersarios suos & culpabiles de mortis carcere liberauit.

* numquid inuenitur superior, à &c. erotematicè.

Adueni-

Adueniat regnum tuum.

DVBITARI non licet, Dominum Deum semper & hic & vbique regnare; nec aliquando de regni sorte sanctam Trinitatem sumpsisse principium, nec *habere fine claudendum; cum reuera apud Deum stabilitate sua tempora non mutentur, cui nec sol occidit, nec nox in * vicem succedit, sed cum dicimus, *Adueniat regnum tuum*, non vt illi aliunde obueniat, id est, vt ei regnum præstet superior persona, sed vt illud nobis adueuiat per mediatorem Christum, poscimus repromissum; vt cum illo regnemus liberi, qui in mundo semper * viuimus sub lege peccati. Ipse enim postulauit à patre dicens, *Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum*; & alibi: *Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno patris eorum.* Denique ob hoc euacuauit Tartaros, vt repleat cœlos. Ergo hac ratione precamur, vt *regnum eius adueniat*: non vt ipse quod possidet, hoc acquirat, sed quod est nobis pollicitus, vt persoluat. Potest & sic intelligi, *Adueniat regnum tuum*, id est, adueniat in corde nostro regni tui sincerum desiderium, vt possimus diaboli vincere blandimentum: tunc enim in nobis serpentina falsitate subdolus hostis non præualet, quando nos constanter respicit diuini regni desideria concepisse. Item, regnante Christo, non potest in nostris corporibus regnare peccatum. Item cum dicimus, *Adueniat regnum tuum*, admonemur, vt nil de terreni regni diuitiis exspectemus, qui omnem spem in futuri regni facultate plantamus. Item, *Adueniat regnum tuum*, agnoscitur his verbis eas increpare personas, quæ sæculi istam vitam diutius volunt protrahere, cum omnes iusti petant illud, vt festinanter veniat. Vel certè *Adueniat regnum tuum*, hoc est, Christus Dominus nobis adueniat, quem quotidiè sanctorum chorus veneranter exspectat; in cuius promissione se confidunt iusti regnare: de cuius aduentu Apostolus ait: *Tunc rapiemur simul in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus.* Sed videamus, qui rapientur cum beato Paulo in nubibus? nunquid homicidæ, luxuriosi, fallaces, ebriosi, adulteri, rapaces, maledici? Tales enim nisi correpti sint, non solum non possunt in illo * genere participari cum sancto Apostolo cuius modo monita non sequuntur, aut occurrere Christo, cuius *paterna præsumunt. Sed immo magis, si se à facie Dei in fissuris petrarum valerent abscondere, super se cadere montes optarent. Ergo aduertamus quibus illud regnum promittitur, *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* In principio beatitudinum, humiles corde præposuit, ac per hoc exclusit superbos ac tumidos: vbi dicit pauperes spiritu regnaturos. Deinde beati mites, beati qui lugent, beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: beati misericordes, beati pacifici, beati mundo corde, & reliqua. Ecce illi inuitantur ad talem requiem, qui taliter desudauerunt temporaliter in labore. Verè, hoc

*haberi.
*vice.
*seruiuimus.
Ioan. c. 17.
Matth. c. 13
1. ad Thessal. c. 4.
*itinere.
*aliquid desiderari videtur in MSS.
Matth. 5.

est, indeficienter regnare, coronam beatitunis istis ornatam floribus possidere; Deum sine confusione mereri conspicere, quo præsente, inueniat anima quod amauit. Nam si in hoc sæculo & ad præsens regnare dicitur humana fragilitas, & paupertas quædam, si illi blandiatur de falsa prosperitate fugitiua fœlicitas: quanto magis illud regnum quærendum est, vbi semper liliorum rosarumque blandior *lux arridet; vbi pictura floris odoriferi non marcescit; vbi loci fœcunditas neque nube premitur, neque sole siccatur; vbi non finitur cum possessore possessio; vbi quæcunque desiderat animus dat aspectus; vbi iustus gemmas calcabit in plateis, quas modo reges non habent in coronis; vbi mortalitas translata in immortalitatem cum angelis sorte simili gloriatur; vbi hominibus & Deo fit vna possessio; ibi desideretur consortium, vbi tantæ fœlicitatis gratia possidetur.

*luxus.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.

*QVOD quidem sic petitur, *vt fiat voluntas Dei*, non id fit * quia aliquis potuit resistere eius voluntati, vt non faceret aliquando quod voluit omnipotens: nec ob id, *quia illum potest aliquid impedire; sed vt in nobis impleatur eius voluntas, & operetur; quoniam aduersario resistente, nos voluntatem eius implere non possumus, nisi patrocinio eius * muniamur. Si verò quæritur quæ sit Dei voluntas, habes decem præcepta, quæ per Mosen Dei sunt voluntate vulgata. Habes Dei filium, qui patris voluntatem sciens, quæ erant abscondita, reserauit, & quæ obumbrabantur, in *lucem transfudit. Itaque voluntas Dei est agnita; excusatio non erit succursura; nam qui de cœlo descendit ad terras, quid aliud suæ voluntatis esse voluit credi, nisi saluare? per redemptionem nos *doceret, charitatis & humilitatis ornamenta sequi: quoniam & ipse hoc dignatus est facere ea charitate, nimia humilitate *sincere. Deinde qui templum sibi elegit in virgine, quid docet nisi dona pudicitiæ custodire? qui iustitiam coluit, dolum in ore nō habuit, misericordiam præbuit, culpas *indulgentia laxauit, mundo corde semper incessit, quid aliud fecit, nisi quo nos post sua vestigia traheret verbis & exemplis? Ideoque orandum, vt si perire nolumus, ipsius voluntas operetur in nobis, iuxta Apostolum dicentem. *Qui in vobis operatur velle & perficere pro bona voluntate*, sicut alibi Dominus noster locutus est, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, alioquin homo Christum per se inueniret. B. Paulus voluntatem habebat, sed non ad Christum reuera; cuius per Ecclesias populum deuastabat, sed quia redemptor dignatus est in persecutore suo magis pius esse, quam iustus, vt ad meliora accederet, cum per cæcitatis amaritudinem castigauit, & corporale lumen obduxit; vt ei spiritales oculos aperiret, de quo dixit. *Ego illi ostendam, quanta eum pro me pati oporteat.* Vnde ipsam

*Quid est quod, &c. erotematicè & *Nunquid aliquis *Ergone, quia illum *ipsius patrocinio. * luce. *doceret. *sincera. *indulgenti.

Ad Phil. 2.

Actor. c 9

ipsam bonam voluntatem pietas Christi contulit, non fragilitas humana *possidet. Audiamus ipsum Dominum Iesum Christum in infirmitate car- *possedit.
nis positum, quid dixerit, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Filius Dei dicit, *non sicut ego volo, sed sicut tu, Pater.* Matth. c. 26.
Et homo quare tam superbus est, vt voluntatem sibi ex se esse dicat ad bonum, & non potius Dei munus esse testetur? Quod si bona voluntas ex homine est sine Dei inspiratione, dicat ergo Christianus in oratione: fiat voluntas mea quoniam bona est; sed absit, vt hoc aliquis confiteri præsumat; imo magis deprecetur, vt fiat voluntas Dei in homine, non hominis voluntas, quæ bonum velle non habet, nisi Dominus inspiret iuxta illud: *Deus meus, misericordia eius præueniet me.* Ergo non hominis voluntas præuenit Deũ, sed Dei misericordia præueuit hominẽ. nõ volentẽ, quoniã sicut scriptum est, *Deus est qui iustificat impium.* Item *Spiritus, vbi vult spirat.* Igitur quare non vnusquisque recognoscit tenebras suas ne illuminatus tanquam lampas, quæ aliunde succenditur, per ventositatem suæ superbiæ extinguatur, & subducto splendore maneat in cæcitatis caligine, dum si quid bonum velle habet, sui esse putet arbitrii: & non * inde gratias ferat collatori, & ne audiat tandem quod dicitur, *Qui autem non habet, & quod habet, auferatur ab eo*: hoc est, in * quo per gratiam præuenitur, nisi Deo illud adscripserit, per superbiam hoc amittet. Quoniam iuxta scripturam; *ipsa voluntas à Domino præparatur.* Audiamus iu hac parte doctorem, vbi dixit: *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur.* Quare non addidit, & qui loquitur veritatem, de suo loquitur? nisi. vt hoc exemplo constet, quoniam cum veritatem aliquis loquitur, de Dei gratia, non de suo habuisse hoc bonum specialiter agnoscatur? Quoniam de nostro solum habemus mendacium: nam cum ipsa veritas, DEVS sit, qui loquitur de Deo, vnde in homine mendace causa veritatis sit? nisi ipsa veritas se ministret, hoc est, nisi in homine ipsam bonam voluntatem Deus veritatis inspiret, qui & velle tribuit, & posse compleuit? Sed si quis obiiciat, quod Apostolus ait: *Velle adiacet mihi*, cum ipse dicit, *Deus qui in vobis operatur & velle & * perficere pro bona voluntate* Ergo si quis dicat, quia ipsam voluntatem Deus non inspirat. Quantum ad hanc intelligentiam B. Paulus non discrepat sentiendo diuersa: absit enim vt ille vir pacificus, qui vno eodemque locutus est spiritu in his dictis, Ecclesiæ generasset scandalum. Vnde doctor gentium; *velle sibi adiacere dicebat*, quoniam non solum inspiratus, sed etiam vas electionis fulgebat, qui docuit dicens. *Deus est, qui in vobis operatur & velle.* Deinde quid habes, quod non accepisti? ac si diceret, quid boni est in te, nisi det ille, qui fecit te. Nam si bonam voluntatem Deus non confert, sed ex te est, quod tu habes; iste mentitus est, qui dixit, *Quid habes, quod non acceperis?*

Psal. 58. Rom. 4. & 8. *exinde. *quod. Ioan. c. 8. Rom. c. 7. *operari. 1. ad Cor. c. 4.

Vnde tolle Dei voluntatem, mox agnoſco, ſi tu per te ad bonum habes aliquam voluntatem, cum niſi à Chriſto velut lucerna illumineris, quotidie neſciendo, quid eligeret diuina poteſtas, excedis. Dicamus humiliter: quia nihil boni velle habemus, niſi ſingulis diebus Domino largiente ſumamus. Iuxta quod legitur. *Omne datum bonum & omne donum perfectum deſurſum eſt.* vt Domni Pauli teneant dicta concordiam, & nos, ſi omne bonum ad Dei referentes gratiam, fidelem conſequimur doctrinam. Nam quicunque Apoſtolo Paulo, id eſt, oculo Eccleſiæ cum beato Auguſtino eius ſequace conſonat, in eo ignorantiæ caligo non regnat. Quod autem de duabus viis, id eſt, ſpatioſa & anguſta dicitur, vt quis per quam elegerit, gradiatur, per ſpatioſam quidem laxatis frenis liber incedis peccatis famulando. In anguſta verò conſideremus Apoſtolum dicentem, *vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, per Dominum Ieſum Chriſtum.* Et ideo non eligit aliquis, nec ad viam peruenit, niſi vocatus fuerit ab eo, qui via eſt, vita, & veritas. Sed in hac via cum Apoſtoli verbis & præceptis Euangelicis excurramus, dicentes ad eos, qui iam ex Iudæis in Chriſto erant fide conuerſi,

Ioan.c. 8. *ſi vos filius liberauerit, tunc liberi eritis.* Et *quidnam iſtud attendite, ipſo Domino prædicante. *Si manſeritis in meo verbo, vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberauit vos.* Ac per hoc hortatur, vt ſequendo illud, quod dedit per gratiam. nos ad veram liberationem perducat. Vnde tunc homo perfectè in bonum, liberum poſſidebit arbitrium, quando omnino non poterit ſeruire peccato. Item *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*, id eſt, ſicut in cœlis angeli, ita te homines veneremur in terris. Et quemadmodum illi concordia inculpabili caritate deuoti, in laude Dei videntur iugiter inhærere, ita nos in ſuo timore & amore iubeat ſine labe purgare. Item, *Fiat voluntas tua*, id eſt, ſicut ſpiritus, qui de cœlis & cœleſtia cogitat, ita & caro, quæ de terra eſt, terrena non cupiat: ſed quæ ſunt ſpiritus, hæc intendat, & quaſi facta concordia, pariter ad cœlos aſcendat. Ergo *ſicut in cælo*, id eſt, in ſpiritu, *ita & in terra*, id eſt, in carne fiat Dei voluntas, vt iam poſt aduentum Chriſti non caro, quæ mater eſt criminis, ſpiritum feſtinet, ſicut Eua, decipere, ſed Adam, qui eſt in typo ſpiritus, carnem habeat famulantem, nec dominus ancillæ, ſed ancilla ſeruiat dominanti. *Sicut in cælo & in terra.* Homo ante baptiſmum carnalis eſſe deſcribitur, poſt baptiſmum ſpiritalis efficitur: ideoque pro illis, qui adhuc ſine lauacro loti non ſunt, à nobis oratur, vt ſicut nos videmur facti eſſe cœleſtes, per baptiſmum, ita & illi, qui adhuc ab Eccleſia peregrini ſunt, tanto beneficio non fraudentur; ſer per munificentiam Domini nobiſcum dona ſimilia conſequantur. Quia & cum illi conſortes facti fuerint, nos facultatem non amittemus, ſed augebimus. *Qualis ſit autem inuidia, vt homo non oret pro homine, ſicut Chri-

*quando fit.

*Quare.

ut Christus, vt nos acquireret, suo sanguini non pepercit? *Item fiat voluntas tua.* Voluntas patris erat, quod filius prædicauit, quod operatus est, quod passus & mortuus est, & resurrexit, sicut ait. *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem eius, qui misit me patris.* Ergo orandum est, vt nos similiter mereamur ducere, agere, sustinere, & in ipso resurgere, vt possimus cum ipso regnare. Item *fiat voluntas*, Deus incommutabiliter bonus, qui aliud nihil nisi semper vult bonum, quamuis nos moles impediat peccatorum. Ergo bene videmur optare, vt nobis ea contingant, quæ Deus vult, cum sciamus eum bonæ voluntatis habere perfectionem, &c. Ioan. c. 5.

Panem nostrum cottidianum da nobis hodie.

CONSIDERANDVM est, quam mirabiliter orationis huius ornatus sit textus, vt nominatis æternis, temporalia peterentur. Nam tria ista* quæ poscimus, id est, *Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, Fiat voluntas tua, &c.* propter æterna consequenda hic sunt necessaria. Et hic incipiunt; sed perfecta in futura vita possideri credenda sunt, & perpetua manebunt. Ergo *panem nostrum da nobis*, quantus animæ & carni est necessarius, spiritualiter vel corporaliter. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo.* quæ ad præsentis vitæ opportunitates pertinere videntur. Denique *nominis eius sanctificatio & regnum eius* in spiritu & corpore nostro post resurrectionem perfecta manebunt. Item *panem nostrum*, quisquis ad veram salutem peruenire meruit, Christum esse panem vitæ perpetuæ non ignoret, quia dixit. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Vnde iste panis non est communis cum reliquo, quia ille corpora protegit, iste nouit animas enutrire; & qui illum manducat, esurit, qui autem isto fruitur, nulla fame torquetur. Et ideo tanto magis iste cibus quærendus est, quanto plus reficit epulatus. Quod vero *panem quotidianum petimus*, hoc insinuare videtur, vt communionem eius corporis, si est possibile, omnibus diebus reuerenter sumamus, quia cum ipse vita nostra sit, nutrimento nostro, peregrinos nos facimus, si ad Eucharistiam tardi accedamus. Item dum dicimus *Panem nostrum da nobis hodie.* cognoscimus non nobis sufficere, quod præterito die Deum rogauimus nisi & ei in præsenti oratione vacemus. Propter illud *sine intermissione orantes.* Item hic aduertendum est, quod, postquam ad Christum peruenimus, & mundum cum pompis suis reiecimus, non nobis necesse sit, ad escam amplius, quam quotidianus vsus exigit: vt quæramus re vera eum, & aduentum Domini iugiter exspectemus: nam impedimenta mundi, faciunt homines miseros. Et sciamus ei panem sufficere, cui Deus non deficit, quod Heliæ habitanti in Eremo ministrauit.

*quod.

Ioan. 6.

Hyberbaton hic in ordine sermonis, quod & in MSS.

1. ad Thessal. c. 5.

Et dimitte nobis debita.

BENE post escam quæsitam postulatur venia peccatorum, vt qui Dei cibo pascitur, Deo viuat, si ei dimittantur peccata; & congrue, ne se humana extollat superbia, quæ petendo veniam, videtur confiteri delicta; cum tamen si purgari desiderat, sæpius ad orationem recurrat. Conuenienter autem debita peccata dicuntur, quia & debentur, & requirenda sunt. Nam sicut debitum à creditore requiritur; ita peccatum à Deo in die iudicii * necessario exigitur, nisi hic, dum viuimus, per pietatem eius & indulgentiam ista nobis exactio condonetur. Et merito remitti cuncta hic rogamus, vbi delicta committimus, quoniam in futuro, sicut precari non licet, ita non vacat pœnitere. Sed addendo.

* necesse est exigatur.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

QVI pium se ostendit & legem imposuit, vt nisi qui peccanti culpas indulserit, sibi indulgeri à Deo non exspectet: propter illud, *qua mensura* * *mensi fueritis, remetietur & vobis.* Item *misericordiam & iudicium cantabo tibi*, quoniam qui in nobis pius est, vult nos esse aliis miserantes. Vnde merito de culpa vapulat, qui magistri verba declinat. Summa est Eleemosyna, alteri remittere, quod * tibi videatur peccasse. Item *dimitte nobis debita*: quid ergo de baptismi fonte surgentes & corpore Christi communicantes, mox nobis dimitti peccata petimus? quia fragilitas nostra conseruare puritatem lauacri non potest, quod de fonte percipit, nisi dignetur Dei gratia custodire. Et bene, *sicut nos dimittimus debitoribus nostris*, vt ostenderetur, quia Deus pacis cum omnibus vult nos concordes esse.

*mensurati. Matth. c. 7 Psalm. 100 * in te.

Ne nos inducas in tentationem.


NVNQVID Deus aliquem in laqueum tentationis inducit? aut ab inimico cupiat supplantari? qui monet, ne * incidamus.

*incidatur.

II.

AD SALVTAREM VIRVM ILLVSTREM *MVMVLENVM CONSOLATORIA, in morte filiæ decennalis.

*deest in quibusdam MSS.



NTER humanæ conditionis * subrepentia vulnera, quæ semper incerto tramite nutantium animorum, ac labentium temporum reddunt vota suspecta, nihil est in aliquo magis quod cruciet, quam quenquam aut non videre, quod cupiat, aut videre,

* subripientia.

videre, quod perdat. *Nam trepidans animus in vtroq;, non modico sub fasce succumbit, dum pendulus spectat diuturnè, quod habeat, & vt habere cæperit: mox amittat; sc. afflictus, donec impetret, elisus si perdat, sed grauius hoc iaculo res illa percellitur, cum inter spem, vel sperata debet amittere: atq; ita illic spes *tenditur; hic damnatur; illic dubius mœror an habeat, hic certus dolor est si relinquat. Habet hoc insitum natura, præuaricatione protoplasti parētis ad nos decursa morte mulctata; vt sępe, quod vix acquiritur, mox linquatur: & serpentis inueterati dente radicem sic perculit; vt nec arbor steterit, nisi in mortis stirpe fixa viuat. Misit hoc posteris hæreditas parentalis, vt *subiacentes morti, quæramus viuere morituri, vulnificauit cunctos infœlicis arboris acquisita possessio, quæ blandientibus pomis * proli prius nocuit, quam nutriuit. * Quod certe sub epuli specie mors intrauit, & hoc ferali tactu læsit parentes, & posteros illos *gustus; nos *succus: quoniā virulentæ suasionis poculum, quod pater male sorbuit, in prolē transfudit; & vt ita dictum sit; quod à fōte manauit, in * riuos defluxit. Intulit hoc igitur illa mater de genere, sed nouerca de crimine, infœlix cunctis Eua monades, quod certe sola sic extruxit; vt vniuersa destrueret, quo veterata machinatione decipulæ, rudem virum perderet, & ipsa periret. Sed proles quid bonifaciet, si se in calumniam vel *mala parentis extendat? aut vt illum iterum detrahendo remordeat, qui semel morsu perierat, cum ipse sibi sufficeret suus lapsus, noster occasus. Itaque puto incongruum, si illum *remordero, per quem *gratis inuenit gratiam, cuius *occasu vitalis alimoniæ mors cæpit depasci: cui dum oculorum apertio promittitur, lux fugatur, & diuinitate promissa, homo lapsus redit in terram: hinc est quod prolem genitam nocens esca traxit in prædam. Fecit illa captiuitas nos prosperis exules, aduersis consortes; & tantum peregrinatio grauior, quantum mors dura notior. Nascitur ab Adam vetere vsq; ad nouum hominem vita nostra cum morte. Hinc se nec Abel exuit, nec Enoch effugit, nec Noe se subtrahit, qui diluuio mortem distulit, nō mutauit: hoc patriarcha non renuit, hanc legem legifer non auertit, propheta sustinuit, & plus quam propheta succubuit: Sara quoque, Rebecca, Rachel, Anna, Elisabeth, licet sexus inferior, tamen hoc simul bibit amarum. Quis conqueratur de reliquis, cum ipse triumphator mortis pro parte, qua caro factus est, & morti subiectus est. Nec fuerat plenus homo, si non sensisset & tumulum. Nec Deus crederetur, nisi surgeret de sepulchro. Hinc est quod loquor, charissime, & *fideli dilectionis mihi voto connexe, eo quod tuos per apices natæ sanctæ transitum conquereris, vix singultu rumpente, indicans calamo tristi decennalis ætatis irruente funere, pubertatis teneræ * flosculum marcuisse, cum pœnè nuptiali retracta de limine, non ad patris votum thalamo datur, sed tu-

*cum.
*tenetur.
*iacentes.
*prolem.
*Qua.
*gustu.
*succo.
*riuo.
*mali.
*remorsero.
*grates venit ingratum.
*occasione.
* fide.
*floscula.

ſed tumulo: & diuerſo cantico non thoro traditur ſed ſepulchro. Ad cuius forte vota iam feſtinans familia feruebat, ſedulè parentela excitabatur & patria. Mater erat prece ſuſpenſa, ipſa aſſurgebat cura nutricis iuncta pubertati roſea modeſtia & feſtiua arte ſui ſexus ornata; ſed, quo me rapit, formæ decor, ſe prodere tam cito fugax, quam caro mendax, cum defunctæ ſi prædicetur gloria accreſcant lamenta. Habuiſti igitur iſtud pater, ſed non tuum: reddidiſti potius commodatum: ploratur velut amiſſum, ſed conſideretur non perditum, quod ad Chriſtum redit intactum. An certè conquereris, quaſi ſolus iſta perpeſſus ſis, cum caſus hic vincat & reges. An felicior Auguſto? fortior Alexandro? fauorabilior Traiano? ſanctior es Theodoſio? cum hoc habeat obitu æquale, tam miles quam princeps. Patienter dolendum eſt, quod habes commune cum mundo. Quantas autem fœminas ab ipſo primo complexu retraxit ad tumulum? & pertulerunt diſpendium agnito, viro non habito: quæ bis lamentandæ ſunt, antea pudorem perdere, & poſt ſic periiſſe. Vnde licet conqueraris talem te tali caſu amiſiſſe ſobolem, nulli tamen nouum eſt; vt non potuiſſet hoc vitare puella, quod venit per fœminam. Illud potius inſpice, vt iſta res funeris ſit virtutis: & ad illorum exempla te coæqua, qui dolore victo, ſurgunt ad palmam. Habes itaque inter ipſa patientiæ culmina, primum velut in ſpecula Iob, cenſuram, & normam: qui pro filiis Domino ſic gratias retulit, tanquam ſi tunc acceperit, cum amiſit. Qui vir experientiæ, voluntati diuinæ tradidit totum, ne caderet. Quid vero Dauid? fortis licet Goliam ſubdiderit, non ſe velut fœnum nutui cœleſti ſubſtrauit, cum filio amiſſo lauit, epulatus eſt, ne repugnaret intelligens vni cedere, qui cuncta formauit. Seruus fidelis timuit offenſam boni Domini prouocare, vel murmure, *cui vt iungeretur, diuinas ad nuptias, iugiter diffluebat pius pater per lacrymas. Poteſtis autem coniicere, quod talem non tolleret niſi ſuis thalamis placuiſſet. vnde noſti abyſſum diuini conſilii? vel tuæ natæ qualis in corde concupiſcentia latitauit? Fortaſſis hoc antea elegit quod meruit, & illud prodiit, quod optauit. Qua de re, vir optime, eſto tibi *iudex & *patere: *Nam ſi per charitatem te temperes, & te iudices, non offendis: præſertim cum te mitiget promiſſio redemptoris, & præconis Pauli vox ſimilata *tonitru, quia in ictu oculi reſurgere maturabunt ſepulti, & viuent ſub vmbra Chriſti de virginitate ſecuri.

*quem vt iungeret.

* vix.
* pater es.
*hoc eſt.
*tonitrui & o.

Scriptura videtur ad regiæ proceres & ſenatores.

III.

Item alia.

DOMINIS illuſtribus cunctiſque magnificis omni deſiderio complectendis, ſeruientibus dominorum, ſi humanæ conſuetudinis iſthuc ſe ge-

se generaliter, per omnes, vnus vsus extendit, & ab antiquis atauis ipso tradente * genere, ad nos vsque naturali quodammodo lege peruenit; quod *generet.
tritici panis oblectante candore, vel suauitate pascente post ad hordeaceę frugis aristosa cibaria fastidioso nimium dente, nare, fauce, transitur: cum delectabilis escæ dulcedine permutante, ad conuiuium pergere, ni fames vrgeat, austeritas epuli nō inuitat. Hinc est, quod illustris ac magnifica celsitudinis vestræ gratia copiosa quotidianæ disciplinæ doctrina superinundante refecta, & feruentis ingenii studio lucubrante polita post illum, vt dixerim, detersum eloquentiæ vestræ nitorem & perspicuè* clarum exercitatione purgante, ad linguę nostræ rubiginosā facundiā fastidiose vestri sēsus fulgida lux inclinat: cum tale scit, quod sermonis nostri rumores vacillantes auditis, ac si post epulas coturnicis, aut Phasidis, viris delicatissimis cibos ingeram pecuales. Sed inter hæc vna spe præsumptionis videor animari, eo quod aliquatenus post regales delicias, esca desideretur ruralis; & sæpè rusticus offerat, quod animum potentis oblectat. Nā quamuis regum conuiuiis auro intermicante, purpurata palla coruscet, sæpè tamen iucunditate placere mensa plus assolet, vel adumbrata foliis ordinatis ex palmite vel superiecto hederæ corymbo crispante. Itaque habet & de sylua reductus pastor quod proferat; cui si desint reliqua, tamen dignantem conuiuam vel de lacte diues inuitat. Quapropter dominationi & celsitudini tuæ, teste domino loquor; profusæ dulcedini vestræ salutem venerabiliter ac desiderantissime persoluentes. Æterni regis clementiam deprecamur, vt dominis præcellentissimis feliciter regnantibus ac vniuersæ potestatis officiis crescentibus, ita fugitiuæ huius vitæ spatia producantur, vt illi piissimo tramite gubernando, & vos sine macula fidelissime seruiendo, creatoris ac redemptoris nostri * desideratum pariter intretis in regnum, sperantes in Christo de vestræ charitatis affectu, humilitatem nostram peculiariter omnibus sanctis & domini famulis, sed etiam dominis regnantibus, vel eorum fidelibus proflua dulcedine commendetis, hoc fiducialiter deprecantes, vt veneratorem vestrum, portitorem præsentium hominem dominæ Radegundis matris vestræ animæ sanctæ, vel ea, quæ pro vtilitate ac necessitate prædictæ Dominæ suggesserit, coram Christo & eius Angelis tam pro sui reuerentia quā prece nostra propriū habere dignemini, indubitabiliter intimamus. Vt quod pro caussa illius apud præsentes Dominos Reges impenditis, ab æterno rege, centuplicato munere, suis orationibus acquiratis.

Solœcismi quidam Pleonasmus, vel ἀνακόλουθον. *clara.

*desiderato in regno.

Paramythia forte ad Mumulenum super obitu filiæ.

IV.

Item alia.

CELSITVDINIS vestræ legatis transcurrentibus, omni caritate refertas nos insaturabili voto suscepisse gratificamur epistolas: in quibus

& quod erat nostræ reuelationis consultum de vestri culminis incolumitate relegimus, inserendo commemorationem dulcissimæ filiæ, quod est, de mœrore, partimur. Denique quibus fuit in viuente participata lætitia, iis sint communes lachrymæ necesse est in defuncta. Nec ratio suadet, vt sola tibi priuilegium defendas in fletu, quæ habuisti in cuius nos non pari ligaremur affectu; quoniam licet formata vestris ex visceribus processisset, tamen non minus adulta nostris in pectoribus habitauit, quippe quæ pro-
*nostro gremio. ducens partum ex vtero transmiseras quasi in * nostrum gremium receptu-rum: vt cum à vobis esset, etsi non corde, tamen corpore recessura nobis velut in vestra charitate fieret amplectendi. Hinc est, quod mater de illa genitalis causa contulerat, mihi totum velut adoptiuus amor explebat: quia cum vobis genita, nobis tamen erat renata. Equidem optaueram
*eius. pro meritis *diutius illa superstite vobiscum loqui de gaudio magis, quam
* quia. tristis collatio nasceretur ex fletu: sed inuida rerum series,*quæ illud celerius subripit, quod magis placere cognouerit, rem mihi desiderabilem penè vno momento & offerre voluit, & auferre. Vel quare nobis rem attulit, quam subducere festinauit? Cum nil sit in humana conditione crudelius, quam aut non videre quod habeat, aut videre quod perdat. Sed quousque suum mœrorem dolor importunus exacuit, ac præceps sine fræno moderatæ consolationis excurrit? cum intelligat hoc temperari debere, quod emendare nequiuerit, & æquanimiter toleret, quod infectum facere non valet: præsertim cum in illa tot admiranda refulserint, vt nec apud homines in sermone defecerit, & apud Deum de opere præmia viuentis exspectet. Nam præter reliqua bona, quæ cum illa laudanda sunt, nec tamen clausa iacent in tumulo, tum voluuntur per ora cunctorum, hoc vnum breuiter assero, si fides & persecutio Christi martyrem facit, non ha-
*festinasset. bes in tali filia, quod deflere possis, quia illi & rectè credere contigit & per-
*debita. ferre; & licet * festina sit in iuuentute sors * debet tamen * esse secura inno-
* est. centia de palma.

V.

INCIPIVNT VERSVS DE
Oratorio Artanensi.

QVISQVIS adhæc properas venerandi limina templi,
Dona precaturus, quæ dat amore Deus.
Hæc in honore sacri Gabrielis cuncta coruscant,
Qui pia iussa Dei ritè minister agit.
Zachariæ veniens qui nuntia detulit astris,

Elizabeth

Elizabeth datus eſt quando propheta potens.
Quique redemptorem è cœlo regem omnipotentem,
Poſt ait, vt terris ventre Maria daret.
Qua ſacer antiſtes noua tecta Gregorius effert,
Vt ſibi cœleſtes reſtituantur opes.

VI.

Ad eccleſiam Toronicam, quæ per Epiſcopum Gregorium renouata eſt.

EMICAT altithroni cultu venerabile templum,
Egregium meritis, nobilis arcis apex.
Quo propria tunica dum operit Martinus egentem,
Geſtorum ſerie fulgida ſigna dedit.
Namque idem antiſtes ſacra dum myſteria tractat,
Lumina gemmarum eſt viſus habere manu.
Ac de veſte fuit quantum ſua dextera nuda,
Tantum membra ſibi gemma coruſca tegit.
Sanctus item Domini almam dum benediceret aram,
De capite eſt viſus flammeus ire globus.
Quæ modo templa ſacer renouata Gregorius effert,
Et rediit priſcus cultus honorque ſuus.
Fulgida præcipuè nituerunt culmina templi,
Poſtque vſus veteres præmicat aula rudis.
In ſenium *veniens melius reuireſcere diſcens,
Diruta poſt caſum, firmius acta ſitu.
Martini auxiliis operando Gregorius idem,
Reddidit iſte nouus, quo fuit ille vetus.
Clara ſupercilio domini delubra niteſcunt,
Alma licet merito ſunt quoque celſa iugo.
Inuida ſubruerat quam funditus ipſa vetuſtas,
Vt paries liquidis forte ſolutus aquis.
Quam paſtor ſtuduit renouare Gregorius ædem,
Nec cecidiſſe dolet, quæ magis aucta fauet.
Ambianis tremulum cernens Martinus egenum,
Dimidiæ chlamydis mox ope membra tegit.
Sed coram angelicis turmis ſe hanc nocte ſilenti,
Pauperis in ſpecie Chriſtus habere refert.
O ſacer antiſtes, meritis referende ſub aſtris,
Vnde regis nudum, hinc tua palla Deum.

* In ſeniumque ruens.

S Martini varia miracula deſcribit, quę epigrammatum inſtar picturis ſuis quæq; reſpondiſſe videntur.

nostris aspicimus, qualiter humerus humero, manus manui, pes pedibus subueniunt, ita congruum creditur, vt monitis, orationibus, lachrymis nobis ipsis à nobis inuicem succurratur: propter illud; *Inuicem onera vestra portate.* Denique frequenter alter pro alterius crimine confidenter obtinet, qui pro se suggerere, confunditur ex pudore, quia in suo facinore verecundia nihil præsumet. Ergo vnusquisque supplicet pro omnibus in commune, quoniam sicut in se diuisa domus non stabit, sic vnita ruinæ non subiacet. Et bene auctor Dominus pacis sic docuit, vt quidquid vnus peteret, omnibus videretur proficere. Item bene *pater noster* additur, quia nisi quis recte credat in Christo, non potest habere patrem in cœlo: non est enim ipse pater Ariano, Iudæo, Photino, Manichæo, Sabellio, & reliquis pestibus veneno praui cordis infectis, & pessimæ confessionis falce succisis, qui de filio, quem iniustè Deo patri nostro conati sunt inæqualem facere, cæcati recesserunt, ex patre suo diabolo* fructum carnis recipiũt. Et ideo nobis pater in cœlis est, qui rectè filium confitemur in terris.

Gal. 6.

* furore carnati.

Sanctificetur nomen tuum.

VIGILANTER considerandum est, quid in hoc vocabulo admonitio diuina significet, dicendo *Sanctificetur nomen tuum.* * non quod aliquid inueniatur superius, quo Deus pater sanctificari valeat; aut quasi nos videamur aliquid illi orando præstare; cum magis ipse sanctificet: *Sed sanctificetur*, id est, benedicatur *nomen tuum* incessanter omnibus linguis, vniuersis in locis, vtpote cuius dona sunt, hoc ipsum, quod respiramus & viuimus *Sanctificetur nomen tuum.* Deus cum omnium sit elementorum concentu laudandus, & sanctus, vt in nobis nomen eius sanctificetur, id est, firmiter teneatur, optamus, & in ea, qua nos abluit baptismi sanctitate, viuamus. Ergo in hoc tempore non nouam sanctificationem requirimus, sed quam incontaminatam percepimus, hanc vt sine vitij macula conseruemus. Nam in homine fructus bonæ conuersationis sanctificatio Dei est. Hoc quoque ordine *nomen eius rectè sanctificari dicimus*, vt si quis dono diuinitatis vitam videat nobis esse synceram, gratias largitori referat, & in nostris operibus sanctum nomen eius extollat: quoniam rectè omnis laus illi redditur, à quo vota complentur. Item *sanctificetur nomen tuum*: quia ipsa oratione non continetur expressum, *in nobis sanctificetur nomen tuum*, videmur non tantummodo pro nobis optare, vt sanctificetur nomen eius, sed & pro illis, qui necdũ meruerunt ad baptismi gratiam peruenire, nã in Christi plenissima charitate docemur etiã pro inimicis orare; quia ipse non amicos & fideles, sed aduersarios suos & culpabiles de mortis carcere liberauit.

* numquid inuenitur superior, à &c. erotematicè.

Aduení-

Adueniat regnum tuum.

DVBITARI non licet, Dominum Deum ſemper & hic & vbique regnare; nec aliquando de regni ſorte ſanctam Trinitatem ſumpſiſſe principium, nec *habere fine claudendum; cum reuera apud Deum ſtabilitate ſua tempora non mutentur, cui nec ſol occidit, nec nox in *vicem ſuccedit, ſed cum dicimus, *Adueniat regnum tuum*, non vt illi aliunde obueniat, id eſt, vt ei regnum præſtet ſuperior perſona, ſed vt illud nobis adueniat per mediatorem Chriſtum, poſcimus repromiſſum; vt cum illo regnemus liberi, qui in mundo ſemper * viuimus ſub lege peccati. Ipſe enim poſtulauit à patre dicens, *Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum*; & alibi: *Tunc iuſti fulgebunt, ſicut ſol in regno patris eorum.* Denique ob hoc euacuauit Tartaros, vt repleat cœlos. Ergo hac ratione precamur, vt *regnum eius adueniat*: non vt ipſe quod poſſidet, hoc acquirat, ſed quod eſt nobis pollicitus, vt perſoluat. Poteſt & ſic intelligi, *Adueniat regnum tuum*, id eſt, adueniat in corde noſtro regni tui ſincerum deſiderium, vt poſſimus diaboli vincere blandimentum: tunc enim in nobis ſerpentina falſitate ſubdolus hoſtis non præualet, quando nos conſtanter reſpicit diuini regni deſideria concepiſſe. Item, regnante Chriſto, non poteſt in noſtris corporibus regnare peccatum. Item cum dicimus, *Adueniat regnum tuum*, admonemur, vt nil de terreni regni diuitiis exſpectemus, qui omnem ſpem in futuri regni facultate plantamus. Item, *Adueniat regnum tuum*, agnoſcitur his verbis eas increpare perſonas, quæ ſæculi iſtam vitam diutius volunt protrahere, cum omnes iuſti petant illud, vt feſtinanter veniat. Vel certè *Adueniat regnum tuum*, hoc eſt, Chriſtus Dominus nobis adueniat, quem quotidiè ſanctorum chorus veneranter exſpectat; in cuius promiſſione ſe confidunt iuſti regnare: de cuius aduentu Apoſtolus ait: *Tunc rapiemur ſimul in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum domino erimus.* Sed videamus, qui rapientur cum beato Paulo in nubibus? nunquid homicidæ, luxurioſi, fallaces, ebrioſi, adulteri, rapaces, maledici? Tales enim niſi correpti ſint, non ſolum non poſſunt in illo * genere participari cum ſancto Apoſtolo cuius modo monita non ſequuntur, aut occurrere Chriſto, cuius *paterna præſumunt. Sed immo magis, ſi ſe à facie Dei in fiſſuris petrarum valerent abſcondere, ſuper ſe cadere montes optarent. Ergo aduertamus quibus illud regnum promittitur, *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* In principio beatitudinum, humiles corde præpoſuit, ac per hoc excluſit ſuperbos ac tumidos: vbi dicit pauperes ſpiritu regnaturos. Deinde beati mites, beati qui lugent, beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: beati miſericordes, beati pacifici, beati mundo corde, & reliqua. Ecce illi inuitantur ad talem requiem, qui taliter deſudauerunt temporaliter in labore. Verè, hoc

*haberi. *vice. *ſeruiuimus. Ioan. c. 17. Matth. c. 13 1. ad Theſſal. c. 4. *itinere. *aliquid deſiderari videtur in MSS. Matth. 5.

est, indeficienter regnare, coronam beatitunis istis ornatam floribus possidere; Deum sine confusione mereri conspicere, quo præsente, inueniat anima quod amauit. Nam si in hoc sæculo & ad præsens regnare dicitur humana fragilitas, & paupertas quædam, si illi blandiatur de falsa prosperitate fugitiua fœlicitas: quanto magis illud regnum quærendum est, vbi

*luxus. semper liliorum rosarumque blandior *lux arridet; vbi pictura floris odoriferi non marcescit; vbi loci fœcunditas neque nube premitur, neque sole siccatur; vbi non finitur cum possessore possessio; vbi quæcunque desiderat animus dat aspectus; vbi iustus gemmas calcabit in plateis, quas modo reges non habent in coronis; vbi mortalitas translata in immortalitatem cum angelis sorte simili gloriatur; vbi hominibus & Deo fit vna possessio; ibi desideretur consortium, vbi tantæ fœlicitatis gratia possidetur.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.

*Quid est quod, &c. erotematicè & *Nunquid aliquis *Ergone, quia illum *ipsius patrocinio. * luce. *dederet. *sincera. *indulgenti.

* QVOD quidem sic petitur, *vt fiat voluntas Dei*, non id fit * quia aliquis potuit resistere eius voluntati, vt non faceret aliquando quod voluit omnipotens: nec ob id, *quia illum potest aliquid impedire; sed vt in nobis impleatur eius voluntas, & operetur; quoniam aduersario resistente, nos voluntatem eius implere non possumus, nisi patrocinio eius * vniamur. Si verò quæritur quæ sit Dei voluntas, habes decem præcepta, quæ per Mosen Dei sunt voluntate vulgata. Habes Dei filium, qui patris voluntatem sciens, quæ erant abscondita, reserauit, & quæ obumbrabantur, in *lucem transfudit. Itaque voluntas Dei est agnita; excusatio non erit succursura; nam qui de cœlo descendit ad terras, quid aliud suæ voluntatis esse voluit credi, nisi saluare? per redemptionem nos *doceret, charitatis & humilitatis ornamenta sequi: quoniam & ipse hoc dignatus est facere ea charitate, nimia humilitate *sincere. Deinde qui templum sibi elegit in virgine, quid docet nisi dona pudicitiæ custodire? qui iustitiam coluit, dolum in ore nō habuit, misericordiam præbuit, culpas *indulgentia laxauit, mundo corde semper incessit, quid aliud fecit, nisi quo nos post sua vestigia traheret verbis & exemplis? Ideoque orandum, vt si perire nolumus, ipsius vo-

Ad Phil. 2. luntas operetur in nobis, iuxta Apostolum dicentem. *Qui in vobis operatur velle & perficere pro bona voluntate*, sicut alibi Dominus noster locutus est, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, alioquin homo Christum per se inueniret. B. Paulus voluntatem habebat, sed non ad Christum reuera; cuius per Ecclesias populum deuastabat, sed quia redemptor dignatus est in persecutore suo magis pius esse, quam iustus, vt ad meliora accederet, eum per cæcitatis amaritudinem castigauit, & corporale lumen obduxit; vt ei spiritales ocu-

Actor. c 9 los aperiret, de quo dixit. *Ego illi ostendam, quanta eum pro me pati oporteat*. Vnde ipsam

ipſam bonam voluntatem pietas Chriſti contulit, non fragilitas humana *poſſidet. Audiamus ipſum Dominum Ieſum Chriſtum in infirmitate carnis poſitum, quid dixerit, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Filius Dei dicit, *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, Pater.* Et homo quare tam ſuperbus eſt, vt voluntatem ſibi ex ſe eſſe dicat ad bonum, & non potius Dei munus eſſe teſtetur? Quod ſi bona voluntas ex homine eſt ſine Dei inſpiratione, dicat ergo Chriſtianus in oratione: fiat voluntas mea quoniam bona eſt; ſed abſit, vt hoc aliquis confiteri præſumat; imo magis deprecetur, vt fiat voluntas Dei in homine, non hominis voluntas, quæ bonum velle non habet, niſi Dominus inſpiret iuxta illud: *Deus meus, miſericordia eius præueniet me.* Ergo non hominis voluntas præuenit Deũ, ſed Dei miſericordia pręueuit hominẽ. nõ volentẽ, quoniã ſicut ſcriptum eſt, *Deus eſt qui iuſtificat impium.* Item *Spiritus, vbi vult ſpirat.* Igitur quare non vnuſquiſque recognoſcit tenebras ſuas ne illuminatus tanquam lampas, quæ aliunde ſuccenditur, per ventoſitatem ſuæ ſuperbiæ extinguatur, & ſubducto ſplendore maneat in cæcitatis caligine, dum ſiquid bonum velle habet, ſui eſſe putet arbitrii: & non * inde gratias ferat collatori, & ne audiat tandem quod dicitur, *Qui autem non habet, & quod habet, auferatur ab eo*: hoc eſt, in * quo per gratiam præuenitur, niſi Deo illud adſcripſerit, per ſuperbiam hoc amittet. Quoniam iuxta ſcripturam; *ipſa voluntas à Domino præparatur.* Audiamus iu hac parte doctorem, vbi dixit: *Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur.* Quare non addidit, & qui loquitur veritatem, de ſuo loquitur? niſi. vt hoc exemplo conſtet, quoniam cum veritatem aliquis loquitur, de Dei gratia, non de ſuo habuiſſe hoc bonum ſpecialiter agnoſcatur? Quoniam de noſtro ſolum habemus mendacium: nam cum ipſa veritas, DEVS ſit, qui loquitur de Deo, vnde in homine mendace cauſa veritatis ſit? niſi ipſa veritas ſe miniſtret, hoc eſt, niſi in homine ipſam bonam voluntatem Deus veritatis inſpiret, qui & velle tribuit, & poſſe compleuit? Sed ſi quis obiiciat, quod Apoſtolus ait: *Velle adiacet mi[hi]*, cum ipſe dicit, *Deus qui in vobis operatur & velle & * perficere pro bona voluntate* Ergo ſi quis dicat, quia ipſam voluntatem Deus non inſpirat. Quantum ad hanc intelligentiam B. Paulus non diſcrepat ſentiendo diuerſa: abſit enim vt ille vir pacificus, qui vno eodemque locutus eſt ſpiritu in his dictis, Eccleſiæ generaſſet ſcandalum. Vnde doctor gentium; *velle ſibi adiacere dicebat*, quoniam non ſolum inſpiratus, ſed etiam vas electionis fulgebat, qui docuit dicens. *Deus eſt, qui in vobis operatur & velle.* Deinde quid habes, quod non accepiſti? ac ſi diceret, quid boni eſt in te, niſi det ille, qui fecit te. Nam ſi bonam voluntatem Deus non confert, ſed ex te eſt, quod tu habes; iſte mentitus eſt, qui dixit, *Quid habes, quod non acceperis?*

*poſſedit.
Matth. c. 26.
Pſal. 58.
Rom. 4. & 8.
* exinde.
*quod.
Ioan. c. 8.
Rom. c. 7.
*operari.
1 ad Cor. c. 4.

Vnde tolle Dei voluntatem, mox agnosco, si tu per te ad bonum habes aliquam voluntatem, cum nisi à Christo velut lucerna illumineris, quotidie nesciendo, quid eligeret diuina potestas, excedis. Dicamus humiliter: quia nihil boni velle habemus, nisi singulis diebus Domino largiente sumamus. Iuxta quod legitur. *Omne datum bonum & omne donum perfectum desursum est.* vt Domni Pauli teneant dicta concordiam, & nos, si omne bonum ad Dei referentes gratiam, fidelem consequimur doctrinam. Nam quicunque Apostolo Paulo, id est, oculo Ecclesiæ cum beato Augustino eius sequace consonat, in eo ignorantiæ caligo non regnat. Quod autem de duabus viis, id est, spatiosa & angusta dicitur, vt quis per quam elegerit, gradiatur, per spatiosam quidem laxatis frenis liber incedis peccatis famulando. In angusta verò consideremus Apostolum dicentem, *vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, per Dominum Iesum Christum.* Et ideo non eligit aliquis, nec ad viam peruenit, nisi vocatus fuerit ab eo, qui via est, vita, & veritas. Sed in hac via cum Apostoli verbis & præceptis Euangelicis excurramus, dicentes ad eos, qui iam ex Iudæis in Christo erant fide conuersi,

Ioan.c. 8. *si vos filius liberauerit, tunc liberi eritis.* Et *quidnam istud attendite, ipso Domino prædicante. *Si manseritis in meo verbo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberauit vos.* Ac per hoc hortatur, vt sequendo illud, quod dedit per gratiam. nos ad veram liberationem perducat. Vnde tunc homo perfectè in bonum, liberum possidebit arbitrium, quando omnino non poterit seruire peccato. Item *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, id est, sicut in cœlis angeli, ita te homines veneremur in terris. Et quemadmodum illi concordia inculpabili caritate deuoti, in laude Dei videntur iugiter inhærere, ita nos in suo timore & amore iubeat sine labe purgare. Item, *Fiat voluntas tua*, id est, sicut spiritus, qui de cœlis & cœlestia cogitat, ita & caro, quæ de terra est, terrena non cupiat: sed quæ sunt spiritus, hæc intendat, & quasi facta concordia, pariter ad cœlos ascendat. Ergo *sicut in cœlo*, id est, in spiritu, *ita & in terra*, id est, in carne fiat Dei voluntas, vt iam post aduentum Christi non caro, quæ mater est criminis, spiritum festinet, sicut Eua, decipere, sed Adam, qui est in typo spiritus, carnem habeat famulantem, nec dominus ancillæ, sed ancilla seruiat dominanti. *Sicut in cœlo & in terra.* Homo ante baptismum carnalis esse describitur, post baptismum spiritalis efficitur: ideoque pro illis, qui adhuc sine lauacro loti non sunt, à nobis oratur, vt sicut nos videmur facti esse cœlestes, per baptismum, ita & illi, qui adhuc ab Ecclesia peregrini sunt, tanto beneficio non fraudentur; ser per munificentiam Domini nobiscum dona similia consequantur. Quia & cum illi consortes facti fuerint, nos facultatem non amittemus, sed augebimus. *Qualis sit autem inuidia, vt homo non oret pro homine, sicut Chri-

*quando fit.

*Quare.

ut Christus, vt nos acquireret, suo sanguini non pepercit? *Item fiat voluntas tua.* Voluntas patris erat, quod filius prædicauit, quod operatus est, quod passus & mortuus est, & resurrexit, sicut ait. *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem eius, qui misit me patris.* Ergo orandum est, vt nos similiter mereamur ducere, agere, sustinere, & in ipso resurgere, vt possimus cum ipso regnare. Item *fiat voluntas*, Deus incommutabiliter bonus, qui aliud nihil nisi semper vult bonum, quamuis nos moles impediat peccatorum. Ergo bene videmur optare, vt nobis ea contingant, quæ Deus vult, cum sciamus eum bonæ voluntatis habere perfectionem, &c. Ioan. c.5.

Panem nostrum cottidianum da nobis hodie.

CONSIDERANDVM est, quam mirabiliter orationis huius ornatus sit textus, vt nominatis æternis, temporalia peterentur. Nam tria ista * quæ poscimus, id est, *Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, Fiat voluntas tua, &c.* propter æterna consequenda hic sunt necessaria. Et hic incipiunt; sed perfecta in futura vita possideri credenda sunt, & perpetua manebunt. Ergo *panem nostrum da nobis*, quantus animæ & carni est necessarius, spiritualier vel corporaliter. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo.* quæ ad præsentis vitæ opportunitates pertinere videntur. Denique *nominis eius sanctificatio & regnum eius* in spiritu & corpore nostro post resurrectionem perfecta manebunt. Item *panem nostrum*, quisquis ad veram salutem peruenire meruit, Christum esse panem vitæ perpetuæ non ignoret, quia dixit. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Vnde iste panis non est communis cum reliquo, quia ille corpora protegit, iste nouit animas enutrire; & qui illum manducat, esurit, qui autem isto fruitur, nulla fame torquetur. Et ideo tanto magis iste cibus quærendus est, quanto plus reficit epulatus. Quod vero *panem quotidianum petimus*, hoc insinuare videtur, vt communionem eius corporis, si est possibile, omnibus diebus reuerenter sumamus, quia cum ipse vita nostra sit, nutrimento nostro, peregrinos nos facimus, si ad Eucharistiam tardi accedamus. Item dum dicimus *Panem nostrum da nobis hodie.* cognoscimus non nobis sufficere, quod præterito die Deum rogauimus nisi & ei in præsenti oratione vacemus. Propter illud *sine intermissione orantes.* Item hic aduertendum est, quod, postquam ad Christum peruenimus, & mundum cum pompis suis reiecimus, non nobis necesse sit, ad escam amplius, quam quotidianus vsus exigit: vt quæramus re vera eum, & aduentum Domini iugiter exspectemus: nam impedimenta mundi, faciunt homines miseros. Et sciamus ei panem sufficere, cui Deus non deficit, quod Heliæ habitanti in Eremo ministrauit.

*quod.

Ioan. 6.

Hyberbaton hic in ordine sermonis, quod & in MSS.

1. ad Thessal. c. 5.

Et dimitte nobis debita.

BENE post escam quæsitam postulatur venia peccatorum, vt qui Dei cibo pascitur, Deo viuat, si ei dimittantur peccata; & congrue, ne se humana extollat superbia, quæ petendo veniam, videtur confiteri delicta; cum tamen si purgari desiderat, sæpius ad orationem recurrat. Conuenienter autem debita peccata dicuntur, quia & debentur, & requirenda sunt. Nam sicut debitum à creditore requiritur; ita peccatum à Deo in die iudicii * necessario exigitur, nisi hic, dum viuimus, per pietatem eius & indulgentiam ista nobis exactio condonetur. Et merito remitti cuncta hic rogamus, vbi delicta committimus, quoniam in futuro, sicut precari non licet, ita non vacat pœnitere. Sed addendo.

*necesse est exigatur.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

QVI pium se ostendit & legem imposuit, vt nisi qui peccanti culpas indulserit, sibi indulgeri à Deo non exspectet: propter illud, *qua mensura* * *mensi fueritis, remetietur & vobis.* Item *misericordiam & iudicium cantabo tibi,* quoniam qui in nobis pius est, vult nos esse aliis miserantes. Vnde merito de culpa vapulat, qui magistri verba declinat. Summa est Eleemosyna, alteri remittere, quod * tibi videatur peccasse. Item *dimitte nobis debita*: quid ergo de baptismi fonte surgentes & corpore Christi communicantes, mox nobis dimitti peccata petimus? quia fragilitas nostra conseruare puritatem lauacri non potest, quod de fonte percipit, nisi dignetur Dei gratia custodire. Et bene, *sicut nos dimittimus debitoribus nostris,* vt ostenderetur, quia Deus pacis cum omnibus vult nos concordes esse.

*mensurati. Matth. c. 7 Psalm. 100 * in te.

Ne nos inducas in tentationem.


NVNQVID Deus aliquem in laqueum tentationis inducit? aut ab inimico cupiat supplantari? qui monet, ne * incidamus.

*incidatur.

II.

AD SALVTAREM VIRVM ILLVSTREM *MVMVLENVM CONSOLATORIA, in morte filiæ decennalis.

*deest in quibusdam MSS.



INTER humanæ conditionis * subrepentia vulnera, quæ semper incerto tramite nutantium animorum, ac labentium temporum reddunt vota suspecta, nihil est in aliquo magis quod cruciet, quam quenquam aut non videre, quod cupiat, aut videre,

*subripientia.

videre, quod perdat. *Nam trepidans animus in vtroq;, non modico sub fasce succumbit, dum pendulus spectat diuturnè, quod habeat, &, vt habere cæperit: mox amittat; sc. afflictus, donec impetret, elisus si perdat, sed grauius hoc iaculo res illa percellitur, cum inter spem, vel sperata debet amittere: atq; ita illic spes *tenditur; hic damnatur; illic dubius mœror an habeat, hic certus dolor est si relinquat. Habet hoc insitum natura, præuaricatione protoplasti parẽtis ad nos decursa morte mulctata; vt sępe, quod vix acquiritur, mox linquatur: & serpentis inueterati dente radicem sic perculit; vt nec arbor steterit, nisi in mortis stirpe fixa viuat. Misit hoc posteris hæreditas parentalis, vt *subiacentes morti, quæramus viuere morituri, vulnificauit cunctos infœlicis arboris acquisita possessio, quæ blandientibus pomis * proli prius nocuit, quam nutriuit. * Quod certe sub epuli specie mors intrauit, & hoc ferali tactu læsit parentes, & posteros illos *gustus; nos *succus: quoniã virulentæ suasionis poculum, quod pater male sorbuit, in prolẽ transfudit; & vt ita dictum sit; quod à fõte manauit, in* riuos defluxit. Intulit hoc igitur illa mater de genere, sed nouerca de crimine, infœlix cunctis Eua monades, quod certe sola sic extruxit; vt vniuersa destrueret, quo veterata machinatione decipulæ, rudem virum perderet, & ipsa periret. Sed proles quid boni faciet, si se in calumniam vel *mala parentis extendat? aut vt illum iterum detrahendo remordeat, qui semel morsu perierat, cum ipse sibi sufficeret suus lapsus, noster occasus. Itaque puto incongruum, si illum *remordero, per quem *gratis inuenit gratiam, cuius *occasu vitalis alimoniæ mors cæpit depasci: cui dum oculorum apertio promittitur, lux fugatur, & diuinitate promissa, homo lapsus redit in terram: hinc est quod prolem genitam nocens esca traxit in prædam. Fecit illa captiuitas nos prosperis exules, aduersis consortes; & tantum peregrinatio grauior, quantum mors dura notior. Nascitur ab Adam vetere vsq; ad nouum hominem vita nostra cum morte. Hinc se nec Abel exuit, nec Enoch effugit, nec Noe se subtrahit, qui diluuio mortem distulit, nõ mutauit: hoc patriarcha non renuit, hanc legem legifer non auertit, propheta sustinuit, & plus quam propheta succubuit: Sara quoque, Rebecca, Rachel, Anna, Elisabeth, licet sexus inferior, tamen hoc simul bibit amarum. Quis conqueratur de reliquis, cum ipse triumphator mortis pro parte, qua caro factus est, & morti subiectus est. Nec fuerat plenus homo, si non sensisset & tumulum. Nec Deus crederetur, nisi surgeret de sepulchro. Hinc est quod loquor, charissime, & *fideli dilectionis mihi voto connexe, eo quod tuos per apices natæ sanctæ transitum conquerari s, vix singultu rumpente, indicans calamo tristi decennalis ætatis irruente funere, pubertatis teneræ *flosculum marcuisse, cum pœnè nuptiali retracta de limine, non ad patris votum thalamo datur, sed tu-

*cum. *tenetur. *iacentes. *prolem. *Qua. *gustu. *succo. *riuo. *mali. *remorsero. *grates venit in gratum. *occasione. *fide. *floscula.

sed tumulo: & diuerso cantico non thoro traditur sed sepulchro. Ad cuius forte vota iam festinans familia feruebat, sedulè parentela excitabatur & patria. Mater erat prece suspensa, ipsa assurgebat cura nutricis iuncta pubertati rosea modestia & festiua arte sui sexus ornata; sed, quo me rapit, formæ decor, se prodere tam cito fugax, quam caro mendax, cum defunctæ si prædicetur gloria accrescant lamenta. Habuisti igitur istud pater, sed non tuum: reddidisti potius commodatum: ploratur velut amissum, sed consideretur non perditum, quod ad Christum redit intactum. An certè conquereris, quasi solus ista perpessus sis, cum casus hic vincat & reges. An felicior Augusto? fortior Alexandro? fauorabilior Traiano? sanctior es Theodosio? cum hoc habeat obitu æquale, tam miles quam princeps. Patienter dolendum est, quod habes commune cum mundo. Quantas autem fœminas ab ipso primo complexu retraxit ad tumulum? & pertulerunt dispendium agnito, viro non habito: quæ bis lamentandæ sunt, antea pudorem perdere, & post sic periisse. Vnde licet conquerаris talem te tali casu amisisse sobolem, nulli tamen nouum est; vt non potuisset hoc vitare puella, quod venit per fœminam. Illud potius inspice, vt ista res funeris sit virtutis: & ad illorum exempla te coæqua, qui dolore victo, surgunt ad palmam. Habes itaque inter ipsa patientiæ culmina, primum velut in specula Iob, censuram, & normam: qui pro filiis Domino sic gratias retulit, tanquam si tunc acceperit, cum amisit. Qui vir experientiæ, voluntati diuinæ tradidit totum, ne caderet. Quid vero Dauid? fortis licet Goliam subdiderit, non se velut fœnum nutui cœlesti substrauit, cum filio amisso lauit, epulatus est, ne repugnaret intelligens vni cedere, qui cuncta formauit. Seruus fidelis timuit offensam boni Domini prouocare, vel murmure, * cui vt iungeretur, diuinas ad nuptias, iugiter diffluebat pius pater per lacrymas. Potestis autem coniicere, quod talem non tolleret nisi suis thalamis placuisset. vnde nosti abyssum diuini consilii? vel tuæ natæ qualis in corde concupiscentia latitauit? Fortassis hoc antea elegit quod meruit, & illud prodiit, quod optauit. Qua de re, vir optime, esto tibi * iudex & * patere: * Nam si per charitatem te temperes, & te iudices, non offendis: præsertim cum te mitiget promissio redemptoris, & præconis Pauli vox similata * tonitru, quia in ictu oculi resurgere maturabunt sepulti, & viuent sub vmbra Christi de virginitate securi.

*quem vt iungeret.

* vix.
* pater es.
*hoc est.
*tonitrui & o.

Scri; ta videtur ad regiæ proceres & senatores.

III.

Item alia.

DOMINIS illustribus cunctisque magnificis omni desiderio complectendis, seruientibus dominorum, si humanæ consuetudinis isthuc se ge-

ſe generaliter, per omnes, vnus vſus extendit, & ab antiquis atauis ipſo tradente * genere, ad nos vſque naturali quodammodo lege peruenit; quod *generet. triticei panis oblectante candore, vel ſuauitate paſcente poſt ad hordeacę frugis ariſtoſa cibaria faſtidioſo nimium dente, nare, fauce, tranſitur: cum delectabilis eſcæ dulcedine permutante, ad conuiuium pergere, ni fames vrgeat, auſteritas epuli nō inuitat. Hinc eſt, quod illuſtris ac magnifica celſitudinis veſtræ gratia copioſa quotidianæ diſciplinæ doctrina ſuperinundante refecta, & feruentis ingenii ſtudio lucubrante polita poſt illum, vt dixerim, deterſum eloquentiæ veſtræ nitorem & perſpicuè *clarum exercitatione purgante, ad linguę noſtræ rubiginoſā facundiā faſtidioſe veſtri ſēſus fulgida lux inclinat: cum tale ſcit, quod ſermonis noſtri rumores vacillantes auditis, ac ſi poſt epulas coturnicis, aut Phaſidis, viris delicatiſſimis cibos ingeram pecuales. Sed inter hæc vna ſpe præſumptionis videor animari, eo quod aliquatenus poſt regales delicias, eſca deſideretur ruralis; & ſæpè ruſticus offerat, quod animum potentis oblectat. Nā quamuis regum conuiuiis auro intermicante, purpurata palla coruſcet, ſæpè tamen iucunditate placere menſa plus aſſolet, vel adumbrata foliis ordinatis ex palmite vel ſuperiecto hederæ corymbo criſpante. Itaque habet & de ſylua reductus paſtor quod profert; cui ſi deſint reliqua, tamen dignantem conuiuam vel de lacte diues inuitat. Quapropter dominationi & celſitudini tuæ, teſte domino loquor; profuſæ dulcedini veſtræ ſalutem venerabiliter ac deſiderantiſſime perſoluentes. Æterni regis clementiam deprecamur, vt dominis præcellentiſſimis feliciter regnantibus ac vniuerſæ poteſtatis officiis creſcentibus, ita fugitiuæ huius vitæ ſpatia producantur, vt illi piiſſimo tramite gubernando, & vos ſine macula fideliſſime ſeruiendo, creatoris ac redemptoris noſtri * deſideratum pariter intretis in regnum, ſperantes in Chriſto de veſtræ charitatis affectu, humilitatem noſtram peculiariter omnibus ſanctis & domini famulis, ſed etiam dominis regnantibus, vel eorum fidelibus proflua dulcedine commendetis, hoc fiducialiter deprecantes, vt veneratorem veſtrum, portitorem præſentium hominem dominæ Radegundis matris veſtræ animæ ſanctæ, vel ea, quæ pro vtilitate ac neceſſitate prædictæ Dominæ ſuggeſſerit, coram Chriſto & eius Angelis tam pro ſui reuerentia quā prece noſtra propriū habere dignemini, indubitabiliter intimamus. Vt quod pro cauſſa illius apud præſentes Dominos Reges impenditis, ab æterno rege, centuplicato munere, ſuis orationibus acquiratis.

Solœciſmi quidam Pleonaſmus, vel ἀνακόλουθον.

*clara.

*deſiderato in regno.

Paramythia forte ad Mumulenum ſuper obitu filiæ.

IV.

Item alia.

CELSITVDINIS veſtræ legatis tranſcurrentibus, omni caritate refertas nos inſaturabili voto ſuſcepiſſe gratificamur epiſtolas: in quibus

Elizabeth datus est quando propheta potens.
Quique redemptorem è cœlo regem omnipotentem,
Post ait, vt terris ventre Maria daret.
Qua sacer antistes noua tecta Gregorius effert,
Vt sibi cœlestes restituantur opes.

VI.

Ad ecclesiam Toronicam, quæ per Episcopum Gregorium renouata est.

EMICAT altithroni cultu venerabile templum,
Egregium meritis, nobilis arcis apex.
Quo propria tunica dum operit Martinus egentem,
Gestorum serie fulgida signa dedit.
Namque idem antistes sacra dum mysteria tractat,
Lumina gemmarum est visus habere manu.
Ac de veste fuit quantum sua dextera nuda,
Tantum membra sibi gemma corusca tegit.
Sanctus item Domini almam dum benediceret aram,
De capite est visus flammeus ire globus.
Quæ modo templa sacer renouata Gregorius effert,
Et rediit priscus cultus honorque suus.
Fulgida præcipuè nituerunt culmina templi,
Postque vsus veteres præmicat aula rudis.
In senium *veniens melius reuirescere discens,
Diruta post casum, firmius acta situ.
Martini auxiliis operando Gregorius idem,
Reddidit iste nouus, quo fuit ille vetus.
Clara supercilio domini delubra nitescunt,
Alma licet merito sunt quoque celsa iugo.
Inuida subruerat quam funditus ipsa vetustas,
Vt paries liquidis forte solutus aquis.
Quam pastor studuit renouare Gregorius ædem,
Nec cecidisse dolet, quæ magis aucta fauet.
Ambianis tremulum cernens Martinus egenum,
Dimidiæ chlamydis mox ope membra tegit.
Sed coram angelicis turmis se hanc nocte silenti,
Pauperis in specie Christus habere refert.
O sacer antistes, meritis referende sub astris,
Vnde tegis nudum, hinc tua palla Deum.

* In seniumque ruens.

S Martini varia miracula describit, quę epigrammatum instar picturis suis quæq; respondisse videntur.

Inter opima Deus figulus quæ fascula fecit,
Martinus meritis vas in honore nitet.
Leprosi maculas preciosa per oscula purgans,
Cui quod ab ore dedit, pax, medicina fuit.
Vlcera morbosi curans sic fauce beatus,
Quod Iordanis agit, tacta saliua facit.
Quam generosa fides Martini in sæcula, ciuis
Qui quocunque fuit, mors ibi perdit iter.
Denique cum extincto catechumenus ore iaceret,
Se super extendens, effugat arma necis.
Sic viduæ genito laqueato deinde reducto,
Est vir vbi iste Dei, non licet ire mori.
Fanaticam pinum sanctus succidere cogens,
Iustum ibi supposuit rustica turba premi.
Cæsa secure arbor, cum iam daret alta ruinam,
Ad crucis imperium est ire coacta retro.
Quis vigor hic fidei? validæ dum pondera pini
Quo natura negat crux facit ire viam?
Serpentis morsu tumidum suprema regentem,
Hic digitum vt posuit, pestis iniqua fluit.
Collecto morbo huc & ab vlcere pollice tracto,
Dumque venena cadunt, erigit ille caput.
Vnguentumque nouum digitis traxisse venenum,
Et tactu artificis sic superasse neces.
Dum latro extinctus falso coleretur honore,
Voce * hac Martini cogitur vmbra loqui. *hoc.
Publice se referens scelerum pro more peremptum,
Se quoque nec iustum, sed magis esse reum.
O vox sancta loqui defuncta cadauera cogens,
Qui post facta iacens dat sua verba cinis.
Pergeret in fluuium dum vipera lapsa natatu,
Et prope littorei tangeret ora soli.
Martini imperio liquidas reuocatur ad vndas,
Transactumque viæ lassa recurrit iter.
Quantus amor Domini tali sub corde calebat,
Quando venena potens ipsa retorquet aquis?
Martini meritis aliis quoque febre crematis,
Sudores refluos pagina sicca dabat.
Vnde salutifero medicamine charta fouebat,

Atque

Atque graues ignes littera tinguet aquis.
Gratia quanta Dei huius sermone rigabat,
Febre vbi succensis fons suus ibat apex.
Alme Deus rerum pie summe Gregorius arcis
Tu cui das sedem, dat tibi templa sacer.
Nam veteri fuerant hæc funditus eruta lapsu,
Tecta labore nouo quæ modo culta cluunt.
Iure potestatis cui tu bone conditor orbis
Hæc danti in terris culmina redde polis.
Victa vetustatis per tempora culminis *arcta
Diruit, vt melior surgeret * aula, solo:
Quo sacra Martinus domini mysteria tractans
A capite igniferum misit in astra globum.
Nec tamen ipsa ruens miserando fine iaceret,
Pontificem meruit, qui sibi ferret opem.
Quæ rediuiua micans instante labore Gregori,
Decidua menio floret honore nouo.
Fundamenta igitur reparans hæc prisca sacerdos,
Extulit egregius, quam nituere prius,
Nunc placet aula decens patulis oculata fenestris,
Quo noctis tenebris clauditur arce dies.
Lucidius fabricam picturæ pompa perornat,
Ductaque quæ fucis viuere membra putes,

*acta.
*aura.

Picturæ hic expressa mentio, qua ædes exornata.

*satio.

Leprosum purgauit.

PANNONIÆ *regio misit tibi, Gallia, fructum
Gignens cœlestem terra maligna dapem.
Martinum inlustrem meritis, qui munere diuo
Culmen inætherea sede senator habet.
Qui lepræ maculas medicata per oscula purgat.
Curat & infectum pura saliua virum.
Ad fluuium domini cui non fuit iste labore,
Quod Iordanis habet, sanctus ab ore dedit.
Qui sacer ipse inibi te, pastor, agente Gregori,
Fortunato adimat tot maculosa reo.

Chlamys diuisa.

DVM Chlamydem Martinus inops diuisit egeno,
Christus ea memorat se bene veste tegi.

Diues paupertas, dominum quæ texit amictu,
Cui Deus occurrit, qui dedit astra faber.

Tunicam dedit.

NOSCERE qui mauis Martini gesta beati.
Hic poteris breuiter discere mira viri.
Denique cum tunicam sacer ipse dedisset egenti,
Ac sibi pars tunicæ reddita parua foret.
Quod non texerunt manicæ per brachia curtæ
Visa tegi gemmis est manus illa viri.
O nimium fœlix, cui contigit in vice lanæ
Nobilium lapidum lumine membra tegi
Vt cum adhuc cinere aspersus foret atque fauillis,
Artifice angelico gemmeus iret homo.

Mortuos tres suscitauit.

QVID Deus in famulis operetur opimus amator.
Martini gestis magna probare potes.
Ducere qui meruit de morte cadauera vitæ
Rettulit atque diem, reppulit vnde necem.

Pinus excisa.

DVM caderet Martinum arbor pressura beatum,
Mox facit ipse crucem, pinus abacta redit.
Quis non virtuti diuinæ commodet aurem?
Dum trabe conuersa dant quoque ligna fugam.

Idola prostrata.

IDOLA dum cuperet Martinus sternere fulta,
Conterit hæc cœlis magna columna ruens:
Auxilium ad iusti dignando militat æther;
Quanta fides, cuius currit ad arma polus?

Falsus Martyr.

FORTE colebatur dum quis pro martyre latro,
Martini aduentu se probat esse reum.
Virtutis merito, fidei radiante corusco,
Nec tacet extincti, nec latet vmbra rei.

Ad Chil-

VII.

Ad Childebertum Regem & Brunichildem reginam, de natalitio sancti Martini Turonici.

PRÆCELSIS dominis famulus dum corde pusillus,
Fluminibusque vagis per vada pergo rate.
Ecce superuenit venerandi in sæcula ciuis,
Martini meritis luce perenne dies.
Qui modo de Gallis totum mire occupat orbem,
Et virtus pergit, quo pede nemo valet.
Qui velut alta pharus lumen pertendit ad Indos,
Quem Hispanus, Maurus, Persa, Britannus amat.
Hunc oriens, occasus habet: hunc Africa & Arctos
Martini decus est, quo loca mundus habet.
Quique per Oceani discurrit marginis vndas,
Omnibus vt præstet circuit orbis iter.
Per cinerem ascendens, per dura cilicia cœlos,
Stat modo gemmatus, pauper in orbe prius?
Quo patriarcharum decus est, radiantque prophetæ,
Quo est sacra turba senum bis duodena patrum.
Inter Apostolicum numerum rutilante senatu,
Quo sedet ipse throno, rex sibi Christus amor.
Quo excellit cum claue Petrus, cum dogmate Paulus,
Fulget & in reliquis palma, corona, fides.
Quo loca Martyribus veneranti lumine florent,
Atque libro vitæ est scriptus honore cruor:
Quo confessores gemmata palatia complent,
Æternumque tenent aurea tecta diem.
Stat quoq; post lacrymas vbi nunc Radegundes opima,
Forsan & Eugenia hanc tenet illa *manum.
Hos inter Martinus habet diademata pulcher,
Atque sacris lumbis fulgida zona viret.
Cantat * Gregorius Christi de morte triumphos,
Atque resurgenti plaudit amore Deo.
Hunc quoque Martinum colitis quem regna patronum
Vos hunc in terris vos memor ille polis.
Vos * iter angelicas turmas canat ille sub astris,
Cui vos ante homines fertis honore diem.
Nomina vestra legat patriarchis atque prophetis,

S. Martini quam clara orbe toto Christiano veneratio.

S. Martini in cœlitum ordine gloria.

B. Rhadegundis mors beata.

*manu.

*egregius

Childeberto S. Martini honores gratulatur

* inter.

Cui

Cui hodie in templo diptychus edit ebur.
Reddat apostolicos proceres reliquosque patronos,
Quem vos hic colitis, vel pia festa datis.
Pergat & ad Christum pro vobis ille precator,
Cui vos in templis vota precando datis.
Ante poli referat sua hæc sollemnia Regem,
Dentur vt hinc vobis regna, salutis opes.

S. Martini patrocinium multiplex optat regiæ stirpi.

Deputet & Dominus vestrum hunc esse patronum,
Vt modo qui colitur, vos colat huius opis.
Qui dedit his habitans miracula plurima terris;
Distribuat vobis hic quoque mira potens.
Cuius gemmata tunc dextera visa beati,
Vos simul & vestras protegat illa manus.
Qui tunc promeruit reuocare cadauera vitæ,
Hic quoque pro vestra dona salute ferat.
Qui percusso homini abstraxit de carne venenum,
Noxia de vobis ipse venena vetet.
Qui serpentis iter fecit reuocare retrorsum,
Ipse graues casus, hinc fuget ire retro.
Qui de peste domum saluam dedit esse Lyconti.
Hæc domus incolumis floreat huius ope.
Cuius opima chlamys tremebundum texit egenum;
Eius apostolici vos tegat ala viri.

Ad Brunichildem transfert vota.

Qui viduæ matri reuocauit ad vbera natum;
Ipse tibi hæc tribuat pignora mater, *aua.

*auia.

Vt Childebertus maneat cum prole nouella,
Rex sua regna tenens, & noua regna trahens.
De genita vt videas genitrix vt dulcius optas,
Deque nuru chara quod tua vota rogant.
Vnde hic felices habeant sua festa fideles,
Et domini famulis sitis honoris apex.
Quo tibi plus libeat Brunichildis habere patronum,
Quando domum Dominus seruat in orbe pius.
Sic quoque te erudiat, regat, & sic tramite ducat.
Actibus ipsa piis vt sibi iuncta mices.

VIII.

Ad eosdem in laude.

Childeberti & prolis eius encomiũ.

SI præstaretur præconia pandere regum,
Non mihi sufficeret nocte dieque loqui.

Qualiter

Qualiter hic populus dominorum pendet amore,
Et vestris oculis lumina fixa tenent.
Vos quibus & speculum, & lux & dulcedo manetis,
Charum ornamentum, his simul estis honos.
Præcipuum donum, placidum & placabile regnum.
Ac vestro in statu est culmen in orbe pium.
Hisque parentela & patria, & tutela coruscat,
Hic decus atque gradus, hic pietatis opus.
Hic tranquilla dies, hic spes iocunda fideli,
Postque Deum, in vobis dona salutis habent.
Hic ego cum populo mea vota & gaudia iungo,
Quæ pius amplificans crescere Christus agat.
Præster cura Dei vos longa in sede tueri,
Cœlesti ac dono regna tenere diu.
Adquiratis adhuc noua, vel possessa regatis,
Ac pie participes has foueatis opes.
Vt tibi quæ floret de nato & germine, messem
Maturam videas mater honore micans.
Sic vt ex genito genitisque nepotibus amplis,
Altera progenies inclyta detur auæ.
De Childeberti dulcedine, flore, salute,
Fructum habeas genitrix, plebs sua vota videns.
De nata atque nuru cumulet tibi dona creator;
Cumque pio merito stes placitura Deo.
Hic quoque promerear rediens dare verba salutis,
Congaudens dominis paruulus ipse piis.
Prospera sint regum, populorum gaudia crescant;
Exultet regio, stet honor iste diu.

Regni florens status

Poetæ votum.

Brunichildem alloquitur.

IX.

De nauigio suo.

REGIBVS occurrens vbi Mettica mœnia pollent,
Visus & à Dominis ipse retentor equo.
Musellam hinc iubeor percurrere nauita remo,
Accelerans tremulis pergere lapsus aquis.
Ascendensque ratem gracili trabe nauta cucurrit;
Nec compulsa Nothis prora volabat aquis.
Interea locus est per saxa latentia ripis,
Littore constricto plus leuat vnda caput.

Musellæ nauigatio à Mediomatricis Antonnacum vsq; quod assidet Rheno.

Huc proram implicitam rapuit celer impetus actam,
Nam propè iam tumidas ventre bibebat aquas,
Ereptum libuit patulos me cernere campos,
Et fugiens pelagus ruris amœna peto.
Orna. Gurgite suscipior subter quoque fluminis Ornæ,
Quo duplicata fluens vnda secundat iter.
Inde per exclusas cauta rate pergimus vndas,
Ne veluti piscem me quoque nassa leuet.
Inter villarum fumantia culmina ripis,
Sura. Peruenio qua se voluere Sura valet.
Inde per extantes colles & concaua vallis,
Ad Suram pronis labimur amnis aquis.
Treuiris. Perducor Treuirum qua mœnia celsa patescunt,
Vrbs quoque nobilium nobilis æq; caput.
Treuericæ coloniæ ruinæ. Ducimur hinc fluuio per culmina prisca senatus
Quo patet indiciis ipsa ruina potens.
Vndique prospicimus minitantes vertice montes.
Nubila quo penetrans surgit acuta silex.
Qua celsos scopulos prærupta cacumina tendunt,
Vitiferi colles mõtesque. Hispidus & tumulis crescit ad astra lapis.
Nec vacat his rigidis sine fructibus esse lapillis,
Denique parturiunt, saxaque vina fluuut.
Palmite vestitos hic respicis vndique colles,
Et vaga pampineas ventilat aura comas.
Cautibus insertis densantur in ordine vites,
Vinitorum Mosellanorum solertia. Atque supercilium regula picta petit.
Culta nitent inter horrentia saxa colonis,
In pallore petræ vitis amœna rubet.
Aspera mellitos pariunt vbi saxa racemos,
Et cote in sterili fertilis vua placet.
Quo vineta iugo caluo sub monte comantur,
Et tegit vmbrosus sicca metalla viror.
Inde coloratas decerpit vinitor vuas,
Rupibus adpensis pendet & ipse legens.
Delicias oculis habui, dapibusque cibatus,
Hæc iocunda tenens nauita regna sequens.
*Cõstrua. MS. Tilioba. Hinc quoq; ducor aquis, qua se rate *Contrua complet,
Quo fuit antiquum nobilitate caput.
Tum venio, qua se duo flumina conflua iungunt,

Hinc

Hinc Rhenus ſpumans inde Moſella ferax.
Omne per illud iter ſeruibant piſcibus vndæ, Confluentes.
Regibus & dominis copia feruet aquis. Piſcium fertilitas.
Ne tamen vlla mihi dulcedo deeſſet eunti,
Paſcebar muſis, aure bibente, melos.
Vocibus excuſſis pulſabant organa montes, Tubarum & cornuum cantus in regio comitatu.
Reddebantque ſuos pendula ſaxa tropos.
Laxabat placidos mox ærea tela ſuſurros,
Reſpondit cannis rurſus ab alpe frutex.
Nunc tremulo fremitu, modo plano muſica cantu,
Talis rupe ſonat, qualis ab ære meat.
Carmina diuiſas iungunt dulcedine ripas,
Collibus & fluuiis vox erat vna tropis.
Quo recreet populum, hoc exquirit gratia Regum,
Inuenit & ſemper quo ſua cura iubet.
Antonnacenſis caſtelli promptus ad arces, Antonnacenſe caſtellum vel Antonnacum.
Inde *prope accedens ſarcina pergo ratis. * per.
Sint licet hic ſpatiis vineta in collibus amplis,
Altera pars plani fertilis extat agri.
Plus tamen illa loci ſpecioſi copia pollet,
Alter quod populis fructus habetur aquis.
Denique dum præſunt Reges in ſedibus aulæ, Piſcatio Salmonum.
Ac menſæ officio prandia feſta colunt.
Retibus inſpicitur quo ſalmo faſce leuatur,
Et numerat piſces cum ſit in arce ſedens.
Rex fauet, immenſa reſilit dum piſcis ab vnda,
Atque animos reficit quod ſua præda venit.
Illuc fauſta videns, huc læta palatia reddens,
Paſcens ante oculos poſt fouet ipſe cibis. Palatium Antõnaci quod hic & aula & arx.
Præſentatur item menſæ Rheni aduena ciuis,
Turbaque quo reſidens gratificatur edens.
Iſta diu dominus dominis ſpectacula præſtet,
Et populis dulces detis habere dies.
Vultibus ex placidis tribuatis gaudia cunctis,
Veſter & ex veſtris lætificetur apex.

X.

*De oratorio * Artanenſi.*

MAGNA beatorum retinet hæc terra talenta, *Artannenſe.
Diuinis opibus diues habetur humus.

S. Gabrielis archangeli cultus

Pax dextra Angelico Gabrielis honore coruscat,
Gaudia qui mundo detulit ore sacro.
Quando æternalem concepit virgo salutem,
Dona redemptoris nuntius iste ferens.

Sepulchri Domini.

Læua est parte lapis tumuli, quem corpore Christus
Pressit morte breui, victor eundo Patri.

Sanctorum variorum reliquiæ. S. Georgii mart. SS. Cosmę & Dam. S. Iuliani Aruern.

Hic quoque relliquiis micat ille Georgius almis,
Qui probus igne redit, nec pice mersus obit.
Sunt etiam Cosmas, Damianus, & ipse salubres,
Non ferro artifices, sed medicante fide.
Est Iulianus item gladio iugulatus amico,
Plebs quem Aruerna colens arma salutis habet.
Martinusque sacer, retinet quem Gallicus orbis,
Cuius Christum operit dimidiata chlamys.

S. Martini.

Se tunica spolians, nudum qui vestit egenum,
Vnde datæ tibi sunt alba, topazus, onyx.
Quæ meruere aliqui hoc in corpore cernere sancti
Gemmarumque sonus quod patefecit opus.

S. Victoris

Additur hic meritis cum nomine Victor opimis,
Munere martyrii qui tenet alta poli.

S. Nicetii.

Hic veteris virtute viri noua palma Niceti,
Vrbem Lugdunum qui fouet ore sinu.
Horum pastor opem, corde, ore Gregorius orat,
Viuat vt Altithrono vir sine fine DEO.

XI.

Versus facti super mensa in villa sancti Martini ante discriptores.*

* in.

Paschali hilaritate inuitatus, profundit extempore versiculos.

CVM videam citharæ cantare loquacia ligna,
Dulcibus & chordis admodulare lyram;
Quo placido cantu resonare videntur & æra,
Mulceat atque aures fistula blanda tropis.
Quamuis hic stupidus habear conuiua receptus,
Et mea vult aliquid fistula muta loqui.
Ecce dies in quo Christus surrexit ab imo,
Infernæ legis rumpere vincla potens.
Quando & vinctorum lachrymantia millia soluit,
Et reuomunt multos Tartara fracta viros.
Additur hic aliud, quod Martini aula beati

Emicat

Emicat hæc, vbi nunc prandia festa fluunt.
Qui valuit gestis aures pulsare tonantis,
Obtinet & meritis, quod petit alta fides.
Qui pie restituit defuncta cadauera vitæ,
Atque Dei prompte præbet amicus opem.
Cui successor ouans modo rite Gregorius extans,
Ille quod acquirit, hic regit ore, fide.
Qui rogat hic præsens, alibi licet insidet absens,
Exhibet atque cibos pastor in orbe bonus.
Nunc igitur celebrate diem solemniter omnes,
Quos Deus omnipotens huc dedit esse pares.
Quos sibi Martinus collegit amore benignus,
Et facit ecce escas hic epulare suas.
Ergo sub incolumi Childeberto ac Brunichilde,
Quos tribuit celsus regna fouere Deus.
Vos quos miserunt populum moderare fidelem,
Et releuare inopes, si quis & extat egens.
Ac bona de dominis nascendo & agendo benigna,
Sint quoque lætitiæ pabula vestra fide.
Quos inuitauit Martini mensa beati,
Sumite gaudentes quod dat amore dies.
Quæ bonus antistes nascendo Gregorius expers
Plaudat, & hæc populis gloria vestra canat.
Cuius & hæc domus est à Christo exoret amator,
*Reges ac populos vt tegat arce Deus.

Prandium à Gregorio Turon. præbitum.

Regibus fausta accinit.

*Rege suos. & Reges vos.

XII.

Pro puella à iudicibus capta ad Gregorium Episcopum.

EXEMPLO Domini mihi vel venerabilis orbi,
Qui minimas non vis perdere pastor oues.
Sollicitis animis curam per pascua tendens,
Ne desint caulis circuis ore greges.
Hic igitur gerulus genitam flens impie demptam,
Captiuam sobolem tempore pacis habens.
Martinique pii successor honore Gregori,
Qui pater es populi, hanc rogo redde patri.
Iugiter ille sacris, meritis illuminat orbos;
Orbatam hanc patri redde videndo diem.

XIII

Item pro eadem re ad Romulphum vel Rainulfum.

SI rapidis oculis te semper amice viderem,
Sic quoque vix auidum me saciaret amor,
Qui si præsentis non possum cernere vultum,
Te mihi vel scriptis chare saluto libens.
Hunc etiam famulum commendo benigne verenter,
Et si iusta petit, hunc tua lingua iuuet.
Qui tortus grauiter genitam sibi luget abactam,
Per vos vt redeat filia, causa rogat.
Paupere vt audito dum estis medicina dolenti,
Et vestris curis sit pia cura Deus.

XIV.

Item pro eadem re ad Gallienum.

OFFICIIS experte tuis, moderamine solers,
Sollicitus studiis, vtilitate comes.
More mihi solito dulcis tibi debita soluo,
Qui colo, deuinctus, reddo salutis opus.
Sit commendatus homo quem male torsit iniquus,
Perdidit & genitam heu miser iste suam.
Huic da iustitiam, de vulnere corporis emptam,
Et pie captiuam fac remeare suam.
Inter vtramque necem cui lex & filia desit,
Vnus in ambabus rebus adesto salus.

XV.

Item pro eadem re ad Florentinum.

DVM pergit hinc quisque viam, mea pagina currat
* quod Prodat vt eloquio *quid sibi debet amor.
Nunc quoque chare mihi, bone semper, amice fidelis,
Pectore deuotus reddo salutis opus.
Commendo hunc etiam famulum dure ante redactum,
Tortus qui legem nec meruisse gemit.
Ille dolens grauius, quam vulnera corpore fixa,
Quod sibi subducta est filia parua, rudis.
Audiat hanc vocem pietas miserando benigne,
Quæ sibi cum tribuis, hinc tibi magna dabis.

Ad Epi-

XVI.

Ad Episcopos in commendatione peregrini.

PONTIFICES summi, fidei via, semita vitæ,
Quos dedit omnipotens luminis esse duces.
Custodesque gregis cœlestis contulit agnus:
Vos bene pastores, vt foueantur oues.
Ecce viator adest peragens iter inscius illud,
Finibus Italicis heu peregrina gemens.
Exulis auxilium, errantis via, norma salutis,
Ad reditum patriæ sitis honore patres.
Semina iactantes, mercedis vt ampla metatis,
Et redeat vobis centuplicata seges.
Fortunatus enim humilis commender opimis,
Ac per vos Domino culmina sancta precor

XVII.

De Platone Episcopo.

PROVIDA disponunt reges solatia plebi,
Pontificem dantes quem probat alma fides.
Vt colat Hilarium, quem dat Martinus alumnum,
Et confessoris protegat ala potens.
Dirigat hic populum successor, honore beato,
Et clerum Ecclesiæ qui moderetur ope.
Floreat arce decens rex Childebertus in orbe,
Cum genitis, populo, matre, sorore, iugo.
Gaudia læta paret præsentia sancta Gregori,
Et geminas vrbes adiuuet vna fides.
Qui modo discipulo Platone antistite summo
Sollemnem Ecclesiæ hic dedit esse diem.

XVIII.

Ad Armentariam matrem Domini Gregorii Episcopi.

FELIX bis meritis sibi Macchabæa, vel orbi,
Nobilitas generis nobilior genitis.
Quæ septem cœlo palmas transmisit ab aluo,
Martyriique decus protulit ille vterus.
Tu quoque prole potens rectè Armentaria fœlix,
Nec minor ex partu, quam prior illa sinu.

Illa

Illa vetus numero maior, tu maxima cœlo:
Quod poterant plures, vnicus hoc tuus est.
Fœtu clara tuo, geniti circumdata fructu,
Est tibi Gregorius palma corona nouus,
Me Fortunatum, humilem commendo verenter,
Ac mihi cœlestem, quæso, preceris opem.

XIX.

Sigoaldo, pro comitatu eius.

Sigoaldus Fortunati ductor ex Italia aduena.

FINIBVS Italiæ cum primum ad regna venirem,
Te mihi constituit rex Sigibertus opem.
Tutior vt graderer tecum comitando, viator,
Atque pararetur hinc equus, inde cibus.
Implesti officium, custos reuocaris amico,
Et mihi vel tandem iam mea cura redit.
Dic meus, vnde venis post tempora plurima, dulcis,
Magnus honore tuo, maior amore meo?
Promptus in affectu, Sigoalde benigne, clientum,
Et Fortunato nomen amice pium.
Rex Childebertus crescens te crescere cogat,
Qui modo dat comitis, det tibi dona ducis.
De domino tali videant sua vota fideles,
Cursibus & fiat prospera vita via.

Ex comitis honore gradus ad Ducatum. Franc. imper.

XX.

Ad Sigoaldum Comitem, quod pauperes pro rege pauerit.

ACTIBVS egregiis præconia fulgida fulgens,
Laus tua Christe sonet, dum bona quisque gerit.
Vnde genus hominum placeat, tu summe, ministra,
Nam nisi tu dederis, prospera nullus agit.
Diuitibus largus, forte hinc & parcus egenis,
*Vt redimat diues, quando fouetur egens.
Dulciter ista tui pia sunt commercia regni,
Dum escam sumit egens, diuitis auget opes,
Pauper ventre satur satiat mercede potentem,
Parua capit terris, præparat ampla polis.
Diuitibus plus præstat egens, quam diues egenti,
Dat moritura cibi, sumit opima Dei.
Dans terræ nummum, missurus ad astra talentum,

*sc.

Eleemosynæ fructus & insignis commendatio.

Et mo-

Et modicis granis surgat vt alta seges.
Dent,iactent,spargant,commendent semina Christo,
Hic dare nec dubitent,quæ reditura manent.
Da,si Christus erit tibi thesaurarius inde,
Præsta inopi,quidquid reddere Christus habet.
Hac animatus ope,exposcens meliora Tonantis,
Nec dubitante fide,quod Deus ista dabit:
Pro Childeberti regis florente salute,
Surgat vt in solio,qui fuit altus auo.
*Fiat vt hinc iuuenis validis robustior annis,
Ceu viguit proauus sic sit in orbe nepos.
Ergo suus famulus Sigoaldus amore fidelis,
Pauperibus tribuit,Regis vt extet apex.
Hinc ad Martini venerandi limina pergens,
Auxilium domini dum rogat ipse sui.
Et dum illic moderans Rex pro regione laborat,
Vt precibus sanctus hunc iubet,illud agit.
Denique procedens cupidus sacra festa tenere,
Pauperibus Christi præbuit ipse dapem.
Dispensata placent alimenta per agmina Christi,
Pascitur & populus,quem fouet arce Deus.
Plurima cæcorum refouetur turba virorum,
Est quibus interna lux Deus atque via.
Hinc alitur claudus,quem dirigit ordine Christus,
Quique sui domini pendulus implet opus.
Quis referat tantos memorare sub ordine morbos,
Occurrens pariter quos sua cura fouet?
Vnde cateruatim coëuntia millia pascens,
Erogat,vt habeat,rex quoque cuncta regat.
Te Fortunatus comes hinc Sigoalde salutans
Regis * vt auxilum des meliora,precor.

Adprecatio ad regē Childebertum.
* Crescat.

Peregrinatio votiua ad limina S. Martini, pro regis salute.

Pauperum agmina à rege pasta.

* in.

XXI.

De prandio defensoris.

PASCHALE hic hodie donum memorabile floret,
Defensor pascit,quo comes ipse fauet.
Deliciæ Domini,quas tempora vota ministrant,
Vndique conueniunt flumine,fruge,polo.
Childeberti etiam dominatio longa refulgens,


Te Sigoalde diu ſubleuet arce, gradu.
Sit regio fœlix fœlicis regis amore,
Atque boni comitis creſcat honore fides.

XXII.

Ad Galactorium comitem.

VENISTI tandem, quod debebaris amice,
Ante comes merito, quam datus eſſet honor.
Ex defenſore iudex. Burdigalenſis eras, & cum defenſor, amator,
Dignus habebaris hæc duo digna regens.
Iudicio Regis valuiſti creſcere iudex,
Famaque quod meruit, regia lingua dedit.
Debet & ipſe potens, vt adhuc bene creſcere poſſis.
Præſtet vt arma ducis, qui tibi reſtat apex.
Vt patriæ fines ſapiens tuearis, & vrbes.
Adquiras vt ei, qui dat opima tibi.
Franciæ regum tũc hoſtes Vaſco & Cantaber. Cantaber vt timeat, Vaſco vagus arma paueſcat
Atque Pyrenææ deſerat Alpis opem.
Aut quaſi grande loquor, facit hoc ſacer vnicus auctor,
A Domino erigitur paruus & altus homo.
Honorum gradus. De tyrone duces venit, & de milite princeps,
Vt reliquos taceam, Iuſtinianus erat.
Hoc & in Eccleſia, Chriſto tribuente refertur,
De exorciſta aliquo pontificalis honor.
Egregius merito Martinus teſtis habetur,
Qui fuit ante ſacer, quam ſacra iura daret.
Hoc agit omnipotens, totum qui condidit orbem,
Magnaque ſola putes, quæ facit ipſe potens.
Lætior ergo precor maneas in culmine rector,
Maiora ſperans vir ratione ſagax.
Rege ſub hoc florens æternaque regna requirens.
Deerat in omnibus. M.SS. . . . . ; . . . . -
Iuſtitia ac pietas tecum comitata coruſcent,
Illa tuum pectus protegat, iſta latus.
Alta fides etiam, dilectio fida niteſcat,
Et Fortunato ſis comes amplus amor.

VENAN-




VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBER VNDECIMVS.

I.

Expoſitio Symboli.



SVMMAM totius fidei Catholicæ* recenſentibus, in qua integritas credulitatis oſtenditur, & vnius Dei omnipotentis, id eſt ſanctæ Trinitatis æqualitas declaratur, & myſterium incarnationis filij Dei qui pro ſalute humani generis à patre de cœlo deſcendens, de virgine naſci dignatus eſt, quo ordine, vel quando pertulerit, quo modo ſepultus ſurrexerit, & in carne ipſa cœlos aſcendens ad dexteram patris conſederit, iudexque venturus ſit; qualiter remiſſionem peccatorum ſacro baptiſmate renatis contulerit, & reſurrectio tandem humani generis in eandem carnem in vitam æternam futura ſit, quia multa in ſymbolo paucis verbis complexa ſunt, mediocriter nobis ſermo temperandus eſt, ne aut breuiter dicendo non aperiant intellectum, aut prolixitate verbi generetur faſtidium. Itaque cum reſurgente Chriſto, & aſcendente in* cœlum, miſſo ſancto ſpiritu, conlata eſt Apoſtolis ſcientia linguarum: adhuc in vno poſiti hoc inter ſe ſymbolum, vnuſquiſque quod ſenſit dicendo, condiderunt: vt diſcedentes ab inuicem hanc regulam per omnes gentes æqualiter prædicarent. Denique ſymbolum græce, collatio dicitur, quia hoc ipſi inter ſe per ſanctum ſpiritum ſalubriter condiderunt. Dicitur & indicium, quod per hoc, qui recte crediderit, indicetur. Ergo cunctis credentibus, quæ continentur in ſymbolo, ſalus animarum & vita perpetua bonis actibus præparatur.

* recēſentes. vt aliquot Mss. atque ita ἀνακόλυθον hic cernitur orationis

* cœlo.

Credo in Deum Patrem omnipotentem.

*fidelis. *esse poterit.q.r.salute crediderit. Heb.11. Rom.10. Psl.115. Rom.1, Abac.2. Isaiæ.7. Vulgo si non credideritis, non permanebitis.

PRÆCLARVM in primordio ponitur * cœlestis testimonij fundamentum, quia saluus * esse non poterit, qui rectè de salute non crediderit; Apostolo prædicante, *Credere oportet accedentem ad Deum*. Item. *Corde creditur ad iustitiam*: &. *Credidi, propter quod locutus sum*; vel illud. *Iustus ex fide viuit* &: *nisi credideritis, non intelligetis.* Ergo vel in rebus humanis nullum opus incipitur, nisi labor omnis ad effectum venire credatur. Vnde credendum est in Deum, à quo tam pręsens vita, quam futura tribuitur. Deus autem appellatio est substantiæ sempiternæ, siue timoris diuini. Igitur DEVS est sine principio, sine fine, simplex, incorporeus, incomprehensibilis. *Patrem autem* cum audis, agnosce quod habeat filium veraciter genitum; quomodo possessor dicitur qui aliquid possidet, & Dominus, qui alicui dominatur. *Deus ergo Pater*, secreti sacramenti vocabulum est, cuius verè filius est verbum & speculum, & character; & imago viuens patris viuentis, in omnibus patri similis, eiusdem naturæ, & in diuinitate genitus genitori per omnia coæqualis. Nec quæratur, quomodo genuit filium? quod & angeli nesciunt, prophetis est incognitum. Vnde illud dictum est, *Generationem eius quis enarrabit*? quam secretam originem cum proprio filio nouit ipse solus, qui genuit. Nec à nobis Deus discutiendus est, sed credendus: qui in nobis ipsis nescimus quod sapimus, quomodo sapientiam ingenium; aut intellectus cõsilium, aut mens nostra generat verbum. Sed vt breuiter dicamus, sufficit nos scire, quia lux genuit splendorem propheta testante. *In splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.* Et illud. *Hic Deus noster; & non reputabitur alter ad eum.* & post: *In terris visus est, & inter homines conuersatus est. Omnipotens* vero dicitur, eo quod omnia possit, & omnium obtineat * potestatem; quia pater omnia creauit per filium,

Isaiæ 53.

Psal.109. Baruch.3. vulg. H.E.D.N.E.N. æstimabitur alius aduersus eum. Baruch. 3. * potentatum.

Et in IESVM CHRISTVM.

* in patr. deest nonnullis Mss.

IESVS Hebraice Saluator dicitur; hoc nomen digne conuenit principi, qui populo se sequenti possit salutem tribuere: cuius figuram Iesus Naue gerens, populum de deserto in * patriam & terram repromissionis certum est induxisse. Et iste de tenebris & terra ignorantiæ sequentes se ad cœlos ducit. *Christus* dicitur à chrismatis vnctione, & hoc nomen pontificale est, vel regale, quoniam reges vngebantur oleo corruptionis: hic autem ab spiritu sancto oleo exultationis diuinitus vnctus est: propheta dicente, *Spiritus sanctus super me, propter quod vnxit me.* Iesus ergo dicitur eo,

Isaiæ 61.

quod Lil-

quod saluet populum. Christus, quod sit vnctus pontifex in æternum. *Vnicum filium* ideo, vt nil in hoc intelligas terrenum siue corporeum, vbi de vno est vnus, de luce splendor, de corde verbum, de mente sensus, de forte virtus, de sapientia sapiens, de æterno natus, est * æternus; per omnia idem quod pater, hoc filius. Nam vnicus ideo, quia nec comparationem recipit cum reliquis creaturis, nec similitudinem, quia omnium rerum summus ipse creator est; homines autem filij Dei vocantur per gratiam; ille solus filius genitus per naturam. Huc vsque de Deitate Patris atq; Filij. textus ordo secutus est. * coæternus.

Qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine.

ILLE qui de patre ante secula natus est, postea de spiritu sancto, cuius templum in Virgine fabricatum, est intelligendum. Nam sicut in sanctificatione spiritus nulla fragilitas extitit, sic nec in partu eiusdem, causa corruptionis apparuit. Qui in cœlis vnus, in terris vnicus, per portam virginis ingredi mundum dignatus est. Hinc plurima prophetæ de conceptu virginis & de partu locuti sunt. Vnum tamen exemplum pro breuitate proponemus, de quo Ezechiel dixit: *Porta, quæ respicit ad orientem, clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ipse transibit per eam, & clausa erit.* Hoc tamen notandum est, quia spiritus sanctus est dominicæ carnis creator, Spiritus sancti hinc maiestas ostenditur. Quod vero Deus maiestatis de Maria in carne natus est, non est sordidatus nascendo de virgine, qui non fuit pollutus hominem condens de puluere. Denique sol aut ignis si lutum inspiciat, quod tetigerit purgat, & se tamen non inquinat: nec fuit Deo iniuriæ causa misericordiæ, neque sit incredibile, quod est ipse natus de virgine, qui Adam de puluere & primam mulierem potuit de costa formare. Ezech. 44.

Crucifixus sub Pontio Pilato.

HINC multa prophetæ: qualiter confixus in cruce, foratis pedibus, aceto vel felle aut vino myrrato potatus, spinis coronatus, lancea percussus, super vestem eius sorte missa, & in conspectu populi maligni manibus extensis in die pependerit, prædixerunt: diligens lector inueniet. Tamen vt breuiter dicatur, in cruce suspensus est, vt nos à damnatione ligni vetusti dissolueret. Felle verò potatur, vt amaritudinem præuaricati pomi & nimis acidi, amputaret. Spinis coronatur, vt maledictæ terræ vetustũ crimẽ erueret. Lancea percutitur, vt per plagam lateris, aqua fluẽte vel sanguine,

 bapti-

baptismum vel mysterium martyrij promulgaret: & vt dicatur aliquid al-
* Heuam. tius. In costa Christus percutitur, vt vulnus nobis infixum per * Euam, quæ de costa viri formata fuerat, amputaret. Vt tamen ad hoc intelligen-
Ephes.c.2. dum aliquantulum extendamur, sicut dicit scriptura: cordis oculi aperti sunt ad intelligendum, quid sit altitudo, latitudo, ac profundum, quod est crucis significatio. Et quare Dominus in patibulo se pati elegerit, quæritur. Ratio hæc redditur, Crux species tropæi est, quod deuictis hostibus solet fieri triumphanti: & quia Dominus tria regna sibi subiecit, suspensus in *
*aëra. aere victoriam de cœlestibus & spiritualibus nequitijs est adeptus: expan-
* populos. dens autem manus ad * populum, palmam de terrenis. Quod vero sub terra crux fixa est, ostendit eum & de Tartaro triumphare. Et quia de alijs, breuitatis causa, præterimus plurima, ne generemus fastidium, sic pro honore sanctæ crucis nobis hic sermo distenditur, vt vobis ædificatio, & illi crescat præconium. Ergo quia nec ipsa sydera in conspectu Dei pro humano crimine erant pura; & erat tota terra polluta, ideo suspensus est Christus in
Ioan.c.3. * aere, vt simul terras & astra purgaret: aut quia ipse dixerat: *Sicut Moyses exal-*
* aëra. *tauit serpentem*: ideo cruci suspenditur, vt adimplerentur verba, quæ creator prædixerat, aut quia inter cœlum & terram grandis erat discordia, vt tolle-
* aëra. ret reconciliator, se mediante scandalum. In * aere suspenditur, vt se in medio posito inter cœlum & terram, & inter hominem & Deum pax rediret post odium. Aut ideo, quia ante grauis latro in cruce configebatur. Ergo ad
* origina-le peccatū. hoc elegit Christus principale supplicium, vt hominem absolueret * originali peccato, quod erat principale tormentum. Aut ideo Deus in cruce suspenditur, vt pro captiuitate nostra pretium sui corporis in statera mercator pensaret. Aut ideo cruci figitur, quia mortui eramus per pomum & arborem, vt denuo crux & Christus, id est arbor & pomum, per ipsam similitudinem nos à morte liberaret. Pomum dulce cum arbore,

Sub Pontio Pilato.

BENE hoc est additum, vt iudice cum tempore designato, non esse videretur, incertum. Sub Herode rege; qui eo tempore Tetrarcha erat, ad quem Pilatus misit Dominum vinctum: & per hoc inter iudices pax pro-
* ligatus. sed elegās allusio antefer atur ad i&c. uenit post odium. Et * legatus Dominus magis legatarius, pax inter partes extitit, & iudices à liuore dissoluit.

Descendit ad infernum.

Psalm.87. Matth.11. HINC prophetæ plura dixerunt, vnde est illud dictum. *Vita mea in inferno adpropiauit, Et: factus sum inter mortuos liber.* Et illud; *Tu es qui venturus*

turus es, quod lector requirens inueniet. Sed descendens ad infernum, iniuriam non pertulit; quod fecit causa clementiæ, velut vt rex intrans carcerem, non vt ipse teneretur, sed vt noxij soluerentur.

Tertia die resurrexit.

DE resurrectione eius ijdem prophetæ plura locuti sunt; quod & Ionas triduo in ventre ceti permanens designauit. Ionæ, 2. & Matth. 12.

Ascendit in cælum.

HOc psalmographus, propheta & Apostolus meminit, vnde illud dictum est. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Ergo post passionem * Christus cœlos ascendit: non vbi non erat Verbum Deus, qui semper in cœlis est; sed vbi adhuc Verbum caro factum non sederat: vnde videntes angeli carnis naturam cœlos intrare, stupuerunt dicentes; *Quis est iste rex gloriæ?* Ephes. 4. *dominus Psal. 23.

In Mss. nõnullis sequentia sine titulo præcedentibus iunguntur.

Sedet ad dexteram Patris.

NAM & ipsum sedere mysterium est carnis assumptæ, & prouectum sedis non diuina, sed humana natura requirit: inde & hoc dictum est *Parata est sedes tua Domine. Et. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Et illud: *Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.* Psal. 92. Psal. 110.

Iud caturus viuos & mortuos. Aliqui, dicunt viuos, iustos, mortuos vero iniustos. Aut certe viuos, quos in corpore inuenerit aduentus dominic[9], & *intelligamus mortuos iam sepultos. Nos tamen * viuos & mortuos; hoc est animas & corpora pariter * iudicanda. Nam de aduentu Domini & Malachias ait: *Ecce venit Dominus omnipotens.* Et Daniel: *Ecce in nubibus cœli quasi filius hominis.* Et illud. *Sicut fulgur ab oriente, ita & erit aduentus filii hominis.* * desideratur in quibusdam Mss. hic. *intelligamus. Malach. 3. Dan. 7. * iudicandas.

Credo in sancto spiritu.

IN huius commemoratione, mysterium Trinitatis impletur, vnus pater, vnus filius, vnus spiritus sanctus: vt fiat distinctio personarum, vocabula secernuntur, Pater; ex quo omnia, & qui non habet patrem, filius ex patre genitus, Spiritus sanctus de Dei ore procedens, & cũcta * sanctificans. Ergo vna diuinitas in Trinitate, quia dixit symbolum: Credo in Deum Patrem, & in Iesum Christum, & in spiritu sancto, Ergo vbi IN præpositio *significãs

ponitur,

ponitur, ibi diuinitas approbatur, vt est. Credo in Patre, in filio, in spiritu
sancto. Nam non dicitur; In sancta Ecclesia, non dicitur. In remissione pec-
*sanctam ecclesiam. & catorum, sed * remissionem peccatorum credis.

Sanctam Ecclesiam.

Ephes. 4. Cant. 4. SANCTA, quia vna est Ecclesia sine ruga. Sicut vna fides, vnum baptisma, in qua vnus DEVS, vnus Dominus, vnus Spiritus sanctus creditur. de qua, in canticis legitur. *Vna est columba mea:* nam Hæretici congregant Ecclesiam, vbi ruga, & perfidiæ macula comprobatur.

Remissionem peccatorum.

NOBIS in hoc sermone sola credulitas sufficit, nec ratio requiritur, vbi principalis indulgentia comprobatur. Ipse rex æternus à nullo discutitur, si quodcunque largitur. Nam ille, qui potuit hominem de luto facere, idem potens est omne lutulentum purgare: & valet innocentiam perditam restituere, qui sepultos & membra perdita reuocat ad salutem.

Resurrectionem carnis.

SVMMA perfectionis concluditur, & caro ipsa, quæ cadit, resurrectura erit, immortalis vt maneat. Licet resurrectio à paganis, & à quibusdam
Isaiæ. 26. Hæreticis non credatur. Tamen Isaias dicit, *Surgent mortui & suscitabuntur:*
Dan. 12. & Daniel ait. *Resurgent tunc, qui sunt in terra puluere.* Christus dicit, *Quod autem*
Matth. 22. *surgent mortui, non legistis?* &: *Non est Deus mortuorum sed viuentium.* Item Aposto-
1. Cor. 15. lus dicit, *Tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur.* Et scriptura dicit: *Post resurrectionem erunt sicut Angeli Dei.* Ergo nec hoc credentibus impossibile iudicetur: quia qui potuit hominem de terra componere, poterit hunc ex homine in Angelum transformare, &, post hanc vitam temporalem, vitam æternam tribuere. Ergo moritur homo quasi granum in sulco, vt resurgat cũ
Spicus. & um. antiq. spico, & multiplicetur cum fructu, assimiletur & Angelo: quod ipse salutis auctor nobis tribuere dignetur, qui triumphato Tartaro cum Patre & san-
* principatu. cto spiritu glorioso, * principatum intrans victor regnat in cœlo. AMEN.

II.

Versus ad Domnam Radegundem.

QVO sine me, mea lux oculis errantibus abdit,
Nec patitur visu se reserare meo?

Omnia

Omnia conſpicio ſimul, æthera, flumina, terram,
Cum te non video, ſunt mihi cuncta parum.
Quamuis ſit cœlum, nebula fugiente, ſerenum,
Te celante mihi, ſtat ſine ſole dies.
Sed precor, horarum ducat rota concita curſus.
Et breuitate velint ſe celerare dies.
Conſultum nobis ſanctiſque ſororibus id ſit,
Vt vultu releues, quos in amore tenes.

III

Ad eandem de natali tio Abbatiſſa.

MATER opima, decens voto lætare beato, Agnes ſub qua antiſtita vixit Rhadeg.
Gaude, natalem filia dulcis habet.
Hanc tibi non vterus natam, ſed gratia fecit,
Non caro, ſed Chriſtus hanc in amore dedit.
Quæ ſit in æterno tecum, tibi contulit auctor,
Perpetuam prolem dat ſine fine Pater.
Felix poſteritas, quæ nullo deficit æuo,
Quæ cum matre ſimul non moritura manet.
Sit modo feſta dies ſancto Radegundis honore,
Agnen hanc vobis agnus in orbe dedit.
Gaudia diſtenſos pariter celebretis in annos,
Et per vos populus vota ſuperna colat.
Virgineoſque choros moderamina ſancta docentes,
Perpetuæ vitæ diſtribuatis opus.
Hinc longinqua ſalus teneat vos corpore vinctas,
Rurſus in æterno lumine iungat amor.

IV.

Ad eandem, vt vinum bibat.

SI pietas & ſanctus amor dat vota petenti, Rhadegūdes ab hydropoſia precibus abducitur.
Exaudi famulos munere larga tuos.
Fortunatus agens, Agnes quoque verſibus orant,
Vt laſſata nimis vina benigna bibas.
Sic tibi det Dominus, quæcunque popoſceris ipſum,
Et tibi ſicut amas, viuat vterque rogans.
Suppliciter petimus, ſi non offendimus ambo,
Vt releues natos mater opima duos.
Non gula vos, ſed cauſa trahat, modo ſumere vina, Vini modicus vſus.

Talis enim potus viscera lassa iuuat.
Sic quoque Thimotheum Paulus tuba gentibus vna,
Ne stomachum infirmet, sumere vina iubet.

V.

Ad Abbatissam de Natali suo.

DVLCE decus nostrum, Christi sanctissima Virgo,
Agnes quæ meritis immaculata manes.
Sic tibi complacuit hodiernum ducere tempus,
Vt mihi inexpletam distribuisses opem.
Nec dare nunc dominæ modulamina dulcia linguæ
Cui dum verba refers, pascitur ore tuo.
Abstinuisse cibis etiam vos ipse probaui,
Et quasi pro vobis est mihi facta fames,
Audio, somnus iners radiantes pressit ocellos,
An nimias noctes anticipare velis?
Cui non sufficiant hæc tempora longa quietis,
Cum prope nox teneat quod duplicata dies.
Nubila cuncta tegunt, nec luna nec astra videntur,
Si sis læta animo, me nebulæ fugiunt.
Gaudia vera colat, quæ nos hæc scribere iussit,
Et tecum faueat ducta sub arce poli.

VI.

Aliud ad eandem.

MATER honore mihi soror autem dulcis amore,
Quam pietate, fide, pectore, corde colo.
Cœlesti affectu, non crimine corporis vllo,
Non caro, sed hoc, quod spiritus optat, amo.
Testis adest Christus, Petro Pauloque ministris, *Fortunati eximia pudicitia.*
Cumque piis sociis sancta Maria videt.
Te mihi non aliis oculis animoque fuisse,
Quam soror ex vtero tu Titiana fores.
Ac si vno partu Mater Radegundis vtroque, *Castus amor.*
Visceribus castis progenuisset, eram.
Et tanquam pariter nos vbera chara beatæ,
Pauissent vno lacte fluente duos.
Heu mea damna gemo, tenui ne forte susurro
Impediant sensum noxia verba meum.

Sed

Sed tamen est animus simili me viuere voto
Si vos me dulci vultis amore coli.

VII.

Ad eandem.

QVÆ charæ matri, quæ dulcia verba sorori,
Solus in absenti cordis amore loquar?
Quas locus excludit, mens anxia voce requiret,
Et simul, vt videat, per pia vota rogat.
Te peto chara soror, matri pietate benigna,
Quod minus impendi, tu famulare velis.
Illa decens tecum longo mihi viuat in æuo,
Et tribus in Christo sit precor vna salus.
Nos, neque nunc præsens, nec vita futura sequestret,
Sed tegat vna salus, & ferat vna dies.
Hic tamen, vt cupio, vos tempora longa reseruent,
Vt soror & mater sit mihi certa quies.

VIII.

Ad eandem.

ACCESSIT votis sors iucundissima nostris,
Dum meruere meæ sumere dona preces.
Profecit mihimet potius cibus ille sororum,
Has satias epulis, me pietate foues.
Qua probitate micans partes componis vtrasque,
Me recreas animo, has saturando cibo.
Pascunt membra dapes, animam dilectio nutrit,
Quæ, cui plus opus es, dulcior esca venis.
Audiat omnipotens, & te pia vota petentem,
Vt tibi perpetuos fundat in ore cibos.
Sæcula longa simul cum matre superstite vernes.
Et vestro fræno stet chorus ille Deo.

Agape sanctimonial. Pictauiensium.

IX.

Ad eandem pro Eulogiis transmissis.

SOLLICITA pietate iubes cognoscere semper,
Qualiter hic epulis, te tribuente, fouer.
Hæc quoque prima fuit hodiernæ copia cænæ,
Quod mihi perfuso melle dedistis holus.
Nec semel aut iterum, sed terque quaterqne cucurrit,

Cuius me poterat pascere solus odor.
Portitor ad tantos missus non sufficit vnus,
Lassarunt totiens qui rediere pedes.
Præterea venit missus cum collibus altis,
Vndique carnali monte superbus apex.
Delitijs cunctis, quas terra vel vnda ministrat,
intus. Compositis epulis hortulus vnus erat.
Hæc ego nunc auidus superaui cuncta gulosus,
Et mons & hortus ventre tenetur iners.
Singula nec refero, quia me tua munera vincunt,
Ad cœlos victrix & super astra voles.

X.

De eadem re.

MVLTIPLICES epulæ concurrunt vndique fusæ,
Quid prius excipiam, me bonus error habet.
profert. Carnea dona tumens, argentea gauata perfert,
Quo nimium pingui iure natabat holus.
Marmoreus defert discus, quod gignitur hortis,
Quo mihi mellitus fluxit in ore sapor.
Intumuit pullis vitreo scutella rotatu,
Subductis pennis, quam graue pondus habens?
Plurima depictis concurrunt poma canistris,
Quorum blandifluus me saturauit odor.
Olla nigella nimis dat candida pocula lactis,
Atque superba venit, quæ placitura fuit.
Hæc dominæ matri famulans, hæc munera natæ,
Iunctus amore pio certius ipse loquor.

XI.

Aliud de floribus.

RESPICE delitias, fœlix conuiua, beatas,
Quas prius ornat odor, quam probet ipse sapor.
Molliter adridet rutulantum copia florum.
Vix tot campus habet, quot modo mensa rosas.
Albent purpureis vbi lactea lilia blattis,
Certatimque nouo flagrat odore locus.
Insultant epulæ stillanti germine fultæ,
Quod mantile solet, cur rosa pulchra tegit?

Compla-

Complacuit melius sine textile tegmine mensa,
Munere quam vario suauis obumbrat odor,
Enituit paries viridi pendente corymbo,
Quæ loca calces habet, huc rosa pressa rubet.
Vbertas rerum tanta est, vt flore sereno,
Mollia sub tectis prata virere putes.
Si fugitiua placent, quæ tam cito lapsa recedunt,
Inuitent epulæ nos, paradise, tuæ.
Dædalicis manibus nituit textura sororis,
Tantum digna fuit mater habere decus.

XII.

Aliud pro eulogiis transmissis.

MVNERA direxi, sed non mea, crede fatenti,
Ad te quæ veniunt, sunt tua dona magis.
Melle superfusas cunctorum porrigis escas,
Cuius ab ore prius dulcia mella fluunt.
Copia quanta mihi maneat de munere vestro,
Credite, dum spargit iam gula victa cibos.
Sed mihi da veniam venerando corde benigna,
Quod præsumpsit amor, sit veniale mihi
Nunc Christum pro me chorus ille verendus adoret,
Nec peccatorem me mea culpa grauet.

XIII.

Pro Castaneis.

ISTA meis manibus fiscella est vimine texta,
Credite mi charæ mater & alma soror.
Et quæ rura ferunt, hæc rustica dona ministro,
Castaneas molles, quas dedit arbor agris.

XIV.

Pro lacte.

ASPEXI digitos per lactea munera * pressos, * fixos.
Et stat picta manus hic vbi crama rapis.
Dic, rogo, quis teneros sic sculpere compulit * vtres, * vngues.
Dædalus an vobis doctor in arte fuit?
O venerandus amor, cuius faciente rapina,
Subtracta specie venit imago mihi.

Spes fuit, hæc quoniam tenui se tegmine rupit,
  Nam neque sic habuit pars mihi parua dari
Hæc facias longos Domino tribuente per annos,
  In hac luce simul matre manente diu.

XV.

Aliud pro lacte.

QVID tam dulce darent mihimet materque sororque,
  Quam modo quod tribuunt congruè lactis opem,
Sicut Apostolico præcepit dogmate Paulus,
  Cum infirmis animis lac iubet ipse dari.
Sollicitam mentem geritis de nomine nostro,
  De vobis semper sit pia cura Deo.

XVI.

Pro prandio.

NESCIVI, fateor, mihi prandia lassa parari,
  Sic animo merear posse placere tuo.
Nec poterant aliqui vultu me auellere vestro,
  Si non artificis fraus latuisset inops.
Quis mihi det reliquas epulas, vbi voce fideli
  Delicias animæ te loquor esse meæ?
A vobis absens colui ieiunia prandens,
  Nec sine te poterat me saturare cibus.
Pro summis epulis auido tua lingua fuisset,
  Replessent animum dulcia verba meum.
Ordine sed verso medicus fera vulnera gignit,
  Et fallax artem decipiendo probat.
Quem nunquam saturat, quidquid mare, terra, ministrat,
  Credebat solo me saturare meo.
Sed modo da veniam, quæso, pietate parata,
  Alterius facinus nec mihi constet onus.

XVII.

De munere suo.

COMPOSVI manibus proprijs hoc munus amoris,
  Sed tibi vel dominæ sit rogo dulce meæ.
Quamuis exiguo videantur inepta paratu,
  Crescant affectu, quæ modo parua fero.

Si be-

Si bene perpendas apud omnes semper amantes,
  Muneribus paruis gratia maior inest.

XVIII.

Pro prunellis.

TRANSMISSAS epulas quæ pruna nigella vocantur,
  Ne, rogo, despicias quæ mihi sylua dedit.
Si modo dignaris syluestria sumere poma,
  Vnde placere queam, dat meliora Deus.
Hoc quoque non metuas quod ramo vmbrante pependit,
  Non tellus fungos, sed dedit arbor opes.
Non ego crudelis, qui Matri incongrua præstem,
  Ne dubites puros sumere fauce cibos.

XIX.

Pro alijs delicijs & lacte.

INTER multiplices epulas ieiunia mittis,
  Atque meos animos plura videndo cremas.
Respiciunt oculi medicus quod non iubet vti,
  Et manus illa vetat, quod gula nostra rogat.
Attamen ante aliud cum lactis opima ministras,
  Muneribus vincis regia dona tuis.
Nunc cum matre pia gaudens soror esto, precamur,
  Nam nos lætitiæ mensa benigna tenet.

XX.

Pro ouis & prunis.

HINC me delitijs, illinc me pascitis herbis,
  Hinc oua occurrunt, hinc mihi pruna datur.
Candida dona simul præbentur, & inde nigella.
  Ventri vtinam pax sit, sic variante cibo.
Me geminis ouis iussistis sero cibari,
  Vobis vera loquor, quatuor ipse bibi.
Atque vtinam merear cunctis parere diebus,
  Sic animo, ceu nunc hoc gula iussa facit.

XXI.

De absentia sua.

SI me non nimium pluuiatilis aura vetaret,
  Dum nesciretis, vos repetisset amans.

Nec volo nunc absens vna detenter vt hora,
Cum mea tunc lux est, quando videtur amans

XXII.

De conuiuio.

PER pietatis opus, per, qui pius imperat astris
Per, quod mater amat, frater & ipse cupit.
Vt, dum nos escam capimus, quodcunque ciberis
Quod si tu facias, bis satiabor ego.

XXIII.

De eadem re.

DELICIIS variis tumido me ventre tetendi,
Omnia sumendo lac, holus, oua, butyr.
Nunc instructa nouis epulis mihi fercula dantur,
Et permixta simul dulcius esca placet.
Nam cum lacte mihi posuerunt inde butyrum,
Vnde prius fuerat, huc reuocatur adeps.

XXIV.

Versus in conuiuio facti.

INTER delitias varias mixtumque saporem,
Dum dormitarem dumque cibarer ego.
Os aperiebam, claudebam rursus ocellos,
Et manducabam omnia iura videns.
Confusos animos habui, mihi credite charæ,
Nec valui facile libera verba dare.
Nec digitis poteram calamo neque pingere versus,
Fecerat incertas ebria Musa manus.
Nam mihi, vel reliquis sic vina bibentibus apta,
Ipsa videbatur mensa natare mero.
Nunc tamen vt potui matri, pariterque sorori,
Alloquio dulci carmina parua dedi.
Et si me somnus multis impugnat habenis,
Hæc, dubitante manu scribere, traxit amor.

XXV.

De eadem re.

BLANDA Magistra suum verbis recreauit & escis,
Et satiat vario deliciante ioco.

XXVI.

XXVI.

De munere suo:

SI non complestis, quod hic completa vocatur,
Hæc rogo suppliciter suscipe summe libens.
Nec parua spernas,* non tu mea vota requiras,
Munere in angusto cernitur amplus amor.

* nec munera magna.

XXVII.

Ad easdem de itinere suo.

CASIBVS innumeris hominum momenta rotantur,
Instabilique gradu pendula vita meat.
Ipsa futurarum titubans mens anxia rerum,
Ventura ignorat quid sibi lux pariat.
Nam me digressum à vobis Eomundus amator,
Illa suscepit, qua bonitate solet.
Hinc citus excurrens Cariacæ deuehor aulæ,
Tunc * Illacensi perferor inde loco.
Hinc sacer Antistes rapuit me Domitianus,
Ad sancti * Albini gaudia festa trahens.
Inde relaxatus per plura pericula, * fessa,
Puppe sub exigua fluctus & imber agit.
Quo grauis incumbens Aquilo subuerterat amnem,
Et male curuatos extulit vnda sinus.
Nec sua commotos capiebant littora fluctus,
Inuadunt terras æquora fusa nouas.
Pascua, rura, nemus, segetes, viburna, salictum,
Viribus iratis, vna rapina tenet.
Huc mihi commissi per confraga murmura Ponti,
Flatibus horrendis laxa fremebat hiems,
Surgebatque cadens per aquosa cacumina puppis,
Ascendens liquidas monte cauante vias.
Quo rate suspensa modo nubila nauta tenebat,
Gurgite subducto rursus ad arua redit.
Fluctibus infestis pelagi spumante procella,
Assiduè rapidas prora bibebat aquas,
Æquora lambebant inimica pace carinam,
Tristius amplexu nos nocitura suo.
Sed mora nulla vetat varias memorare querelas,

* Egomūdus.

*Dullacēsi Tincilla censi.
*Albani. &Alenni.
*fessum.
Tempestas in flumine poëticè repræsentata.

Post referenda simul murmura, corde rego.
Hoc mihi præcipue diuina potentia præstet,
Vt cito fœlices vos reuidere queam.

XXVIII.

Aliud de itinere suo.

PASSIM stricta riget glacies concreta pruinis,
Nec leuat afflictas flexilis herba comas.
Terra iacet crustata gelu sub cortice duro,
Mollis & arboreas nix tegit alta comas.
Proflua crustatum struxerunt flumina murum,
Et densata grauem vestiit vnda cutem.
Mole sua frænantur aquæ, se lympha ligauit,
Obice sub proprio vix sibi præbet iter.
Fluminibus mediis nata est cristallina ripa,
Nec capimus subter, nec superitur iter.
Asperius tumuit glacies, Aquilone fremente,
Cui dabit illa viam quæ sibi pugnat aqua.

Conglaciatæ terræ & aquæ periphrasis



VENAN-



VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

DEINDE EPISCOPI PICTAVIENSIS DE VITA SANCTI MARTINI.

LIBRI QVATVOR.

Prologus Fortunati Presbyteri in vitam sancti Martini.

DOMNO SANCTO, ATQVE APOstolico piissimo in Christo & peculiari patri Gregorio Papæ, Fortunatus.



APVD pietatis animum, quod opere minus inscribitur, dilectionis intuitu dilatatur. Nam ΕΠΙΧΕΙΡΗΜΑΤΑ. ΛΕΖΙC, ΔΙΑΙΡΕCΙC. ΠΑΡΑΙΝΕCΙC. & reliqua oratoribus & dialecticis permittantur, apud quos ceteræ artes perplexis florent artibus. *Ista satagent suis affectare firmatibus, quæ soliti sunt adsuere vel proferre . . . . Vos * date pietatis & caritatis animo * veniam, postpo- *data: sita pro parte metrica periti censura. Quia quicquid in his vel stropha *venia. veterum, vel præsentium sophisma plerunque dissertat, totum nobis tu præstabis quod minus nouimus; quod in opere messium, id est in ipsa messe, vt præsens explicare portitor poterit, nec expedire licuit, nec tentare singula. Quapropter sanctæ coronæ, ac dulcedini vestræ, me pecu-

liariter & instanter commendans, & vt pro humili tuo iugiter orare digneris exspectans, suggero. Cum iusseritis autem, vt opus illud, Christo præstáte, intercessionibus Domni Martini, quod de suis virtutibus explicuisti, versibus debeat digeri, id agite vt ipsum mihi relatum iubeatis transmitti. Nam pietate Domini concedente, quod de vita eius vir disertus Domnus Sulpitius sub vno libello prosâ descripsit, & reliquum, quod Dialogi more subnectit, primum quidem opus à me duobus libellis, & dialogus subsequens aliis duobus libellis, complexus est; ita vt breuissimè, & iuxta modulum paupertatis nostræ in quatuor libellis, totum illud opus versu, inter hoc bimestre spacium, audax magis quam loquax, nec efficax, cursim & impolite inter friuolas occupationes sulcârim. Quos libellos Domno meo, & pio Domno Martino, si ipse commeatum obtinet, in quaternionibus quos direxistis ipsi per vos oblaturus coniunctim & confestim transcribendos curabo; illud certe postulans, vt eius à vobis pietas reparata pro nobis humilibus, & suis peculiaribus intercedere non desistat. Date pater dulcis veniam, quia lituram tantam in messe scribenti pluuia superlapsa suffudit. Ora pro me Domne sancte, & mihi dulcis pater.


Præfatio in eosdem libros.

Navta rudis tumido cum vult dare vela profundo,
Atque procellosas nescius intrat aquas.
Raucisono latrante salo cum perstrepit æquor,
Et vaga terrifico murmurat vnda freto,
Exiliens pelagus colles vbi voluit aquosos.
Planaque dorsa maris mobile rupe timet.
Naufragij cumulos capiens per confraga, Pontus,
Qua crepitat rapidus monte natante liquor.
Certatim implicitam quatiunt vada cærula cymbam
Cum liquidi campi pensile transit iter.
Si fera crescat hyems, vt spumis verberet auras
Et mare cæruleum tollat ad astra caput.
Fluctibus excussus per nubila nauita currit,
Intrat & aerias pendula prora vias.
Pars subit vna ratis, pars altera vergit arenis,
Nutat & in dubio lubrica libra freto.
Nunc sursum inspicitur pelagi furibunda ruina,
Pontus & iratas desuper armat aquas.
Nunc quoque prosiliens Zephyri, pelagique repulsu

Flucti-

Fluctibus eximiis euolat acta ratis.
Afficitur tremulis temerarius arbiter vndis,
Et stupet implicitas, quas petat arte vias.
Attonitus, strepidus, hebetans, vagus, anxius, anceps,
Confuso ingenio mox ope nauta caret.
Iamque gubernaclum amittens ratione gerendi.
Pondere victus aquæ nescius arte iacet.
Sic ego de modicis minimus venerabilis Agnes,
Cum Radegunde sacra quas colo sorte pia.
Tendere pollicitum quia cogor ad ardua gressum.
Imperiis tantis viribus impar agor.
Fluctuat ingenium cui non natat vnda camenæ,
Sensus arenosus non rigat ore lacus.
Nam celsum meritis Martinum ad sidera notum
Cum sint vota, mihi non valet arca loqui.
Poscendum est vobis, ne naufraga prora laboret,
Flatibus ille suis, sed mea vela iuuet.
Credere tunc potero ad portum mea carbasa ferri
Aspirante fide, si sua labra fauent.
Ferte precanter opem, & de verbo poscite verba,
Si fons ille rigat, riuulus iste meat.
Vos date quod vobis cum fœnore reddat alumnus,
Addam vt thesauris parua talenta suis.






VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

DE VITA SANCTI MARTINI.

LIBER PRIMVS.



Ltithronvs postquam repedauit ad æthera Christus,
Carne triumphali vitricia signa reportans,
Inclytus inferni spoliato carcere diues,
Tartarei reprimens feralia iura Tyranni,
Et stygis omnipotens adamantina claustra reuellit,
Sede ferâ populi longa caligine tecti,
Captiuum retrahens portis bipatentibus agmen
Millibus ereptis. ergo est vt redditus astris,
Et patris in solio sedit sua dextera dexter,
Quæ conuersatus dedit ad miracula terris,
Multa Euangelici referante volumine libri,
Hæbraicus cecinit, stylus Atticus, atque Latinus,
Prosaico digesta situ, commune rotatu.
Primus enim docili distinguens ordine carnem,
Maiestatis opus metri canit arte Iuuencus.
Hinc quoque conspicui radiauit lingua Seduli,
* Orenti*. Paucaque perstrinxit florente *Orontius ore,
Martyribusque pijs sacra hæc donaria mittens,
Prudens, prudenter, Prudentius immolat actus.
Stemmate, corde, fide, pollens Paulinus & arte,
Versibus explicuit Martini dogma magistri.
Sortis Apostolicæ, quæ gesta vocantur, & actus,
Facundo eloquio vates sulcauit Arator.

Quod

Quod sacra explicuit serie genealogus olim,
Alcimus egregio digessit acumine præsul.
Ast ego sensus inops Italæ quota portio linguæ,
Fæce grauis, sermone leuis, ratione pigrescens,
Mente hebes, arte carens, vsu rudis, ore nec expers,
Paruula Grammaticæ lambens resfluamina guttæ,
Rhetoricæ exiguum prælibans gurgitis haustum,
Cote ex iuridica, cui vix rubigo recessit.
Quæ prius addidici dediscens, & cui tantum
Artibus ex illis odor est in naribus istis.
Non prætexta mihi rutilat toga, penula nulla.
Iam mea nuda fames superest de paupere lingua,
Scilicet inter tot sanctorum culmina vatum
Fulmina doctorum, & gemmantia prata loquentum,
Nullo flore virens ego tendam texere sertum,
Mellis & irrigui hæc, austera absinthia * miscam! * miscens.
Quod tamen vt facerem, fieri res illa coegit,
Quo minus ipse reus pro crimine redderet amplo,
Conuenienter enim ratio quia vera poposcit,
Huius pontificis solui præconia verbis,
Cuius causa fuit hac me regione venire.
Ergone dignus ero Martini gesta beati
Pannoniæ geniti quâ clara Sabaria vernat
Attrectare manu, trepida vel pangere lingua?
Non eget ille meis tenebris, quia luce coruscans
Gallica celsa Pharus fulgorem extendit ad Indos.
Qui puer in teneris vix pubescentibus annis,
Frigore sub gelido, terras crispante pruina
Cum vndas tristis hyems freno glaciale ligasset,
Et vaga libertas fluuiorum inclusa lateret, S. Martinus aspera hieme pauperem vestit Ambiani. Sulp. vitæ. lib. c. 2.
Asperiore gelu de se sibi vincula nectens,
Plus aqua frigidior tunica vestita rigoris,
Occurrenti igitur portæ Ambianensis egeno,
Qui sibi restiterat, clamydis partitur amictum;
Et feruente fide membris algentibus offert.
Frigoris iste capit partem, capit ille teporis,
Inter vtrosque inopes partitur feruor & algor;
Et noua mercandi fit nundina; frigus & æstus.
Vnaque paupertas satis est diuisa duobus.

Hac se veste tamen tectum obtulit ipse creator,
Martinique chlamys texit velamine Christum:
Nulla Augustorum meruit hunc vestis honorem,
Militis alba chlamys plus est quam purpura regis,
Prima hæc virtutum fuit artha & pignus amoris.

Militiam Iuliani Cæs. deserit. Sulp. vitæ lib. c. 3.

Post fera barbaries peteret cum Gallica claustra
Ac prope Vangionum premeret loca feruidus hostis,
Militiæ sanctus cuncta emolumenta recusat.
Hic cum Cæsareas fremuit Iulianus in iras;
Imperat, vt clausum teneat custodia iustum;
Ac veniente die primus properaret in agnem.
Quo tamen ante aciem sacer ire fatetur inermis.
Venerat ergo dies belli, pacem expetit hostis;
Atque orante vno cecidit furor omnibus armis;
Innumerasque acies solus sine sanguine vicit.

A latronibus captus vnum ex iis conuertit. c. 4.

Hinc loca latronum incedens, ratus ire per Alpes,
Vinctis post tergum manibus, deductus ab vno,
Tempore sub mortis hostis compendia tractans,
Credit latro Deum, dum prædicat iste, colendum;
Et dare qui voluit mortem, capit ore salutem
Ducitur ille ferox à religione ligatus,
Atque suus prædo Martini præda fit vltro.
Quam bonus ille isti, sed plus pius hic fuit illi,
Seruantur simul, ille fide, hic corpore viuens
Ambo valent, dum nemo cadit, sic viuit vterque.

Dæmonē fugat.

Hinc loca præteriens pulcherrima Mediolani,
Florea rura terens, per amœna vireta viator,
Obuius occurrit, vetus, & temerarius hostis;
Mentitus speciem humanæ sub imagine formæ,
Falsiloquax pereunte fide, malè doctus in arte,
Quod peteretur iter, quærit: cui comminus ille
Huc properare refert, qua se Deus ire vocaret:
Cui ferus hostis ait: quocunque accedere *tentes,
Tecum pergo nocens, vota in contraria currens.
Voce prophetali sanctus cui protinus infit.
Est meus adiutor Dominus, mala nulla verebor,
Ne timeam timidum, timor est Deus, arma timentum,
Tutus in aduersis gradior, rectore superno.
Insidiis via nulla patet sub tegmine diuo.

* tendes.

Hæc ait,

Hæc ait, & validi transfixus cuſpide verbi,
Dæmon abeſt, ſic vmbra fugit, quam Chriſtus obumbrat.
Interea matrem gentili errore reſoluens
Illa iſtum mundo; hic illam generauit Olympo,
Decrepitamque ſenem ſancto facit amne renaſci,
Et meliore ſinu generant ſua viſcera matrem.
Dogmaque ſacrilego quod fuderat Arrius ore,
Tempeſtate graui totum populauerat orbem,
Per magis Illyricum malè naufraga lingua natabat.
Hinc quoque cæperunt naſci noua prælia iuſto,
Fortior vt fieret reparatis belliger armis.
Ad virtutis opus per multa pericula creſcens.
Vir pius ergo ſagax, fideique fidelis athleta.
Sparſa venena hereſis reprimens dum dimicat hoſtis,
Suppliciis lacerus, flagris datus, vrbe repulſus;
Nam patris ac geniti æqualem vel flaminis almi,
Vim genus, & ſpecimen, virtutem, lumen, honorem,
Vnum velle trium ſua per tormenta fatetur.
Dulcia membra viri per amara flagella cauantur,
Et Chriſti iuuenem veterata piacula torquent
Sed grauior fit pœna leuis per nomen amantis.
Et quia ſummus apex fidei, virtutis, honoris,
Hilarius famæ radios iaculabat in orbem,
Rite Sacerdotis penetralia iura gubernans,
Buccina terribilis, tuba legis, præco tonantis,
Pulchrior electro, ter cocto ardentior auro,
Largior Eridano, Rhodano torrentior amplo,
Vberior Nilo, generoſo ſparſior Hiſtro:
Cordis inundantis docilis ructare fluenta,
Fontibus ingenij ſitientia pectora rorans,
Mens Euangilij bis bini plena libelli,
Quatuor ore ſuo manans noua flumina mundo,
Ornatum Eccleſiæ, pollens diadema coruſcum
In membris Chriſti capitis velut infula fulgens.
Pectore belligerans, adamantinus arte topazos;
Ad virtutis opus mens inconcuſſa palæſtris,
Gemmifer eloquiis, radiantior ore lapillis.
Doctor Apoſtolicus, vacuans ratione ſophiſtas,
Dogmate, luce, fide, informans virtute ſequaces.

Matrem conuertit.

Ab Arrianis infeſtatur.

Arianis aduerſus vapulat.

B. Hilarii inſigne preconiū.

Nn Hoſti-

Hostibus hic quoniam grauis insuperabilis esset,
Ducitur exilio, quia longa silentia tendit,
Regis & auxilio petit hic sua præmia miles.
Cuius in abscessu errori vaga Gallia cedit,
Et regio titubat tanta se turre mouente.
Hoc vbi præpoperè Martinus comperit inde
Constituit cellam sub vertice Mediolani,
Expulit vnde virum tum Auxentius auctor iniquus.
Hinc prius exul adit, qua Gallinaria turget
Insula, frugis inops, pascens radicibus herbæ.
Ergo venenatum elleborum mox sumpsit ab ore:
Incipit inde mori, queis viuere credidit escis,
Sed graue virus agens oratio sola fugauit,
Et viuente viro intra se sua mortua mors est.
Rursus vt Hilario redeundi est facta facultas,
Excurrit properus sua per vestigia iustus
Excipit hic cupidum cupiens & amator amantem,
Fitque monasterium Pictaua comminus vrbe.
Iungitur inde sacro cathecumenus ore docendus,
Atque absente viro, rapuit graue funus amicum.
En subito Martinus adest, qui defuit absens,
Ecce redit pietas, redit & simul arca salutis.
Ergo vbi conspexit gelidum de febre cadauer,
Flet, gemit, accurrit, dolet, eiulat, vritur, angit,
Conspiciensque fidem cella omnis iussit abire.
Exclusitque foras foribus, sine teste relictus;
Tunc super algentis corpus prosternitur ardens.
Iudicis exactor, reuomant vt Tartara functum.
Interea geminis spacio remorante sub horis,
Ecce redit facies, saliunt per membra vapores,
Stat rubor inde genis, oculos pupilla repingit;
Rursus & insertus renouat specularia visus,
Vena tumet riuis animato fonte cruoris
Paulatim assurgit, fabrica titubante, columna:
Erigiturque iacens pariter domus, & suus hospes,
Ipse iterum post se viuens idem auctor & hæres,
Qui rediuiuus, ait, se iudicis ante tribunal,
Ductum damnandum, Martino orante reductum.
Lupicini demum celerans dum præterit agrum,

Monasterio quod sibi Mediolani fecerat ab Auxentio Martinus pellitur.

In Gallinaria insula helleborũ sumit.

S. Hilario iungitur Pictauis. Sulp. c. 5.

Catechumenum suscitat à mortuis.

Sulp. c. 6 vitæ.

Com-

Comperit heu famulum crudeli funere raptum
Elidendo suum fera per suspendia collum;
Accessitque vbi sic mala pendula præda iacebat,
Expulit hinc cunctos solus solita arma requirens:
Incubuit super exanimis pallantia membra,
Et premit arca sacri, ne hunc deprimat arca sepulchri,
Mox tamen ore precem vt viuentis misit in aurem,
Mors pede versa retro, prædam fugitiua reliquit,
Euomuitque vorax auida de fauce rapinam;
Protinus exiliit lento conamine functi,
Iam leuior se terra mouens animata calore;
Languida colla leuans, oculosque ex morte soporos
Vix reserans, grauido vigilantia lumina visu
Mortis odore, & adhuc remanente in naribus illis,
Sed præstante manu totos simul erigit artus;
Et stetit intrepidis membrorum machina plantis;
Viuificatus enim, gressum meditando rediscens,
Reddidit obsequium vitæ pro munere sancto,
Vsque ad vestibulumque domi illum ducere tendens.
Defunctum eripuit subito qui ex limine mortis,
Pro mercede manens, hæc compensatio iusto.
Glora Christe tibi, facis hæc qui mira per orbem.
Accidit vt Turonum præsul peteretur ad vrbem,
Nec tamen educi posset de limine cellæ;
Ruritius quidam simulata febre iugalis,
Obtinet egressum Sancti ad vestigia supplex;
Vrbibus ex reliquis noua conciliabula currunt,
Lætificata simul sanctam se ferre rapinam.
Ne tamen effugiat, iustum custodia vallat.
Interea paucis tunc obsistentibus, insons
Eligitur, trahitur, sacratur, & arce locatur;
Æmulus vnus erat, Defensor episcopus, obstans,
Ne Martinus oues pastor curaret alendas.
Nec mora, iudicio domini lectore canente
Versiculo Psalmi, Defensor sponte notatur.
Ex ore infantum & lactentum perfice laudem,
Nunc defensorem qui sic bene destruis, inquit.
Mox fragor astra petit, clamor vagus atria complet,
Et docet ille fauor de Defensore reatum,

Laqueo oblisum reuocat in vitam.

Sulp. vitæ. c. 7.

Martinus licet obnitens rapitur ad episcopatũ Turonicæ ecclesiæ.

Psal. 8.

 Addi-

Addictusque vir est, se iudice, teste propheta.

Monasterium constituit. Inde monasterium sibi condit rupe sub alta,
Vir monachus perstans in pontificatus honore.
Plurima conueniunt vbi sancta examina fratrum,
Sulp. vitæ. c.8. Ergo aderat proprius locus, & celeberrimus olim
Ampla vetustatis cum tempora transiluissent,
Aram latronis, matryris specie culti demolitur. Martyris esse pium spargebat opinio cultum:
Quo sacer exorans tumulo salit vmbra sepulchri,
Læua ex parte loquens meritis res ipsa sinistra:
Imperat vt nomen fateatur imago, vel actum,
Latronem se voce refert, pro crimine cæsum;
Nil cum Martyribus se participare beatis.
His quia palma manet, nam se male pœna teneret,
Omnibus auditur, Martino cernitur vni;
Ista superstitio tali sub sorte vetatur,
Sic altare simul remouetur, larua fugatur.

Sulp. vitæ. c.9. Post iter arripiens comitatu relligioso
Exequiis subito gentilibus obuius exit,
Dum putat inde vehi cultu simulachra prophano;
Pompam funebrem crucis signo sistit loco. Pingit in aduersos signum crucis; illa cucurrit
Ante virum sua bella gerens, pietatis amica.
Obuia turba riget, gressuque extorpuit ægro,
Atque immota gradu, vertigine rapta rotatur.
Additur illud onus, deponunt colla cadauer,
Nec iam ferre valent, & mors in pondere crescit.
Tunc sacer inspiciens opus hoc esse exequiarum,
Iussit abire procul digitis crucis arma repingens,
Vnde ligauit iter miseratus, & inde resoluit,
Vna eademque manu mandata per aera mittens,
Hoc mirum faciens de suspitione Sacerdos.

Sulp. vitæ. c.10. Protinus antiquum cupiens exurere fanum
Arboris ruinæ se opponit. Iussit & accliuem propius succidere pinum.
Obuia congreditur cui rustica concio pugnax.
Ne succidatur res nata, & debita flammis,
Proinde paciscuntur hac lege excidere pinum.
Si Martinus eam valeat retinere ruentem.
Annuit hoc populus, hoc spondet sponte sacerdos,
Mollia subduntur rigido sub stipite membra.
Et suspectatur pini peritura ruina,

Interea rapidis sonat icta bipennibus arbor,
Atque sub increpitans casura cacumine nutat.
Paulatim inclinans iam victa securè ruebat,
Turbati monachi spectant extrema magistri,
Credentes ramis transfigere viscera iusti;
Vir tamen intrepidus perstat pinoque cadenti
Obtulit arma crucis, cumulans sua bella triumphis;
Extimuit fugitiua virum repedabilis arbor,
Et ruitura procul suspendit in aera lapsum.
Excutiens retro versa, comas, sine more caducum
Continuit saltum, sese per inania librans.
Contra naturam succisa, & curua repugnans.
Mox petit illud iter, qua non sua pondera torquent.
Hinc ad ruricolas vertigo infesta rotatur,
In montem exiliens vindex vt puniat hostes,
Resque parata neci fuit vltro facta saluti,
Fit fragor in partes, monachi per gaudia deflent.
Gentiles stupidi noua per miracula pallent,
*Iudicio ligni est hominum mollita voluntas: *Indicio.
Expetit arma crucis conuersa errore *relicto *repulso.
Et timor hic pini Martinum fecit amari,
Maiorem generans fructum, cum decidit arbor.
Hinc iubet alterius succendere culmina fani, Sulp. vitæ. c.11.
Vicinamque domum cum flammea lingua vorarent,
Viribus ardor agens totis laxatus habenis.
Obuius ipse volat, qua tunc globus igneus ibat,
Scandens tecta domus; huic verba precantia mittit, Fanis demoliendis natum incendium extinguit.
Mox tota in ventos reuoluta incendia feruent:
Et contra Boream Vulcanius ardor anhelat.
Seditione mouent elementa domestica rixas,
Aduersis Zephyris videas pugnare fauillas,
Hinc furor Australis premit, hinc velocibus alis.
Flamma volans, Borinas mordebat in aera pennas,
Obluctata diu tandemque euicta per auras,
Quas armare solent, fugiebant, flamina flammas:
Conditione noua; satis hæc res mira per orbem.
Flabra timent ignem, timet ignis ligna vorare,
Atque auidæ flammæ sua nutrimenta pauescunt;
Paulatimque foci se languida lingua resorbet,

Vrere qui solet à se ipso consumitur ignis.
Martinique fides sine nubibus intulit imbres.
Sulp. vitæ c.12. Rursus vt hinc aliud cuperet subuertere templum,
Rustica turba vetat diuelli fana prophana,
Vnde repulsus adit loca proxima, sed biduano
Contectus cinere, & setis ieiunia ducens,
Numinis auxilium ad templa imminuenda precatur
Ab angelis iuuatur in euertendo fano. Militiæ angelicæ coram duo protinus adsunt
Syderei proceres hastas & scuta tenentes,
Comminus his sanctum compellant vocibus vltro.
Præsidiis, Martine, tuis delabimur astris.
Squallidus ipse sedes, sed fit tua cura tonantis;
Suffragiisque tuis cœli fremit arduus axis,
Belliger & totis conspirat Olympus in armis,
Vt cœpta efficias per nos tibi militat æther,
Mittimur à Domino gemini tua castra regentes,
Hac pro parte duces melior qua causa laborat.
Nunc age rumpe moras, neu rustica turba rebellet;
Arma ministra vides, nostrum est superare superbos.
Irrue, ne trepides, ope nostra, ad templa ruenda
Nec titubare decet, fauor est tibi numinis almi.
Tunc sacer aggrediens properus dissoluere templum
Idola extinxit, fana exuit, obruit aras;
Totaque sublimis iacuit sub puluere moles,
Rusticitas inimica prius fauet ipsa ruinæ,
Instat & excidio quæ defendebat iniquum,
Idola eiiciens, numen confessa tonantis,
Vno eodemque ictu hoc respuit, eligit illud.
* Eduorũ. Post * Heduorum dum templum diuellere * tentat
* veller. Sulp. vitæ c.13. Obstant inculti cultores ruricolares,
Ne colerent melius, sua si cultura periret;
Ex quibus audaci nixu male fortior vnus,
Aggreditur gladio caput obtruncare sacratum,
Gladio se ferientis obiicit. Cui nuda ceruice pater sese obtulit vltro.
Ast vbi mente ferox totas collegerat iras,
Exacuens rabiem, sed cordis acumine tonsus,
Acrius insiliens totos suspenderat artus:
Bis furor armatus iuguli ruiturus in ictum.
Iam grauius feriens quantum alte educitur ensis,

Astri-

Aſtrictis capulo digitis dum temperat vngues,
Noxius, horrifica meditatus vulnera dextra,
Mortis amicus, amans facinus, crudeliter auſus.
Iam ferro incumbens, capti mucrone reducto,
Sternitur ipſe ſolo, qui ſic pendebat in ictum;
Ac reſupinus humi, qui pronior ibat in auſum:
Mittit & ore precem cum membra ſuperba iacerent.
Iuſto ſtante cadens, quo credit ſtare cadente,
Dum vice diuerſa ſtat inops, ruit ille ſuperbus.

Rurſus opus peragens, idola euertit; & ecce, Sulp. vitæ c. 14.
Vir quidam tractans Martini de nece, cultrum, Culter de manu excutitur nocentis.
Dum rapit, eripitur rapienda rapina rapaci,
Excuſſumque fugit ſine more volatile ferrum.
Iam leuiore via, neque poſt comparuit vſquam.
Sic cultro ablato, manibus latro extitit inſons;
Redditur & mitis, poſtquam fit nudus ab armis,
Nec furor ante animi periens niſi tela periſſent,
Inuita hæc pietas, quæ perdidit vnde noceret.

Sæpe beatus item, contradicentibus ipſis,
Agricolis, præſtante fide, ſe orante, iubebat.
Vt male culta ſuis caderent fera fana miniſtris,
Sic quoque pontificem ſoliti impugnare rebelles,
Dum templa euertunt, ipſi ſunt arma beato,
Hoſtilique manu Martini bella geruntur.
Partibus atque ſuis alieno milite vincit.
Tunc etiam fuerit curatio quanta patrono,
Quanta medelifero manauit gratia tactu,
Laudibus in tantis, muta eſt facundia mundi,
Quem cunctis vidiſſe fuit meruiſſe ſalutem,
Eſt ſatis ipſe ſuus generoſus teſtis & auctor.
Qui quondam ingrediens Treuirorum mœnia mitis Sulp. vitæ c. 15.
Qua reſoluta diu per viſcera fluxa, rigebat
Tabida paralyſis gelido languore puella.
Flatibus extremis quaſi iam de funere viuens,
Cuius erant oculi vigilis cuſtodia mortis,
Funeris exequias reddentia lumina membris,
Soluere feſtinans animatæ vincula carnis,
Spiritus arcano vix mobilis ibat anhelo,
Fine trahens dubio perituram naribus auram.

Pes

Pes, manus, ora, genę recubabat imago sepultæ.
Nec tumulata quidem, sed portio tota sepulchri,
Cuius amore pio patris exanimata senectus,
Dilacerata genis, niueis male compta capillis,
Cum impatiens ageret, nec adesset cura medelæ
Comperit vt sanctum aductum dignanter ad vrbem,
Aduolat inde senex vetulis iuueniliter armis
Impiger exiliens, cursu sua tempora vincens.
Pontificum vallante choro, populoque frequente,
Irruit in medios clamoribus inuerecundus;
Nam dolor insignis non respicit arma pudoris.
Corruit ergo senex sancti ad vestigia pronus,
Genua, manus, plantasque per oscula mollia lambens,
Vix gemitu laxante, loqui sic incipit æger.
Vir Martine Dei populari nate saluti.
Vir cunctis bonitate parens, tibi suggero luctus,
Ne miseri pereant lachrymæ pietatis amice.
Quem mea causa trahit loca tam longinqua venire,
Vt labor iste viæ tribuat compendia vitæ;
Est mihi nata domi decumbens vulnere morbi,
Exequijs vicina suis sine sorte medelæ.
Quæ quondam incolumis stabat mea sola voluptas,
Obsequijs intenta pijs, placabilis, in qua
Vita meam hæc mihi dulcis erat, solando senectam;
Ecce perit, secumque trahit mea viscera læto,
Caniciemque patris miseranda in Tartara ducit.
Ire sed ipse prior cuperem, si forte liceret.
Quænam vita seni, vel quo mihi vota parenti,
Spe pereunte patris cum nomine prolis ademptæ?
Qua nubente viro per dona futura nepotum,
Aridus in ramis poteram reuirescere prolis;
Cum magis hæc reputem præsentis damma salutis
Me spectante, rapi natam mea lumina luci;
Ordine deposito melius cui causa placeret,
Vt senis illa patris oculorum clauderet orbes,
Vnde sacer dignare auidam suspendere mortem,
Atque minister opis rapiendæ occurre puellæ:
Si mora sit, mea causa perit, succurre duobus:
Nam me cura necat, si illi curatio cessat.

Treuiris in magno e-piscoporũ & populi conuentu sanat puellam paralyticam.

Qua sa-

Qua sacer erubuit confusus voce sacerdos,
Indignum sese tali virtute ministrum.
Sed pater instabat, compellens vocibus iisdem
Debitus insanis medicus venis, exere curas:
Sentiat aduentum medici purgatio morbi,
His impulsus adit, qua lassa puella iacebat.
Turba astante foris faceret quid pastor ouili.
Hinc sua bella gerens orator ad arma recurrit,
Sternens membra solo; sensu super astra reducto.
Hinc vbi consurgens, faciem respexit alumnæ,
Illico vox rediit peregrinis ædibus hospes.
Et rediuiua suæ cecinerunt organa linguæ;
Paulatimque artus liquor vt penetrauit Oliuæ
Viuificata pedum geminis stetit arca columnis,
Et fundata suo viguerunt culmina gressu.

Olei benedicti liquore curat.

Post quoque Tetradij famulus proconsulis expes,
Mancipium alterius sub hospite dæmone factus
Dentibus vt rabies alienis frenderet armis,
Nec sua sed hostis fieret se milite pugna
Quem Dominus famulum supplex purgare precatur,
Sed duci ad sanctum vetuit ferus hospes & hostis,
Tetradius rursus iusti vestigia lambens,
Supplicat vt pergant vbi sæuus latro latebat,
Sed sacer ipse domum gentilis adire recusat:
Spondet Tetradius humilis cum fascibus altis
Si eripiat hosti famulum, se credere Christo.
Imposita ergo manu puero, fera laruæ recedit,
Et mala iucundum pastorem bestia fugit,
Tetradius pariter catechumenus esse meretur,
Atque salutiferi baptismatis amne nouatur,
Sic puer & dominus maculis purgantur ademptis,
Iste hostis laqueis, erroribus ille solutis,
Ille carens animæ pœnis, hic carnis erinnis.
Liber vterque manens gemino micuere triumpho:
Conditio famuli, libertas facta patroni;
Accipit iste fidem, cum de illo perfidus exit.

Sulp. vitæ. c.16.

Tetradii Treuerici proconsularis famulus liberatur à dæmone.

Nec longo spacio sub eodem tempore sanctus
Forte domum ingrediens in limine substitit ipso,
Terribilem referens se cernere dæmonis vmbram,

Sulp. vitæ. c.17.

Dęmoniacum item alium Treuiris curat.

Arreptoque coco vexat fera bellua prædam,
Dentibus armatis lacerans se, siue sodales;
Terga dabant socij, nec quisquam ire obuius audet;
Vix loca tuta fugæ capientes præpete saltu,
Hoc satis esse suum vel se subducere morsu.
Martius ergo chalybs Martinus belliger armis,
Nec pede diffugit, nec siuit abire fugacem,
Pestem stare iubens, acuit, qui fauce molares.
Cui digitos vir Sanctus in os cum mitteret, infit,
Si potes, ecce vora oblatam lupe noxie prædam.
Quam peteres alibi datur vltro dentibus esca.
Quo dicto fauces geminæ reuocantur vtrinque,
Ne violet digitos suspendit bellua rictus,
Et manibus tangi timuit, qui dente voraret,
Qui dum intra obsessum pœnis ageretur acerbis,
Nec tamen ob digitos exire per ora liceret,
Fœda ministerij fœdus vestigia linquens,
Sordibus egreditur, qua sordibus est via fluxu,
Tale iter arreptum sic te decet ire viator.

Sulp. vitæ. c.18.

Hinc cum barbariem sparsisset fama per vrbem
Prouentumque trucem crudelia semina ferrent,
Pastor adesse iubet quendam ex grege dæmonis, illi
Imperat, vt prodat, si nuncia vera vagarent,
Tortus vt ore reus veluti sub iudice missus.
Gressibus humanis aduectus larua, fatetur,

Cacodæmones falsa rumiferantes redarguit.

Hanc famam in populos bisquino dæmone fusam,
Vt cogente metu Martinus abiret ab vrbe;
Barbara tempestas tranquilla lege quiescit,
Formidanda tibi nulla est irruptio gentis;
Nec causam armorum verearis, pacis amator.
Martino præsente aditum fallacia perdit;
Mendax vera refert, & certum nuntiat error
Insatiata malis, quæ sic fremit ore cruento;
Bestia bella mouens reuocauit munera pacis.

Sulp. vitæ. c.19.

Inde Parisiacam sacer intrans concite portam.
Obuiat in faciem leprosum versus euntem;
Qui sibi dispar erat, nec iam à se cognitus, ibat,
Vir maculis varius, cute nudus, vulnere tactus,
Tabe fluens, gressu æger, inops visu, asper amictu,

Mente

Mente hebes, ore putris, lacerus pede, voce refrictus
Induerat miserum, peregrino tegmine pallor.
Improuisus enim hunc sanctus sua ad oscula traxit,
Astringensque virum fuso medicamine laxat.
Nam simul vt tetigit benedictas ore saliuas,
Effugit vnguiferum languoris sarcina tactum,
Mersa figura redit, faciem cutis aduena vestit,
Ad speculum remeat peregrina fronte character,
Et deleta diu describitur oris imago,
Virtutum quam celsa fides vbi concite sancti
Pacis ab officio perierunt prælia morbi,
Complexu res dira fuit languoris iniqui
Peste cadente, nouam gesserunt oscula pugnam,
Inclyta religio Martini cuius honore,
Fædera fida fides formosat fœda fidelis.
Fœlix religio sancti pede, lumine, tactu,
Illustris lustrante viro loca lustra, ligustra,
Vrbes, rura, domus, templa, oppida, mœnia, villas,
Quæque viri insignis tam insignia signa mereris,
Cuius ab ore sacro magnalia cætera vincens,
Leprosi ad curam Iordanis in oscula fluxit,
Et fontem fluidæ maculæ lauat vnda saliuæ.

Leprosum Parisiis osculo sanat.

Finis libri primi.

VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTV-NATI PRESBYTERI ITALICI.

DEINDE EPISCOPI PICTAVIENSIS DE VITA SANCTI MARTINI.

LIBER SECVNDVS.

PENDVLA iam dudum laxaui carbasa pinu,
Dum pelagus componit iter, dum nauta resumit,

Et restricta semel leuius se sarcina ducit,
Me quoque iam primi finita parte libelli
Ad cursum leuis aura vocat; paro lintea ventis,
* secūdus. Spiritus alteuolans imple mea vela * secundans
Ne trepidam classem contraria flabra flagellent,
Martinum mea prora vehat, sancta emptica nautæ,
Dulcis apex, spes fida ratis, leue pondus amantis
Mercis onus suaue est, & siue hæretur in vlnis
* quocūque. Qui tetigit * quodcunque manu, vel tactus ab * illo est
* vllo. A digitis salit alta salus, fluit vnguen ab vngue.

Sulp. lib. vitæ c.19. Fimbria eius & quicquid cilicio detractum, id sanandi vim habet.

Fimbria quin etiam quod nobilis attigit vnquam
Sparsit abundantem modica de veste salutem,
Fontis & huius aquæ restricta est vnda cruoris,
Siccauitque suo refluamina fluxa fluento.
Sumens æger opem per furta salubria fili
Dum nescit medicus, finit discrimina morbus.
Arbiter Arborius, vir præfectorius idem,
Quartano genitam grauiter cruciante camino,

Sulp. vitæ c.20. Arborij filiam cōtactus epistolæ liberat à febribus.

Plurima dum faceret neque cura mederet alumnæ:
Missa beata viri restrinxit epistola febrem,
Quæ super imposita charta recubante puella,
Mox sudoris aquas vbi littera sicca rigauit,
Febris ab internis extracta est arida membris,
Axe serenato madidans sine vellere nimbi,
Rore atramenti restincta est flamma camini;
Israelitarum veluti Moysiticus alter,
Ne vapor excutiat protendit pagina nubem:
Quam mirum artificem dantem per scripta salutem;
Sic operabatur præsens vbi nouerat ipse.

Arborius filiam Deo vouet virginem.

Quæ patre ab Arborio Martino offertur opimo,
Consecranda manu qua saluificata sit ipsa.
Quam bene bis sanam cum virginitate puellam,
Reddit ipse patri proprio pater ille superno.
Sic metuit geminam solo curante medelam;
Dum charam sobolem morti subduxit vtræque.

Sulp. vitæ c.21.

Paulinique oculum tetra caligine mersum
Impositis manibus radius penetrauit acutus,
Atque serena dies detersa nube refulsit,
Paulini o- Lumen & emicuit facies non fusca gemellum,

Marti-

Martini digitis oleo manante lucernæ
Cuncta salutifero superans collyria tactu.
Ipse etiam casu scalarum vertice lapsus
Dinumeransque cadendo gradus, capite, ore, relisus,
Attritus membris descendens saltibus amplis.
Multorum medicus quamplurima vulnera portans,
Dum cellæ recubat grauiter sub nocte sopora.
Peruigilis Domini venit angelus aere fusus,
Vlcera quæque viri tractans dum singula palpat,
Tangens membra manu, solidat vestigia gressu,
Excutiturque lues fugitiuo tabida saltu,
Et sudibus laceros rediit cutis vna per artus,
Crastinus incolumi processit corpore comptus,
Angelicamque fidem testes præsentia fecit.
Nec perferre pium longinqua flagella decebat.
Quando flagellari grauiter non pertulit vllum.
Prætereunda mihi neque sunt hæc maxima rerum.
Maximus Augustus nece regis maximus armis
Imperium nactus ciuili clade superbus,
Dum regit insolitas frænorum infrænus habenas.
Pontificum cui tunc adulatio laxa fauebat,
Principis & nutu, cleri cum circulus ibat;
Martino veniente, tamen rex ipse precatus.
Vt sanctum ad mensam habeat, qui sæpe repulsus
Tandem promeruit fieri conuiua beati,
Imperio plaudente simul sedet, vrbe fauente,
Conuiuam cœli quod terrena excipit aula.
Conueniunt proceres, præfectus, consul, honores,
Certatim, acciti regalia festa colentes,
Principe postposito miraturi acta sacrati.
Augusti obsequiis fremit vndique concitus orbis.
Diuitias pariter producens delitiasque,
Quas habet Indus, Arabs, Geta, Thrax, Persa, Apher, Hiberus.
Quod fert meridies, arctos, occasus, & ortus,
Quod Boreas, Aquilo, Libs, Circius, Auster, & Eurus
Quod Geon & Phison, Tigris Euphratesque redundant,
Rhenus, Arar, Rhodanus, Tibris, Padus, Hister, Orontes.
Quod mare, terra, polus, pisce, alite, fruge ministrat,
Emblema, gemma, lapis, toreumata, thura, falerna,

[Margin: ...culum sanat tactu peniculi. vitæ, c. 22.]

[Margin: Ipse Martinus lapsu saucius curatur ab angelo.]

[Margin: Sulp. vitæ c. 23.]

[Margin: Maximo cum episcopi adulantur. Martinus apostolicam retinet autoritatem.]

Gazaque Creta, Samos, Cyprus, Colophona, Sareptis,
Lucida perſpicuis certantia vina lapillis,
Vix diſcernendis Cryſtallina pocula potis,
Inde calix niueus variat per vina colores,
Hinc mentita bibunt patera fucante falerna,
Hinc abacum picto bombycina flore decorant
Arte laborata, & vel qualia penſat aragne,
Serica purpureis ſternuntur vellera villis,
Inlita blatta toris: aurumque intermicat oſtro,
Totaque permixtis radiant velamina gemmis.
Inde pari pariter rutilant ætate miniſtri,
In cunctis varius habitus, nitor omnibus vnus,
Quod valet ore loqui potuit ſub principe ferri.
Ordine Cæſareo Martino hæc pompa paratur.
Qui modicis contentus erat ſatiandus in vno,
Accubat interea princeps, ſimul ordo ſenatus,
Preſbyter inde toro veneranda adclinat in vlua.
At iuxta regem ſella ſacer aſſidet arta
Porrigit hinc regi mox pocula prima miniſter
Qui ſancto iubet ante dari, quo poſſit ab ipſo
Auguſtus calicem excipere & potare ſecundus.
Martinus patera oblata vt bibit ore, parumper
Diuino ſitiens potius ſe fonte rigari,
Principe poſtpoſito, partem libaminis imam,
Preſbytero tribuit, *noſcens quod dignior eſſet.
Miratur princeps, proceres, conuiua, miniſtri
Iudicioque ſuo ſe penſauere minores.
Illico percurrit res geſta, palatia complens.
Hoc quod apud ſanctum fuit ordine preſbyteratus,
Auguſtus conuiua minor, vox vna per vrbem
Martinnm feciſſe canit, ſub principis ora
Iudicis in minimi menſa quod nemo valeret.
Erubuitque aliud hinc dicere turba, ſatelles.
Si quid enim voluit pro ſupplice forte precari
Induperatori, Martinus & imperat ipſi.
Qui tamen Auguſto prædixit ſorte futura
Proſpera quæ meteret, quæ mox contraria ferret.
Motibus Italiæ pugnante Valentiniano,
Maximus vt cecidit poſt bella ſecunda tyrannus,

Martinus presbyterum præfert imperatori.

*ſciens.

Maximo futura prædixit.

Qui

Qui graue succubuit Aquileia protinus vrbe,
Martini dictis & verbo libra pependit.
Cœtibus Angelicis visus sæpe atque locutus
Miscuit humanas turmis cœlestibus aures,
Voce salutatus, vel nutibus ipse salutans,
Aligeros proceres tenuata per aera lapsos,
Mitibus alloquiis ageret quid sæpe * mouerent.
Quid cœlo expeterent terrena sede parentem
Et consanguinem quasi longa in sæcula ciuem.
Voce requirentes, & amore perenne vocantes.
(Quid faceret terris anima hæc tam libera culpis?)
Vt iubeat cœlis peregrinus & hospes ab aruis.
Dæmonicas etiam species, falsasque figuras,
Quaslibet in formas se verteret inficiator
Perspicuas habuit penetralis acumine visus
Martinique oculos neque falsa fefellit imago,
Nam quamuis varia tegeretur larua figura,
Sancto nuda fuit cum non se absconderet vmbra.
Et quod à perfidiis illusio nulla valebat,
Prensus in arte ferox iaculabat probra beatum:
Et cum fraus cessat hostis, conuitia iactat.
Tempore nam quodam cornu bouis ecce cruentum,
Ipse cruentus habens, infert ad tecta sacrati
Irruit in cellam, causamque exponit iniquam.
Quo virtus Martine tua est? Hoc aspicis, inquit,
Vnum namque tuum nuper hac cæde peremi,
Et mihi præda iacet pecuali capta ministro,
Iniunctumque nefas sceleris bos armiger implet.
Damno cresco tuo congaudens vbere fletu;
Protinus his dictis fratres sacer aduocat omnes
Et pater ore refert quicquid ferus indicat hostis.
Sollicitus ne quid lupus abripuisset ouili.
Perquirunt socios monachi numerumque recensent
Sed grege de niueo modicus neque defuit agnus.
Conductus mercede tamen deest rusticus vnus.
Linga trahenda focis nemorum vectore bubulco;
Quo propero iubet ire gradu, causamque requirit,
Semianimum inueniunt missi suprema gementem,
Indicat atque necem, dum adhuc super halitus errat,

Vitæ.c.24.

Angelorũ gaudet alloquiis.
* monerent.

Dæmonũ spectris vexatur.

Dæmon bouis impetu enectum ab se hominem iactat.

Quod

Quod sua laxato taurus foret inguina coruu
Explicataque fide, vitam cum voce reliquit.
Nec Sanctum hoc errare facit, quod fecerat error.
Additur hinc etiam rerum mirabilis ordo,
Mille nocendi artes, dum perfidus exerit hostis,
Nunc Iouis in faciem, nunc se mentitus, Anubem,
Sæpe habitu Veneris, sæpissime fronte Mineruæ
Sedulus insidiis sancto sua feria rumpens,
Diuersis formis, vt terror cresceret, offert,
Et varius generet specie variante timorem;
Qui virtute nequit, superatus vt arte rebellet.
Sed tamen intrepidus persistit inania temnens,
Semper in aduersos iaculans crucis arma beatus,
Belliger hoc clypeo hostilia tela relidens,
Qua penetrante acie, se machina falsa resoluit.
Sæpe etiam in sanctum vacuos acuere tumultus
Inficiatores, falso minitante flagello.
Sed fremitus fragilis per inania cymbala tinnit,
Oppositisque minis, interritus ipse resistit.
Nec fundata decet contra euacuata moueri,
Hinc quoque lætiferi suffusus felle veneni
Perfidus, horribilis, trux, lubricus, inuidus, anguis,
Ore cruentatus Martinum prouocat armis,
Cur habeat monachos oneroso crimine pressos.
Cur maculosa cohors habitet pia septa magistri,
Ne rea turba malis violet consortia iusti.
Morbida neu reliquos vitij contagia fricent,
Qui male polluerint lauacri venerabilis vndam,
At sua perdiderint baptismata crimine mersi,
Nec via sit veniæ, periit quibus orbita lapsis.
Cum semel in foueam vix est reuocare ruentem,
Ac neque restitui vastato in corpore florem
Nec redeat miseris vltra indulgentia Christi.
Tunc Martinus ait hæc contra dæmonis iram,
Perfide decipiens quia non tua commoda cernis,
Hostis inique tibi, tibi iam noxa pereunte,
Si nunc pœniteas, si nunc resipiscere velles,
Præcipitare animas vt iam per crimina nolles,
Nec tua sæuirent alienæ tela ruinæ,

Dæmon varias assumit falsorum deorum formas.

Martinum appetit calumniis

Erre-

Erroresque tuos damnares, vltime, iudex.
De pietate Dei fidens, promittere possim
Vt tibi tam misero misereri Christus haberet.
Et cito donaret scelerata piacula culpæ.
Ob hoc arce poli descendit ad arua redemptor,
Perdita vt eriperet, peritura nec ipsa perirent,
Immaculatus enim maculas detergere venit;
Vulneribusque suis, curaret vt vlcera mundi.
Funeris ordo sui, nostræ fuit arra salutis
Sputa, flagella, chlamys, fel, acetum, lancea, claui,
Crux pia, mors, tumulus, lapis, infernus, vmbra, tyrannus,
Victa simul triduo premit, & redit auctor ad astra,
Descensusque suus, meus est ascensus in altum.
Nec peccatoris mortem magis eligit vltor.
Quando suis pœnis nobis dedit arma salutis.
Sic pius indomitam pestem mansuescere tentat,
Promisitque lupo bona pastor ouilia reddi.
Quanto magis homini *reserari præmia Christi,
Propter quem ipse Deus homo fit, iacet atque resurgit.
O pietas & celsa fides, præsumptio dulcis,
Quæ promittit opem deceptori & perituro,
Explicuit votum, si non valet ire iuuandum,
Cui minus in posse est, satis est ostendere velle;
Nam totum impendit, qui non abscondit amorem.
Hinc clarus placidus adolescens moribus expers.
Martinum amplectens patrem, & sua cuncta relinquens,
Tempore quique breui micuit virtute, fideque
Cum prope pontificem habitacula constituisset,
Ac sua complures peterent consortia fratres,
Huic se tunc monachus socians Anatolius addit.
In commune prius humilis censura sodalis,
Qui rudis ingenij versuto illusus ab hoste,
Post ait, ad sese quod cœlitus Angelus iret,
Ac reserare sibi mysteria clausa tonantis,
Et cito syderea volitent sua nuncia penna,
Atque remissa viri responsio nubila tangat,
Inter se & Dominum memorans iter esse propinquum,
Ac sibi contigui iactat confinia cœli,
Se secreta Dei* noscendo iam esse prophetam;

Dæmoni si pœnitere possit promittit veniam.

* reserantur.

Sulp. vitæ. c. 25.

Anatolii monachi hypocrisis detegitur.

* sciendo.

Sed Clarum, vt credat, nec opinio falsa mouebat;
Tunc sine more furens Anatolius asserit audax,
Quo sibi de cœlo dominus transmittat amictum,
Induat & vestem delatam nocte silenti,
Vt signis stupeant cuius modo verba cauillant,
Eleuat hinc varium monachorum turba tumultum,
Et suspensa tenet spectatio vana sodales;
Interea medias quasi nox transcurrerat horas,
Et rota flexa æquo gyrabat cardine metam,
Fit subito strepitus, quatitur locus, arma mouentur,
Et concussa simul vario fremit aula susurro,
Murmure raucisono frangente lepore loquelas;
Credas pugnaces volitare per astra phalanges,
Et videas rapidas discurrere turbine turmas,
Hic vbi concussis redierunt ocia turbis,
Motaque tempestas tranquilla silentia sumpsit,
Aduocat ex monachis confestim Anatolius vnum,
Cominus & tunicam ostentat iactantior albam,
Qui vacuo tumidus falso vmbrabatur honore,
Candidus exuuiis, sed nigri dæmonis arte;
Inde ciet reliquos; occurrit Clarus & ipse,
Palpat mollitiem vestis candore niuali,
Serica confingunt tenuato stamina filo,
Nec contacta manu discerni vellera possunt,
Ducitur interea monachis nox peruigil hymnis,
Et compacta choris Dauidica canna resultat;
Vt coram altithronus velamina visa reuelet,
Tam spumabat equis auroræ auriga rubores.
Sol quoque lucifluas circumflectebat habenas,
Atque renata dies reuocabat in arua labores,
Mox Clarus monachum Martino ostendere tendit,
Noscens pontificem phantasmata nulla latere.
Cum sancti ante oculos vario fuit vna figura,
Decipulamque suam deceptor perdit in illum.
Cœperat his demens Anatolius ergo reniti,
*occurrat. Interdicta sibi Martini *occurrere ouili,
Dum tamen inuitis traheretur passibus hærens,
Tegmina falsiloqui vanescunt alba nigelli,
Et male destituunt monachum vaga pallia nudum;

Nec

Nec ſtat imagineis ſimulatilis vmbra figuris,
Territa Martini ſic nomine larua refugit.
Hoſtis iners maiora ſuis dehinc viribus audens,
Perfidus & totiens eliſus, nec ſibi credens,
Debilis arma mouens & degener ardua tentans.
Vt ſua laus fieret vel ſollicitaſſe potentem,
Creſceret & titulis fortem pulſaſſe ſagittis,
Denique cum ſanctus recubaret in aggere fuſus,
Inſinuando preces Domino pro plebe ſacerdos,
Conſtitit ante oculos deformis forma rebellis,
Sulphurea ſub luce micans radiatilis vmbra,
Lumine mentito tenebroſus, & atra vorago,
Fulgidus exuuiis regali veſte ſatelles,
Tectus bracteolis vacuo diademate pulcher,
Ordine gemmarum numeroſa luce coruſcus,
Falſa veſte potens, cui calceus illitus auro,
Latior, & tumido iactans ſe pompa triumpho,
Cuius ad aſpectum ſanctus habet ora repreſſa;
Mutuaque ambo diu tenuere ſilentia faſtu;
Mirans ille virum dum deſpicit; iſte ſuperbum.
Quem prior alloquitur reus, & temerarius hoſtis;
Quæ dudum, Martine, cupis penetrante precatu,
Iam pia vota tenes ego ſum tua gloria Chriſtus,
Exigis vt veniam validos recreare labores,
Et ſudata tuis vt ſoler bella * triumphis,
Debita militiæ dare oportet munera regem,
Deſcenſurus enim ad terras huc dirigo greſſum,
Vt tua ſollicitis requieſcant pectora curis.
His ſacer intrepidus nolens reſponſa referre,
Deſpicit, & reticet, tractat, neque verba relaxat.
Mens ſolidata manens, rimans alta, atque profunda,
Cardine nec tremulo, vento neque flante rotatur,
Lubricus hinc repetit mordacia ſibila ſerpens:
Credere quid dubitas, proprio quod lumine cernis?
En ego ſum Chriſtus, tecum qui confero voces,
Et loquor hæc ſecreta palam dignando futura.
Nec de me trepides, teſtis mihi fulgida lux eſt;
Spiritus vt verax Martini igniuit acumen,
Ac patefecit iter ne clauſa venena laterent,

Dæmon ſe pro Chriſto obiicit in imagine S. Martino

* trophæis.

Hostis & anguinei posset discernere fraudem,
Libertate potens sanctis sermonibus, inquit,
Non ita se Dominus venturum dixit in orbem;
Se neque purpureum, nec sic diademate fultum,
Pandit Apostolicis, voce insinuante columnis,
* carnali. Cum sua * carnalis raperetur ad astra figura,
* pinnas. Atque pijs plantis strauerunt flamina * pennas,
Cum pede pressa sacro seruirent aera regi,
Angelicis vectus manibus celer æthera calcans,
Ingrediens teneras, neque frangens gressibus auras,
Pendula planta volans, cum nubila finderet intrans,
*aula. Remige pennigero qua non facit * ala sigillum,
Cum Galilæis tunc spectantibus angelus astans,
Sic ait altithronum, rediturum qualiter ire,
Vidistis cælumque supra vestigia ferre.
Vnde probanda probo, reprobo reprobantia probra,
Non sunt signa mei regis, sed castra tyranni,
Ast ego transfixas clauis nisi videro palmas,
Atque beata crucis tum stigmata carne gerentem,
Ac latus effossas traiecto missile costas,
Vnde cruentati pariunt baptismata riui,
Et sacra purpureo maculas lauat vnda fluento,
Quæ dedit in precio generosa talenta redemptor,
Inde crucis trutina precij nummismata pensans,
Totum auctor redimens thesauro corporis orbem,
Cum gemma vna fuit, quæ cuncta in vasa valeret;
Hac nisi veste tegi videam qua pertulit author,
Indicio sine hoc Christum venisse negabo.
Nam decet vt victor doceat per signa triumphum,
Plagaque fixa potest laude accumulare trophæi.
verbi. Mox inimicus iners vibratus verbere * vitæ,
Pestifer aerius tenuata per aera lapsus,
In propriam speciem rediens ad inane solutus,
Effugit ex oculis liquidas quasi fumus in auras,
Et leuis vmbriferæ volitauit imago figuræ,
Visibus exclusus cellam pedore cruminans.
Agnitus indicijs sua per vestigia sordens,
Et fœtore sibi comitante satellite fugit,
Martinique fidem neque fulgida forma fefellit,

Necre-

Nec radium mentis delusit splendor inanis,
Luce superfusa qua se nox tetra tegebat.
Nunquid non poterat humilis superare superbum?
Aut non deiiceret tam mente benignus iniquum? Sulp. vitæ. c.26.
Pacificus armis doctus domitare rebelles;
Cuius dulcis erat fauor & honor altus amoris,
Non solum abluere alterius, sed lambere plantas, Sulpicii cũ Martino conuictus & hospitalitas sancti.
Hospitis atque noui vestigia tergere lingua,
Semper aquam manibus tribuens venientibus ipse,
Cœlestis cupiens homini seruire minister,
Et manus alma pedes de peccatore luebat.
Cum sua porrigeret vel fimbria tacta salutem,
Qui illecebras mundi fugiendas instituebat,
Et sæclo sua lucra dari, nil quærere terris,
Vt censum fugeret, qui ascendere vellet olympum,
Vt graue pondus agri, vel numi nullum haberet,
Nec retineret opes qui cœlo occurreret hæres,
Namque onus ascensum vetat, & descendere præstat,
Imum versa trahunt, nec in altum pondera ducunt,
In montem gradiens titubat sub fasce columna;
Deficit & fragilis valido sub pondere planta?
Mergit in vndosum cumulatam sarcina proram;
Vt petat ad portum rerum facit emptica iactum;
Qui pater illustris Paulini gesta beabat, Paulini Nolani exemplo B. Martinus suadebat contemptum sæculi.
Floruit Italiæ quo post antistite Nola;
Qua regio Campana sedet rectore supremo,
Diues agris opulens, famulis locupletus aceruis,
Vir censu vastus, lare celsus, & ore rotundus,
Ditior ipse fide, pro Christo fit sibi pauper,
Et dedit innumeros redimentes crimina nummos,
Cuius sparsa solo migrauit ad astra facultas,
Fecit & in cœlum pigras ascendere terras,
Vno stando loco, & dant bruta ad sydera saltum;
Ergo Euangelicum Paulino implente relatum,
Martinus monitat cunctis talem esse sequendum,
Tramite difficili potuit qui pergere diues;
Depositoque onere ascendit qui liber in arcem;
Exemploque monens vocat altius ire sequaces,
Iam quoque Martini, quæ fabula fluxerit ore, B. Mani-

ni facundia.

Quæ grauitas fuerit, quam acer de lege disertus,
Quæstio nec latuit cœlesti iure peritum,
Vir reserare valens, quodcunque ænigma negaret
Ingenij dulcis prudentia larga redundans,
Fonte perenne bibens, quod riuulus ille rigaret,
Sermo pius promptus, placidus, catus, aptus, amandus,
In tantis animis cœli possessor in aruis,
Peruigil orator mandando negotia Christo,
Iudicis in vultus inopum querimonia pandens.
Doctus in arte sacra miserorum exponere causas.
Assertor validus, superans fora, iura, togatos,
Nobilis adstructor, facundus concionator,
Qui prece profusa Domini vadimonia placans,
Quantum voce valens viduis atque orphana trophis,
Cuius & ipsa polum taciturna silentia pulsant.
Mens fundata Deo, sine fuco proxima cœlo,
Otia nulla terens, & nulla negocia carnis.
Quicquid agendum esset, totum velociter implens,
Sed mora Christus erat, famulans sibi nocte dieque.
Nam cibus & somnus, nisi quod natura necessat
Tardus edax, velox, vigilans, sopor, esca sub ictu,
Nec faceret nisi quod sine his caro viuere nescit,
Tempus vtrumque dicans, causis repetendo duabus;
Lectio nunc resonans sibi nunc oratio currens,
Cuius erat requies tantum mutare labores,
Si foris isset, erat homo iugiter, intimus orans,
Cœlo non carnis sed tendens lumina cordis,
Nec dolus inclusus latuit, nec ab ore refluxit,
Vir sine mundanis Domini possessio munda,
Nullum iudicio damnans, mala nulla repensans,
Hæc sua forte fuit si facta iniuria fratri est,
A minimis læso nonnunquam erat vltio dulcis,
Deq; gradu proprio neque reppulit officialem.
Carus & aduersis, pius æquis, blandus iniquis,
Ira, tumor, risus mœror stetit exul ab illo;
Non in fronte tenens nubem, nec in ore cachinnum;
Idem semper erat facie, cute, corde, colore.
Nec variabat opus, vir adhuc in corpore constans,
Immortale aliquid mortali ab imagine promens,

Martini exaggeratæ dotes.

Ora

Ora Deus, sensum pietas, pax corda tenebat;
Pro se parua gerens, aliena misertus agebat,
Naturæ vt seriem postponens angelus esset,
Alta supergrediens, mente vltra nubila tendens,
Liber ab humanis intrabat sydera *curis, * ciuis.
Inclita signa gerens, & multa futura prophetans,
Stabat adhuc terris, cœlestibus intimus hæres,
Noscens clausa Dei, quasi conciliator amici,
Cum sua participat caro secerta clienti;
Vir cui Christus amor, Christus honor, omnia Christus,
Flos, odor, esca, sapor, fons, lux, & gloria Christus,
Huius in affectu insertus, solidatus, adultus.
Ac velut arbor agri, secus est vbi cursus aquarum,
Floricomis folijs, & fluctu perpete gaudens,
Ornata æternæ fert poma perennia vitæ,
Inter Apostolicas acies, sacrosque prophetas,
Martyrijque choros, atque agmina fulgida cœli,
Rege sub inuicto quâ exercitus ille coruscat,
Per turmas, proceres, legiones, atque cohortes,
Milite, seu comite, & gradibus duce, consule, crescens,
Lacteus iste togâ, rutilus micat ille corona,
Hunc prætexta nitens, illum diadema facetat,
Hos chlamys, ast illos armilla topaza decorat,
Baltius huic radiat, huic infula crine coruscat.
Alter palmatæ, trabeæ nitet alter honore,
Pingit & ornatum gemma, aurum, purpura, byssus,
Nec videt hoc oculus, quod habet super astra senatus.
His frueris, Martine, bonis sub principe cœli;
Cœtibus angelicis sociabilis, & patriarchis,
Compar Apostolicis, meritis æquande prophetis,
Addite Martyribus, * queis rubricat vnda cruoris, * rubricat quibus.
Fulgide confessor candentia lilia vincens;
Lumine purpureo redimite, decore, corusce,
Liberius gradiens, per celsa palatia regis.
Vir transcripte potens, æterna in sæcula ciuis,
Signifer arma crucis fers nobilitare triumphis,
Dulcis adorande, & mihi pectore, voce, colende,
Cuius prosaicus cecinit prius acta Seuerus,
Versibus intonuit Paulinus deinde beatus,


Æqui-

Æquiparare valens illustris vterque relator.
Materia victi, sed & ipsi carmine cedunt.
Luminibus tantis ego nubilus inseror audax.
De minimis minimus, de magnis maxima tentans,
Qui pede subtritubo, balbutio faucis anhelo;
Et rudis eloquio carpo, quod condere certor.
Da veniam, quia te cecinit rea lingua relatu,
Fer pietatis opem misero, miserando misertor,
Rector vt altithronus cum venerit arbiter orbis,
Tum memor obtineas delicti obliuia nostri,
Inter me ac Dominum mediator adesto benigne,
Quem sua culpa ligat, tua vt interuentio soluat;
Spes Fortunati sit fida salutis egeni,
Suppliciter humilem tibi se strauisse patrone,
Qui lepræ maculas medicata per oscula purgas,
Mortis & extremæ reuocas in origine finem.
Carnis adhuc fragilis quondam sub imagine constans,
Nunc opus vt mites pietas tua commodet aures,
Nam prece posse vales apud illum, cuius haberis,
Quod peto tu poteris quia totum præstat amicis,
Sic tibi quæque petis tribuat præsentia regis.

VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

DEINDE EPISCOPI PICTAVIENSIS DE VITA SANCTI MARTINI.

LIBER TERTIVS.



Actenus in bibulis fixa stetit anchora terris
Ocia lenta trahens, & inerti dente quiescens,
Leniter alludens dum sibilat aura soporem
Et nos vmbra tegit viridante crepidine ripæ,
Ecce serena dies rutilata crepuscula profert

Et pe-

Et pelagus rate nauta petit; iam ſoluo rudentes,
Littus arundineum linquens, leuo carbaſa ventis.
Ante per Adriacas ſpumas dare vela videbar,
Turbine raptus aquæ, per murmura rauca fragoris
Cum duce Sulp tio, bene cuius ab ore venuſto,
Martini ſacros dulcis ſtylus edidit actus.
Qnos ego ſub geminis claudo pede curro libellis
Infimus egregrii contexens geſta patroni.
Rurſus in Oceani videor mihi tendere fluctus.
Maius iter gradiens, vbi ſe vada glauca relidunt,
Et creſcit terrore timor, rate, nube, profundo.
Dum tamen alta peto, reſonet mihi Gallus in aure
Geſta beata viri, qua mitigat vnda tumorem,
Et ſermone viam releuet ſale fabula dulcis.
Deferor, ecce, freto; fugiunt & littora viſum.
Remiget hic Gallus, Martinus vela gubernet,
Flamina Chriſtus agat, portum quibus vnda reducat,
Nunc quoque geſta ſacri, dum nauigo nauta loquatur.
Menſibus hibernis dum Boſphorus alligat vndas,
Et liquidos campos vetat imber arare carinis,
Oceanuſque negat commercia ferre Britannis.
Cum ſata ſub rigido ſua germina frigore celant,
Ac penetrante gelu riget vnda, & herba liqueſcit,
Aſtitit ante fores orans * veſtem æger egenus,
Lingua ligata gelu ne ſolueret ore loquelas,
Vt tegeretur inops; ſacer imperat ergo miniſtro,
Ipſe remota petens populi caret arte tumultu·
Comperit vt ſanctus nihil accepiſſe trementem,
Exuitur tunica, algentemque obtexit amictu,
Quam ſine teſte dedit latitans, & abire coegit;
Ecce miniſter adeſt rogitans procedere ſanctum,
Sed ſacer ante monet veſtiri tegmine nudum,
Hoc memorante pio, ſtupidus hebet Archidiacon.
Quid faceret, nudum dum non ibi cerneret vllum,
Noſcere nec poterat, reſidente antiſtite nudum?
Qui tunicæ interius non aſpiciebat amictum,
*Amphibali exterius dum membra obtecta laterent;
Angit in ancipiti quod hoc ænigma beati,
Quæſtio tanta ligat, neque problema ſoluit egeni,

Dialogi II. vitæ S. Martini c. I.

*veſte.

Nudum propria veſte in eccleſia tegit

*Amphibole.

Qq Tunc

Tunc ait ipse sacer, mihi tegmen defer abollæ;
Nec pauper * desit, qui vestibus indiget illis,
*Succensus, grauiter tegmen fert vile minister,
Ante pedes iactans; ait, en sine paupere vestem;
Induitur sanctus hirsuta bigerrica palla,
Vix cui digna foret stola lactea, & aurea fulua,
Processit tum summus honor, sed pauper amictu,
Despectus tunica cœlesti in sede senator,
Interea populis cerimonia sancta retractans,
Cum holocausta sacræ manibus benediceret aræ,
Protinus à capite emicuit globus ignis amici,
Lambens colla, comasq;, & flammma benigna volabat,
Tactu mollis, honore potens, splendore coruscans,
Crinem ornans, meritum prodens, pro tegmine fulgens,
Præbuit obsequium, minus impendente ministro,
Gesta occulta index in lucem lumine mittens.
O diues pauper, tunica contente nec vna,
Qui nec habes aliam, neque vis retinere vel ipsam,
Dum superesse putas vestitum simplicis vsus,
Cui grauis est vel palla leuis dum clamat egenus,
Tegmine pro nudi cupiens procedere nudus.
Nec partiris opem, sed totum cedis egenti
Hæc tua sola putans petitus si nulla negasses.
Vt magis esses inops, inopi dum cuncta dedisses,
Nec puduit verecunde pater, sine veste sedentem,
Sed nihil erubuit pietas impensa fidelis.
Nec minimam retinens, fieret quo maior honore,
Est mihi velle loqui speciosa negocia nudi.
Sed rapiunt auidum reliquarum insignia rerum.
Dum recubaret homo fluitans Euantius æger,
Fessus & extremus cum iam superhalitus iret,
Pontificem precibus celer euocat vt properaret,
Et via cœpta sacri fieret sibi vita reducti,
Nec cunctatur iter Martinus adire viator.
Vix medio spacio emensus gradiente senecta,
Ante salutis opem misit quam visus adesset,
Atque medela ægro data nunciat ire beatum.
Significans etiam cursor medicina sequentem
Dum pede tardat heros, præcessit cura volatu,

* deerit.
* succensens.
Dialogi II. c. 2.
Globus ignis insidet capiti sacrificantis.
cap. 3.
Euantius à morbo curatur. aduenien te ad se Martino.

Aduentu s-

Aduentuſque pii fert aura ſalubris odorem,
Vt cito ſuccurrant, vnguenta per aera tranant,
Sol veluti radiis dat longius ore calores,
Sic Martinus opem, & quo non eſt, exhibet arte.
Admiranda nimis res eſt, vbi peſte fugata,
Antea quam medicus pulſum tenet, exilit æger.
Obuius occurrens ſancto, obſequiumque rependit.
Duxit & ipſe domum, qui ſe ſibi luce reduxit,
Nunc alacer ſaltu recubans paulo ante grabato,
Interea miris Euantius actibus expers,
Supplicat incolumis * Domini vt mora craſtina tardet,
Hoſpitis & tanti tenet vna diecula vultum,
Sed mora tum fuit hæc occaſio danda ſalutis,
Illico percutitur puer atro dente chelydri,
Membraque percuſſi diſtenderat ira veneni,
Cum ſpatium vitæ mors importuna negaret,
Flebile & in toto regnaret corpore virus.
Expoſuit puerum ante pedes Euantius almi,
Omnia confiſus Martinum poſſe mereri;
Sanctus enim tactu mox ſingula membra pererrat,
Atque manu medica morientia viſcera palpat,
Inde ſuper vulnus, qua beſtia fixerat ictum
Vt poſuit digitum, fluit vndique vena veneni,
Et repedauit iter, dederat qua vipera virus.
Hinc ſacer inſpiciens collecta tabe tumorem,
Pollice ſubducto, quam fuderat vlcere ſerpens
Cuncta veneni vis per hiatum vulneris exit.
Sanguine concreto ſtillans velut vbere capræ.
Turgida plaga necem vomuit de vulnere filans.
Concretam ſaniem vena ſaliente relaxans,
Effert virus iners refluente canale liquorem
Et data læthiferum reuocat retro fiſtula riuum,
Expugnante fide morſus vim perdidit anguis.
Et quia non perimunt, perierunt arma veneni.
Stat puer incolumis, remanet neque pallor in ore,
Miratur famulum dominus ſtupet & domus omnis,
Currere ſeruitio, quem crederet ire ſepulchro.
Hinc pius antiſtes loca ſingula more requirens,
Hiſpidus occurrit rhedæ fiſcalis amictu.

*domui
Puer lethali ſerpentis ictu percuſus mirè à veneno liberatur.

Ore ſacer nitido dumoſa noualia purgans,
Proſcindens iterans bis terque quaterque reſulcans,
Paulatim ad fructus ſtupidos animauerat agros;
Hinc rudibus populis Chriſti noua ſemina iactat,
Senſibus humanis lactantia germina ſurgunt,
Leniter & rigidis coaleſcunt gramina ſulcis.
Quid faceret ſanctus turbis coëuntibus amplis,
Meſſe in tam multa veniens operarius vnus,
Excolit, includit, ſerit, inſerit, alligat, ambit,
Interea mulier defuncto pendula nato,
Brachia diſtendens offert ante ora cadauer,
Funeris increpitans miſero fera cantica planctum,
Dum dolor ad lachrymas trahit hæc, vix explicat ore,
Fortis amice Dei toto venerabilis orbe,
Quem ſemper lamenta mouent pietate propinqua,
Ardens quid cupiam, corpus tibi nunciet algens,
Ecce obiit miſeræ mihi filius vbere raptus,
In quo mater eram; nec ſpes neque reſtitit hæres;
Occubuit genitus, cecidit domus: & mihi fructus,
Nulla remanſerunt vteri ſolatia duri,
Nec ſupereſt quod dulce vocem, quo feſſa reclinem,
Vbere quod recreem, totus perit ordo parentis.
Qui reſtas precor, affer opem medicamine verbi,
Redde genus, ne ſit matris mihi nomen inane;
Ni ſoboles redeat, ſecum mea funera ducat.
Adiuuat hanc populus clamans, ſacer, annue votis,
In cunctis vox vna tonat miſerere precanti.
Tunc pius antiſtes genibus profuſus in aruis,
Sternitur ante oculos, Domini pro plebe ſatagens.
Vt mereretur ouem, per quam grex plurimus eſſet,
Annuit omnipotens famulo dans culmen honorum.
Mox bonus ore, preces orator miſit in aures.
Ordine depoſito, poſtquam ſe oratio complet,
Erigitur ſenior, ſimul infans viuificatur;
Porrigiturque ſuæ populo ſub teſte mamillæ.
Fit fragor, & populi noua pectore vota volutant.
Mirantes hominem lætè mutaſſe vigorem,
Et qui in morte manet, morti ſua iura tuliſſe,
Inde cateruatim Chriſtum Dominumque, Deumque;

B. Martinus impositione manus cõstituit catechumenos in cãpis, quod alias in Ecclesia fieri mos erat. Dialog. II. c. 6.

Confessi, exorant fieri se lege beatos,
Fit subito in campos populus cathecumenus omnis.
Non templa exspectat, nec claustra dicata sacelli,
Ecclesiæque typum campus generosior explet,
Quodque solet tectis, pratis adhibetur apertis,
Vnica mors pueri sic vitæ parturit agmen,
Dumque vnus terræ rediit, plebs astra recepit;
Sub duce Martino fœlix exercitus hic est.
Dum regeret princeps data iura Valentinianus,
Romuleis opibus mundo famulante superbus,
Tum pia caussa sacrum ad comitatum compulit ire,
Quem quia præsensit se posci talia Cæsar,
Quæ nollet præstare, viro iubet arce repelli,
Et vetat à foribus penetrare palatia iustum
Instat ad hæc vxor, cui tunc ĕrat Arrius autor,
Sed sacer vt vidit tali se fraude repelli
Hinc aula exclusus, redit arma domestica sumens,
Contegitur setis, respergitur atque fauillis,
Ordine miles agens, remouet potumque cibumque,
Nocte dieque vacans orandi iugiter vsu.
Septimus ergo dies aderat, quo sanctus amore,
Fortia castra mouens, his desudabat in armis.
Angelus assistens iubet ire palatia iustum,
Fretus in auxilio Martinus pergit ad arcem,
Limine nullus obest; ad principis ora perintrat;
Qui sanctum inspiciens, quod adesset, frenduit ore;
Atque astante pio, solio neque surgit ab alto;
Regalem sellam mox ignibus ardor oberrat.
Et vaga flamma natat, qua molle sedile coruscat,
Vndique fusa furens, sed culpæ Cæsaris vltrix,
Ceruicis duræ soluens ardore rigorem,
Inde flagella coquunt, hinc regem incendia cædunt;
Vapulat, & rapidis flammis augusta potestas;
Hinc celer exiliit rapiens se Cæsar, & ardens,
Martini genua amplectens, pedibusque volutans.
Sicque superbum hominem se agnoscere pœna coegit,
Vilia regna probans, & celsa cacumina curuans,
Imperiale caput sancti ad vestigia subdens.
Nec spectare preces patitur reuerentia iusti,

Valentinianus Imp Martino assurgere cogitur flammis è sella pulsus.

Præstitit

Præstitit ante tumens quam supplex danda rogasset;
Regia rite parans conuiuia sæpe beato,
Obtulit inde fauens obeunti munera princeps;
Paupertate potens sed repulit omnia sanctus,
Donaque despiciens, meruit plus principe ab ipso,
Tantum maius habens, quantum minus ambit auarus,
Omnia sunt soli, qui nulla requirit habendi.
Hinc quoque Romuleam regeret cum Maximus arcem,
Vir capiens apicem per publica gesta triumphis:
Sæpius hic sanctum per celsa palatia duxit,
Hoc toto sermone loquens de luce futura:
Quis sit honor iustis, laus, gloria, palma, corona,
Nec regina pedes cessat lachrymosa rigare,
Sternens membra solo, suspendens gaudia voto:
Inde precatur ouans conuiuia vt ipsa pararet,
Obtinet hoc bonitas quod non valet alta potestas,
Ipsa manu sellam posuit mensamque parauit,
Dans manibus lymphas, rursus regina ministrat
Læta, modesta suis palmis quas coxerat escas.
Quo residente sacro, stetit illa immobile planta:
Fercula subducens, & pocula porrigit ipsa,
Vna ministra viro suffecit ad omnia soli,
Cœnula finitur, sed adhuc regina satagit,
Fragmina, reliquias, crustas, & frusta recondens,
Omnia præponens hæc imperialibus escis,
Hoc Martinus agit, quo clausos carcere laxet,
Exilio ductos laribusque reducat auitis,
Sed tibi, sancte pater, minus est Augusta quod explet,
Hoc magis obsequio creuit regina peracto.
Est locus in Turonum fine, & confine Biturgum,
Incola quem vicum vocitauit Claudiomagum,
Mansio forte fuit Martino prætereunti,
Ecclesiæ Domini qua secretaria pollent:
Virgineisque choris sancto abscedente requirunt,
Quo stetit, aut sedit, iacuit, genua, atque reflexit,
Lambunt cuncta simul vel ad oscula singula ducunt,
Diuisere sui veneranda stramina lecti,
Atque leues paleas virtutis pondere pensant,
Quam tetigit stipulam sanctus non ibat inanis.

Valentiniani munera respuit.

Dialog. II. c. 7.

Maximi vxor famulatur Martino prandenti.

Dialog. li. II. c. 8.

Virgines sacræ lambunt vestigia S. Martini.

Denique

Stramine in quo Martinus cubuerat sanatur energumenus.

Denique post fragilis confregit fortia culmus.
Nam grauiter quendam rabies inuaserat hostis,
Et truculentus agens erroris spiritus iret,
Dum rapiendo rotat vesano cardine prædam,
Hunc suspensa viri collo festuca fugauit,
Immanemque hostem palearis arista remouit.
Tibia fruge ferax laruam iaculata, sagittat,
Et stipula exilis, quasi dura phalarica fixit;
Nec sic vllius ferri expauisset acumen,
Spicula nec tantum timuisset missa per arcum,
Lubrica pennigero venientia tela volatu,
Parthica seu timidum si transfodisset arundo,
Plaga vt vicino grauius lacerasset ab ictu,
Stramina sic metuit trepidans adamantinus hostis.
Ac velut ex stipulis coqueret se flamma camini,
Vir stetit incolumis, fugiente volucriter vmbra,
Deserit & prædam lupus ingens & leo frendens,

Dialog. li. II. c. 9.

Inde reuertenti Treuirorum ex vrbe beato,
Obuia forte datur medio fera buccula campo;
Quam dæmon dorso incumbens agitabat anhelo,
Pendulus aerio quatiens auriga flagello,
Pestifer arte noua cursu boue nempe verendo,
Cornigeri pecudis propulsor mulio tristis,
Exagitatur iners, residens per terga bubulcus;
Hic vbi millimodas animalis adegerat iras,

Vacca in Treuiris à dæmone vexata curatur.

Ibat vbique ferus furibunda iuuenca ministro,
Sub tortore graui per curua, per inuia cursans,
Accessit proprius sancto furiatile cornu,
Elataque manu pecudem consistere mandat;
Quæ stetit affixo minus improba buccula gressu;
Quem sacer instantem mox vidit; comminus, inquit,
Perge ferox, fuge sæue, redi male, cede cruente,
Innocuam pecudem desiste agitare nociue;
Tunc animalis enim linquit fera bellua tergum;
Et recipit proprium mitissima buccula sensum.
Sternitur ante pedes sancti, veneranter adorans;
Flexit & ipsa genu, quæ non habet intellectum,
Contra naturam discernens gesta beati;
Obsequiumque dedit, meriti quæ nescit honorem,

Inde

Inde magis humilis, quia libera colla gerebat.
Ante ligata tumens, à peste soluta reclinis;
Quæ stet ore fremens, cecidit post vincula supplex,
Et sine voce fauet armo iactata priore.
Tum sacer antistes pecudem præcepit abire;
Moxque gregem repetit pastoris voce reuincta
Id gestum est illo sub tempore, quando beati
Per medias flammas nec fimbria senserat * ignis,
De minimis etiam referantur maxima rerum.
Tempore nam quodam dum vicos ambulat almus,
Obuia venandi studio volat agmen equorum,
Nare sagace canum, fit præda, reperta frutetis:
Transiliunt campos equites & voce sequuntur:
Intendunt leporem fugitiuum agitare molossi,
Saltibus excussi, latratu & dente minaci,
Diffusi excurrunt celeres in amore rapinæ,
Alter in alterius miscent vestigia saltus,
Iste sequax tacitus, petit hic clamoribus auras;
Hic frutice in vacuo delusus odore rotatur,
Motibus arboreis saltu suspenditur alter,
Captu ex vnius cunctorum frendet hiatus;
Sæpe super leporem morsu deceptus inani,
Vnguibus iniectis dum præda volubilis exit;
Ac se turba premit sic lubrica * bestola fugit,
Non erat interea quo calle lepusculus iret,
Mons, vallis, petra, sylua frutex defecerat omnis,
Per patulos campos, fugienti tegmine nudo,
Poplite defecto, pede lasso, nare recliua,
Totus ab ore canis per singula murmura pendens,
Sensit adesse tamen Martini signa beati,
Flexit iter trepidus hirsutas fraude per herbas,
Auribus accliuis, vagus, exagitatus, anhelus,
Corruit ante pedes titubans lepus, aduena, supplex,
Si non voce potest, flatu pro voce precatur;
Sic fera parua iacet Martini tegmine tuta,
Et recubat dulci defensa sub arboris vmbra;
Tunc sacer ex solito miseratus more salubri,
Imperat vt catuli cessent, ab eunte, fugace,
At sacer ille canum mox sermo cucurrit in aures;

Canes ad illius imperium à lepore persequendo desistunt.

* bestiola.

Torpescunt habiles verbo figente Lyciscæ,
Gressibus instabiles pendentes saltibus ipsis,
Et rediere canes quasi per vestigia cancri;
Effugit incolumis per aperta lepusculus arua,
Et cane seposito tutus terit alta viator;
Hic fugit, ille redit, nullus perit; ecce salutem,
Sic quoque bestiolis pacem sacer intulit ipsis;
Debilitasque canum facta est pietatis imago,
Qui potius vetito didicerunt parcere morsu;
Dialog. li. II. cap. XI. Et quia defuerant homines, vbi mira facessit,
Nil de laude perit, miracula bestia sensit.
Sermo eius spiritali sale conditus. Quanta etiam sancti sermonis gratia fulsit,
Qui cum nuper ouem vidisset vellere tonsam,
Hæc Euangelii dicens mandata peregit:
Ouis euãgelica. Namque duas tunicas gestans, vnam obtulit insons:
Et nudata suo de tegmine texit egentem.
Adam eiectus de paradiso. Inspiciens itidem sanctus per rura subulcum,
Nudum pellicea tantum sub veste trementem,
Ecce Adam quondam paradisi sede repulsus:
Exul ab Elysio, pascit gregis ora suilli:
Deposito veteris Adam carnalis amictu,
Virginitatis, coniugii, & fornicationis discrimen in prati similitudine ostensum. Dialog. li. II. c. XII. Adam nempe noui nos induere instar oportet.
Hinc iterum cernens vernantia prata beatus,
Pars pastus, pars fossus erat, pars floreus agger.
Sed sue confossus, boue pastus, flore comatus,
Comparat ergo tribus sanctus tria nomina rebus:
Turpis adulterii species est fossa carectis:
Herbaque coniugii retinet detonsa figuram,
Est par virginibus violis quæ vernat imago,
Herbis luxurians, fœno apta, & flore decora,
Digna Deo, gemmis grata, & radiantior ostro.
Militem castrensi documento ab vxoris desiderio remouet. Miles autem monachum professus singula linquens,
Coniuge cum propria cuperet quia degere vitam,
Mutauit meliore via transcurrere metam,
Iure *sacerdotis monitor hoc ordine discens,
Belligeratori valeat ne fœmina iungi,
Sola aciem melius componit mascula virtus,
*sacerdotii. Debilior teneat murorum claustra caterua,
Et sexus fragilis sese intra septa recondat.

Hoc

Hoc satis vt mulier, timeat res ipsa timori,
Miles ad arma potens pergat galeatus in agmen,
Loricæ triplicis squama radiante coruscus,
Thoraca ex humeris, indutus, nixus in hasta:
Assuetus clypeo, transmittens vulnus ab arcu,
Hinc capulum vibrans, hinc torquens missile telum,
Ferratæ tunicæ riuos sub pondere sudans:
His dictis mulcens iuuenem resipiscere cogit,
Coniuge postposita & repetit heremita coronam.
Iugiter interea quia falsa, & sancta canebat,
Nec serie recipi, neque possunt scripta teneri.
Quæ nam vita sacri fuerit, quis singula curtat?
Quanta fides animi, quam celsa & pura voluntas,
Ad quem non solum homines longo orbe venirent,
Verum etiam cœlestis honor visebat amanter;
Angelicusque chorus properabat ad ora frequenter,
Colloquiis placidis, vt fessum animaret amicum,
Et quasi complexum recreet per verba parentem,
Res probat ista sequens quæ gesta priora renarrat.
Concilium allectum fuerat synodale Nemausum,
Quo sacer antistes mediator adesse recusat: Dialog. lib. II. c. 15.
Ergo ratem scandens celerem parat ire per amnem,
Cœtibus in mediis habitans eremita remotus:
Ipse in puppe sedens cunctos sua prora sequestrat,
Angelus ecce tamen Domini venit aliger alto,
Ipsa nempe die, qua se conuentus abegit: Acta synodi Nemausensis ab angelo discit.
Quicquid pontificis celebrabant, ordine narrans,
Pro vice Martini peragens synodalia præsens,
Atque sui cura longinqua per aera tranat:
Quem pendente via nec in aera penna fatigat,
Sed nata ala celer donec noua nuncia portet,
Quæ mandat Dominus nihil absconsurus amico,
Vtque * prius retulit sacer hæc post cuncta probauit, *retulit vt prius hæc. Dialog. II. c. 14. distinct. Victoris Gisel.
Nec frangunt prædicta fidem, neque prodita fallunt.
Accidit hinc demum foribus sedente Seuero,
Compare cum Gallo, doctis & amore ministris,
Murmure multiuago completur cella beati:
Ostia clausa tenens diei geminante sub hora,
Audiuere loqui, sed quid, nescire fatentur:

 Senserunt

Senserunt strepitum, neque verba loquacia norunt,
Pars fuit hæc meriti, vel sic sensisse superna.
Agnita si non sunt, satis est audita mereri.
Post sacer egrediens cellam maiore Seuero,
B. Mariæ Agnetis & Teclæ fruitur adspectu. Sulpitio poscente diu quæ gesta fuissent,
Vix motus precibus, tandem rem ex ordine pandit.
Indicat hic Agnem, Teclam, Mariamque locutam,
Sanctarum exponens vultus, habitumque beatus,
Quæ facies, oculi, gena, pes, manus, area, figura,
Lumine tam puro vidit sæpe ora sororum.
Quis color atque decus, quæ forma & gratia quanta,
Et sermone pari placidam dixisse salutem,
Hic petit ad fratres, illæ petiere sorores;
Sed redit iste gradu, illæ nam rediere volatu.
Petrum & Paulum apostolos sæpe videt. Culmen Apostolicum, celsas & honore columnas,
Sæpe Petrum meruit, Paulumque videre licenter,
Dæmonicas etiam tolerans sæpissimè pugnas,
Nomine quemque suo increpitans cogebat abire;
Maxime Mercurium infestum referebat adesse,
Brutum namq; Iouem, & hebetem memorabat haberi,
O sinceri oculi nulla caligine pressi,
Mens radiata sopho, retinens sine nube serenum;
Inspicis aeriam carnali lumine Teclam.
Atque vides Agnem redimita fronte corona.
Cernis & egregiam preciosa luce Mariam.
B. Virginis adspectus. Vidisti templum Domini diademate fultum,
Vidisti thalamum sponsi super omnia pulchri,
Compositum gemmis, auroque ostroque decorum;
Qualis iaspis erat pedibus laterique topazus.
Qui digitis anuli viridi fulgore venusti?
Quales armillæ, dextra ardescente hiacyntho?
Quanta zona die lapidum radiabat honore?
Cycladis aut qualis cataclistis effora rasis?
Quæ palla ex humeris mixto chrysophraso beryllis?
Quodve monile decens collo rutilabat in illo?
Forsan erat niueis amethystina vitta capillis
Sculptilis impressis, & in auribus alta sigillis;
Luminis ac varios spargens diadema virores;
Quæ frons, ora, oculi, facies, gena, pes, manus, vlna,

Inde repercussis florebant gramina gemmis.
Sic bone pastor oui quæ fabula vestra cucurrit.
Quid, rogo, quando Petrum ac Paulum tam sæpe videbas, — S. Petri & Pauli qualis apparitio.
Prima ministerii radiantia vasa superni,
Aurea pulchra nimis gemmata, venusta, corusca,
Illa putas quanto radiabant ora sereno?
Dogmata quæ Christi totum sparsere per orbem,
Quæ dixere prius: tu es Christus filius almi,
Altithronique Dei dominantis & omnipotentis,
Ac super hac petra fundata, eccesia regnat, — Ecclesia super petram fundata.
Quam nec flabra mouent; neque vertit turbo procellæ,
Nec trahit vndiuagam pluuialibus imber arenam,
Hæc quia viua tenet petra fundamenta salutis;
Contra quam portæ inferni nunquam arma valebunt.
Quid sacer ille simul Paulus tuba gentibus ampla?
Pro mare per terras Ghristi præconia fundens,
Europam atq; Asiam, Libyam sale, dogmate, complens;
Et quâ sol radiis tendit, stylus, ille cucurrit,
Arctos meridies, hinc plenus vesper & ortus:
Transit & Oceanum, vel qua facit insula portum;
Quasque Britannus habet terras, atque vltima Thyle,
Buccina concrepuit regiones vna per omnes;
Dogmate tantorum Christi data munera pangit,
Hæbreus, Græcus, Romanus, Barbarus, Indus
Israelita canit simul Atticus atque Quiritis;
Principibus geminis fidei sub principe Roma,
Carnis Apostolicæ quo sunt duo cella sepulchra.
Prima tenet terris, & vtrique priora supernis, — Passi & sepulti Romæ apostoli Petrus & Paulus.
Dogmatis ore pares, & sedis honore curiles;
Ambo triumphantes spargunt noua dona per orbem,
Vna nempe die quos passio sancta beauit,
Et sacra sic geminus signauit tempora consul:
Queis splendor paribus rutilabat ab ore coruscus,
Lucifer in radiis premeretur vultibus illis,
Quippe nec ipsa micat tantum rota fulgida solis.
O dulces oculi, facies cernendo beatas,
Vidistis Sion Speciosas ordine portas. — Psal. 86.
Vidistis Sion ternas quater ordine portas?
Quas amat omnipotens vltra omnia culmina Iacob,

Gemmarum vario redimitas lumine valuas,
Sculptas bractcolis, inſcriptas arte ſmaragdis,
Chryſolithis rutilas, niueas ſtillantibus albis;
Quicquid amor potuit, quo totum gratia fudit,
Omnicolorque decens & in omnibus vna topazus.
Per quas huic populi genus illud nobile regni,
Intrat ſydeream meritorum greſſibus vrbem,
Et ſine fine manent conſcripti in ſæcula ciues,
Inter quos proceres, & culmina celſa potentum,
Patriciis mixtus generoſis, conſulibuſque,
Proximus & regi reſides Martine ſenator.
Cui dedit arma fides, & cui fiducia rex eſt;
Miles amore cliens, & factus honore cohæres,
Qui potes ore mei veniam depoſce reatus:
Et vitiata tibi quod lingua remurmurat, audi.
Vt de fonte pio fluat indulgentia læſo,
Ac te orante ſacer redeat medicata cicatrix.

VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

DEINDE EPISCOPI PICTAVIENSIS DE VITA SANCTI MARTINI.

LIBER QVARTVS.


Ost mare fluctiuagum repetens ad littora portum,
Floribus albicomis dum lilia pollice carpo,
Vngue recido roſas & per violaria curro,
Ruris amœniferi varios ſitus inter odores,
Obripit inde ſopor; feſſus quoque colla reclino,
Fultaque gramineo iacuerunt membra grabato.
Sed redit, ecce, dies, & iam luceſcit, eundum eſt;
Dum matutino nos ore ſalutat hirundo,
Ac ſe nocte breui celerata crepuſcula rumpunt,
Quo torpore natent quamuis mea lumina, ſurgam;
Euigilanſque oculis detergam pollice ſomnum,

Et

Et quod iter repeti Gallus vocat, ibo sodales,
Fluctibus in trifidis ignarus nauta libellis,
Ac velut ambiguas inter Symplegadis vndas
Ionii Ægei, Maleique sequace procella;
Me tamen in bibulis ne mergeret Auster harenis,
Summa gubernauit Martini vita patroni,
Quam nitor scabridis indignus carpere verbis,
Rusticus, arte rudis, tentans formare monile,
Quod nec lima polit, nec malleus addit acumen,
Non incudo terit, fornaxque examinat igne,
Nec mordax gemino forceps trutinauit obunco.
Sed magis incomptum profert mea lingua metallum;
Res tamen illa iuuat sine qualibet vllius arte,
Quod per se pulchram præfert sua gratia gemmam,
Attamen officii quæ restant debita soluam,
Et cui magna nimis modo debeo, parua rependo.
Carnotis interea genitam pater anxius ægram,
Ex vtero mutam profert sacro ore medendam, Dialog. Sulp. lib. III. cap. 2.
Sex geminos grauiter hebetem sine voce per annos.
Nec differt Martinus opem pietatis amicam;
Sternitur ergo solo, tacitus prece sidera pulsans,
Corpore fusus humi, volitans super æthera sensu;
Sensit vt effectum fidei meruisse precatu,
Sanctificaturum ferri sibi poscit oliuum;
Infuditque ori benedictum fruge liuorem;
Atque tenens digito linguam miserando puellæ,
Ipse patris nomen geniale requirit alumnæ; Muta puella infuso oleo sanatur.
Mox resoluta mouet faucis lyra tinnula plectrum.
Atque insueta canit camerati concha palati,
Dente relisa cauo producens verba fritillo,
Respondit que patris nomen pia filia dulce.
Ventre prius genita, hic visa est quasi voce renata,
Reddit adulta vetus lactantes ore susurros,
Incipiens tenero proscindere verba rotatu;
Motu pigra rudi decurrens lingua gradatim,
Implicito sonitu rauca nouitate cicuta,
Donec plena suo cecinit symphonia flatu.
Tum genitor genua amplectens veneranda beati,
Vociferans & voce data, sua gaudia plorans.

Lætitiæ

Dialog.li. III. c.

Coniux Auitiani comitis oleum à B. Martino obtinet quod spõte exundat.

Lætitiæ voto reboat præconia Christo.
Iudicis inde feri coniux ægra Auitiani,
Dirigit ad sanctum morbi sperando medellam,
Vas olei vitreum lance æqua dimidiatum,
Vnde salutifero depelleret vnguine morbum;
Mox super ampullam fecit crucis ipse sigillum,
Surgit ad ora liquor spumansque exæstuat vnguen,
Vbertate noua vitrea sub cortice obortum,
Et vase in sicco generosus nascitur humor;
Currit in ascensum, qui vergere nouit ad imum,
Fluxibus & liquidis olei petit alueus altum,
Sed quem non genuit radix oleagina succum,
Nec* Syrabracha dedit merito virtutis adulto;
Crescit & ad summum patulo qua clauditur ore,
Nec contentus agit liquor, vt vas expleat illud,
Nam cumulata olei mox defluit vnda supernè,
Nec sese vrna capit; tanta est benedictio dextræ,
Exundansque omnes pueri madefecit amictus.
Et digiti de fonte rigans manauit oliuum.
Ac postquam irriguè fluuiali more cucurrit,
Vas plenum fidei merito matrona recepit.

*Syrabara

Vas olei vitreum lapsu non dissilit.

Nec minus inde subit rerum admiratio facti,
Idem vas vitreum benedictum nobile reddens,
Cum puer incautus posuisset in ore fenestræ,
Vtpote carbaseo venerans velamine tectum,
Lintea dum retrahit fluitantia nescius alter,
Lapsa pauimento ampulla stat marmore tenso,
Sed nec saxa vitrum perdunt, nec vasa liquorem:
Integra seruatur volitans quasi pensile pluma,
Aut subuecta leuis geminis descenderet alis;
Nullaque rima patet, nec facta in vase cicatrix.
Sic liquor interius facit exteriora tueri,
Et quem tutari decuit, sua tegmina, texit,
Ne vitra depereant, olei custodia seruat,
Inclususque humor proprium defendit amictum,
Ac fragmen fragile statuit benedictio forte.
Cuius discipuli pariter dum comminus irent,
Et canis horrificus latratu insisteret amplo;
Vnus amore pio Martini in nomine, dicit,

Dialog.III. c.4.

Præcipio

Præcipio, taceas; nec nos clamore fatiges;
Mox præcisa canis rabidi vox ore pependit,
Clamoremque vagum media de fauce resorbet:
Et fragor ille ferox auido sub gutture obhæsit,
Stans rictu stupido frenata voce molossus,
Cum furor vrgeret, quia se nec hiare liceret,
Sic redit incluso tremula sine voce susurro,
Profuit & nomen sancti quo defuit ore.

Canis Martini nomine compescitur à latratu.

Ergo iter incœptum lento pede pergere tendam,
Dum licet ire viam, dum me vocat aura salubris,
Et trahit hora dies vestigia tarda mouentem;
Moribus vt tumidus comes Auitianus agebat,
Terribili officio Toronos suffultus adiuit;
Agmina conueniunt, & longa catena reorum,
Accrescente coma quorum caro tota fluebat.
Et consumpta artum laxabat brachia ferrum,
Confecta macie vix declarante figuram,
Pœnarum genus ipse iubet plus more parari;
Deflentem videas populum spaciare per vrbem,
Indixitque nefas processu ad triste tribunal,
Vnde truces oculi spectarent membra cremari,
Comperit vt sanctus feralia iussa satagi,
Tempore sub noctis sæua ad prætoria tendit,
Et pietatis iter solus parat ire viator;
Peruenit vt senior gressu miseranter anhelo,
Sternitur ante fores per limina dira benignus,
Qua recubat iudex torpente sopore sepultus.
Angelus interea penetrat mox aliger aulam,
Intonat, & comiti dormitanti ore minaci:
Te sopor hic retinet Martinus stat foris, inquit,
Tu requie frueris, & sustinet ille labores:
Molliter ipse thoro, iacet ille in marmore diro:
Excutitur trepidus mox ex somno Auitianus,
Martinum exclamans, foribus recubare sacratum:
Imperat & famulis, reserent vt claustra beato,
Nec seruum Christi venerandum iniuria vexet,
Hinc famuli illudunt domino, crepitante cachinno,
Dicentes stupidi, se somnia vana videre:
Pro foribus nullum residere, vel esse, virorum.

Dialog. III. c. 5.

Auitianus Martini aduentu per somnũ ab angelis cognito reuocatur à feritate.

 Rursus

Rursus præcipiti premitur somno Auitianus:
Angelus inde virum violentior excitat vrgens:
Concutit & grauiter, ne cederet ipse sopori:
Territus hinc iudex, vltra neque credulus vlli,
Postpositis famulis celer ad sua limina pergit:
Atque ibi Martinum reperit seu senserat olim,
Tunc ferus alloquitur sanctum, his vocibus, vltro:
Quid Martine mihi facis hoc venerande sacerdos?
Non mecum æquali fateor certamine pugnas,
Absoluendo reos venis, & me verbere torques,
An me pro cunctis pœnas absoluere mauis,
Eligis aut facinus mea per tormenta pacisci?
Sub tortore nouo mutantur tempora cædis,
Pœna diurna reos cruciat, me nocte fatigas.
Serue Dei, patuit, quam sit tibi celsa potestas,
Quando flagellatur grauiter te iudice iudex.
Hinc tamen ipse probas, mecum sit qualiter actum:
Cum per me venio, nec amicum, nec rogo seruum:
Non patitur differre moras quem pœna coërcet:
Nil opus est verbis; tacito te, nosco quod optas:
Cede precor, discede loco, concede quod oro:
Nec tua me grauiter cito puniat vltio vindex,
Hæc ait: & propero pede discedente patrono,
Auitianus inops animi, vocat officiales:
Et reserare iubet, tormenta, ergastula, claustra,
Cumque relaxasset, procul ipse recessit ab vrbe,
Et grauis ira fugit, sibi fit timor ipse timori,
Ordine peruerso & pacem fuga iudicis auget,
Ac sine cæde lupum saluo grege pastor abegit.

Dialog. lib. III. c. 6. Energumeni eius aduentum præsentiũt.

Quique monasterio quotiens properaret ad vrbem,
Siue pedem cellæ foris aduenienao tulisset,
Agmina laruarum trepidabant ore rotatu,
Et cum nescirent populi aduentare patronum,
Designabatur gemitu quoque dæmoniorum:
Propitiante sacro pendentia membra videres,
In sublime procul sublata per aera duci:
Ast alios, pedibus superactis, vertit in altum,
Et caput inferius veluti de nube ruentes,
Ne tamen his vestes fluerent, verecunda tegentes,

Crimina vel merita edentes sub iudice missi,
Et sua præcipites examine facta fatentes:
Ille Iouem stolidum, hic se * fateatur Anubem,
Vasa ministerij se dæmonis esse nefandi:
Sed tortore pio feritas cruciata fugatur,
Nunc etiam Senonum pago quid gesserit, edam.
Cum compacta gelu premeret sata grando quotannis,
Cultoremque seges defraudaretur inanis,
Nec messoris opus flauescens spica rogaret,
Agricolæque manum tritura vetaret adempta,
Incola maturis totiens deceptus aristis,
Cum ieiuna suo torperent iugera sulco,
Ac lapidata cibum populis seges ægra negaret,
Mittitur ad sanctum legatio fida precatu,
Vt remoueret humo furibunda procella flagellum,
Celsa viri quæ mox oratio sola peregit.
Nam statim atque preces fudit bonus ore sacerdos,
Tempestate graues siccarunt nubila nimbos;
Et viduæ segetes se fertilitate maritant.
Quæque quater quinos per quos super extitit annos,
Intemerata sacri viguerunt dona patroni.
Vir tamen ipse Dei vt sublatus ad astra recessit,
Oblitæ incubuit rediuiua procella rapinæ,
Præsule subducto vastat fera clades agellum,
Ac male captiuas imber populatur aristas,
Defensorque obit & mox prædam grando requirit,
Martini abscessu repetunt elementa flagellum.
Vir quoque iustus item cum occurreret Auitiano.
Aspicit instantem huic sæui dæmonis vmbram,
Horrificam faciem truculentam corpore pestem,
Quam procul intendens sanctus flatu oris abegit:
Iudex dum in seipsum putat exuflasse beatum,
Cur bone pastor, ait, tua nos iniuria vexat,
Indignosque facit despectio flatilis auræ?
Quem pater egregius responso affatur amico.
Hæc tibi non facimus probrosi forte reatus,
Sed male quæ incubuit ceruici, flauimus vmbræ,
Mox tamen illa fugit subsellia larua satelles,
Et ceruice sedens in vasa sedilia liquit,

* fatebatur. dialog. lib. III. c. 7.

Agrum grandine annali vexatum cōseruat.

Dialog. lib. III. c. 8.

Dæmonē Auitiani comitis familiarem exsufflando fugat.

Libertate noua ſurgunt colla Auitiani.
Exoneratus enim iudex reuocatur honori,
Mitior, atque fuit grauis implacabilis olim.

Dialog: lib.III.c.9.

Mirum aliud vico quod contigit Ambatienſi,
Idola turrito fuerant educta metallo,
Eximiè ſaxis moles onerata politis,
In ſublime thronum procedens æde ſuperba,
Falſa ſuperſtitio, deceptio vera precantum,
Grande opus ad facinus faciens nihil eſſe colentes;
Quod dum ſanctus ouans mandaſſet rite ruendam,
Humanis opibus neque hos auelleret vllus,
Tum ſacer antiſtes aſſueta per arma recurrens,
Peruigil inſiſtens nocturnis excubat horis,
Alloquiis Domini taciturna ſilentia rumpens.
Sed cum mane recens auroram ſpargeret orbi,
Tenderet & croceum per nubila Phœbus amictum,
Ecce repens oritur variante fragore procella,
Stridula ſydereo volitatu & multa tumultu;
Auxiliis fremebunda tuis Martine ſatâgens,
Et tua caſtra mouens armata ferocibus auſtris,
Quæ fanum vt tetegit rapidæ vertiginis ictu,
Impulit ac fabricam furibundo impacta rotatu;
Idola comminuit, molemque in puluere ſoluit;
Altaque turrigero ceciderunt mœnia faſtu.
O ſacer antiſtes, dulce, & memorabile nomen,
Quis ſe non ſubdat tibi, pro quo & nubila pugnant?

Moles ingens idolis ſacra ſubuertitur oratione Martini.

Hæc quoque mira loquar parili virtute peracta.
Stabat celſa rigens informis forma columnæ,
Immanis habitu, tractu inſuperabilis amplo;
Quæ ſuperimpoſitum ſimulachrum hoſtile gerebat,
Quam pius vt voluit, valuit neque ſoluere molem,
Rurſus ad orandi victricia ſigna cucurrit,
Belliger eliciens ad ſe arma potentia cœlis.
Stratus humo recubans, precibus ſuper aſtra relatus,
Quo exorante diu, multoque in puluere fuſo,
Cœlitus eſt oculis deſcendere viſa columna,
Molliter aerio diſulcans nubila lapſu,
Quæ molem oppoſitam vt vibrato perculit ictu,
Fragmine diſſiluit compago ſoluta columnæ;

Dialog.III. c.10.

Columnā profanam diruit.

Laxa-

Saxaque disperso fregit simulachra metallo;
Et mentita nouo feriuntur numina telo,
Falsa quidem veram sumentia numinis iram.
Quæ subuersa suis genuerunt lucra ruinis
Ac resoluta feris creuerunt templa fauillis.
Pandere quin etiam decet illud honore beati: Dialog. III c. II.
Pallida cum mulier stillante rubore cruoris,
Cuius se irriguo siccarunt viscera fluxu,
Naufraga membra trahens secum vaga sanguinis vnda,
Tempestate suæ pluuiæ defessa laborans,
Ipsa sibi generans secreti turbinis imbres,
Fluctibus & propriis iam submersura ruebat,
Nec super vllus erat portus sibi norma salutis;
Cui semel vt tacta est benedicti fimbria fili, Mulier sanguinis pro fluuio caret per vestis attactum.
Nobilis ac summi palpantur stamina panni,
Exilit inde salus digitos prius vnguine complens,
Transit in arcanum fiducia tanta medellæ;
Protinus irrigui siccatur origo fluenti;
Prona etiam patulos damnantur fistula cursus,
Et restricta fluens redit insonti vnda cruoris,
Assidui fluxus fugiens caua vena meatus,
Veste sacra medici solidantur glutine riui,
Et virtute viri senserunt frena liquores,
Incolumisque redit de furto fœmina fœlix,
Atque salutis opem medico ignorante resumpsit,
O Martine sacer, nescis, & munera donas.
Inde procul gressum celerans antistes abibat, Dialog. III. c. 12.
Obuius ecce venit serpens adnando per amnem,
Pectoris impulsu sulcans vaga remige cauda,
Squammea terga mouens, spiris vada cærula findens; Serpens ei paret.
Quem sacer inspiciens, ait, hæc in nomine Christi,
Impero dira tibi, pete cursum bestia retro,
Quæ procul in fluuium sinuamina lenta reflexit,
Atque retorsit iter mox sarcina tanta veneni,
Inde petit bibulas ripæ vlterioris arenas,
Gurgite lapsa natans, totasque renauigat vndas,
Obsequiis famulans, & vipera perdidit iras,
Imperiis iusti nec iniqua venena repugnant.
Forte dies aderant paschalia festa gerentes, Dialog. III. c. 13.

In quibus antistes partem quoque piscis edebat.
Addebatque bonus tum fercula reptile gustu,
Sollicitat monachos si copia piscis adesset,
Respondit, cui cura foret commissa minister,
Se toto piscante die captura negasse.
Nil valuisse hamum setis ab arundine iactum.
Nec potuisse aliquam vel retia ducere prædam;
Cui constanter ait, placido moderamine pastor,
Perge modo ad fluuium, tibi nec captura negatur.
Artificem spes certa mouet, petit impiger amnem,
Implentur pariter monachorum examine ripæ,
Vt sacra Martini spectarent dicta prophetæ,
Quem scirent non cassa loqui, neque verba refelli;
Proiicit vt fluuio cassem de puppe magister,
Molliter ac vitreo Ligeri trahit humida lina,
Mox ingentem esocem modico sub rete coercet;
Et trahitur cognatus aquis ad littora piscis,
Non rete artificis, sed Martini ore ligatus,
Vsibus & sancti se præda natatilis offert,
Tali morte magis vitæ pro munere currens.

Martini iussu piscatio succedit.

Nobile quin etiam ex præfecto Arborius effert,
Signum, quod vidit se teste fidelis in vrbe,
Immaculata Deo cum dona imponeret aræ,
Et pater attonitus ceremonia diua sacraret,
Munera vel Christi benediceret ore sacerdos,
Imposita altari rata corporis atque cruoris,
Emicuit subito manus alma decore superbo,
Nobilium vario lapidum splendore coruscans
Vndique visa rotę spargens radiatile lumen,
Brachia purpureis vibrantia fulgura gemmis,
Lumen & ad solis radians lux fulua metallis,
Credula quo potius fierent miracula rerum;
Vir simul ipse potens se tunc Arborius inquit,
Gemmarum grauium crepitantem audisse fragorem;
Sic geminante fide iusti via dextera fulsit,
Inque loco manicæ micuit translata smaragdus.
O Martine decens lapidum velamine compte,
Quam noua palla tibi cuius textura coruscans,
Trama topazus erat rutilans, & stamen iaspis,

Dialog. III. c. 14.

Manus sacrificantis cernitur nobilibus ornata gemmis.

Et tu-

Et tunicæ insignes currunt pro vellere gemmæ,
Quæ manus artificis cataclistica fila rotauit?
Quis fuit hic opifex, vbi lana hyacintina currit?
Quis potuit rigidas torquere ad licia gemmas?
Hæ venerando magis poterunt, quam fando referri.
Quid secreta petis nec in abdita luminis intras?
Est homo quod stupeas, vbi nectit gratia telas.
Historiæ nobis oritur hic longior ordo,
Sed breuiore via data per compendia curram.
Maximus imperij moderans quasi rector habenas,
Præcipit Itachium tum armorum iure tueri;
Ne quis eum peteret damnandum lege forensi,
Accusatorem veterati Prisciliani;
Mittit ad Hispanos armata sorte tribunos,
Relliquias heresis, qui quærant, & bona tollant,
Inuentosque pares capitali crimine damnent;
Sic tamen, vt cunctos occasio sæua feriret.
pluribus ergo malis bonitas impulsa beati,
Leucadio pariter pro præside prompta precatrix,
Occurrit Treuiros aliis quoque mota querelis,
Pontifices adeunt prædicti principis aures,
Ne Martinus eat, synodi nisi pace recepta,
Sed sacer asseruit Christi se in pace manere,
Qua prius abstinuit sanctus sic cœtibus illis.
Pontifices iterum occurrunt ad Cæsaris aulam,
Cogat vt innocuum se participare nociuis.
Prouocat alloquio quem molliter induperator,
Vt sociaretur reliquis communio iusti;
His Theonistum etenim solum desciſſe querelis,
Cui non complacuit communio noxia fratrum,
Hinc quia non valuit flecti vehementia sancti,
Abripit ex oculis se principis alta potestas,
Mox percussores gladio minitante relaxat,
Qui semel offensos iaculo figente trucident,
Comperit vt sanctus reserandæ fraudis amictum,
Pollicitus regis se participare ministris;
Et pietate calens, deponit amore rigorem;
Mens rea cuius abest par fit communio culpæ.
Hinc se proripiens propere Martinus abegit,

Dialog. m.c. 35.

Martinus Treuirim adit. Maximum exoraturus in caussa Leucadij præsidis. Synodo inuoluitur, quæ sanguinis caussam inconsultè tractat.

Æstuat

Æstuat interea gradiens, grauis anxius augens,
Martinum pœnitet communionis initæ cum scelestioribus episcopis. Cur vel ad horale spatium consensit iniquis.
Inde iter emensum per vasta silentia ducens,
Progressis sociis ibi se Andethanna propinquat.
Ecce viro insigni sacer obuius angelus adstat,
Præsenti alloquio confessus publice vultus,
Atque reuelata facie sic comminus infit;
Quam merito Martine loco compungeris isto,
Angelus mœrentē solatur: Nec properas exire aliter nisi iussa facessis,
Inter vtrunque nefas mercatus acerba doloris;
Nunc age constanter repara virtutis honorem,
Et tibi te reuoca trepidum, ne noxia frangant;
Gloria ne pereat, neu prospera lubrica perdant,
Vtere more tuo te deinde redisse magister,
Fortis athletæ animos casus non obruit vnus,
Acrius insequitur hostem manus icta dolore;
Plagaque fixa solet mentes armare viriles;
* de vulnere. Atque pudore recens crescit* diro vlcere virtus,
Ac datur armigero victoria vulnere crebro,
Fraterno alloquio sic angelus explicat ore,
Et vice germani monitis animauit amantem.
Tanta est cura Dei Martinum auellere lapsu,
Vlterius synodo nec se permiscuit insons,
Virtutisque suæ damnis noua lucra parauit.
Dialog. lib. III. c. 16. Res probat ipsa tamen sacro venerabilis actu,
* pseudothyrum. Namque ad * pseudoforum cellæ dum accederet æger,
Energumenum curat. Quem male vexabat nimium fera dæmonis ira,
Ingenioque graui torquebat iniquior vmbra,
Ante monasterij qua limina tangeret almi,
Martini faciem refugit ferus hospitis hostis,
Et benedicta viri terror fuit ora videri,
Non sufferre valens res obscurissima lumen,
Nec vaga constantem fugit infida corde fidelem,
Sæua bonum, furiosa pium, truculenta benignum,
Sic quoque nigranti retinetur ianua lucis,
Hæc medicina sacri satis vnica, cuius opimum,
Hospitium vidisse fuit, meruisse salutem;
Sanctus in æde latet, foris exit origo medelæ,
Et cura ante datur, medici quam forma videtur.

Nec

Nec satis est mirum dederit quid corpore præsens,
Nomine sub cuius sparguntur dona per orbem,
Nauita cum quidam Tyrrenum curreret æquor,
Fert iter ad Romam * quod velificante volatu,
Turbinis impatiens oritur violentia venti,
Exiliunt fluctus, feriunt caua vela rudentes,
Nutat pinus iners, rapiuntur signa Ceruchis,
* Læuis & antennæ coeuntia cornua frendent;
Artis inops stupidus resilit de puppe magister,
Stant vndæ, armatura cadit, fragor æquoris vrget,
Prora bibit, dum nauta vomit; perit ars, iacet vsus;
Spes fugit, ira premit, rapitur lux, morsque minatur;
Casibus in dubiis certi vergente salute,
Dum trepidant omnes, Ægyptius hæc ait vnus,
Qui nec dum Christi charismata senserat exors,
Martini Deus eripe nos; mox dira procella,
Corruit, & pelagi tumor altus ad ima resedit.
Sternitur vnda rati, liquidi stetit area campi.
Atque immota loci iacuerunt murmura ponti,
Gurgitis optati trabe curritur æquor amicum,
Littoris ora legunt flabris data vota secundis;
Atque petens portum, vada, complet nauta celeuma;
Sic bene pro meritis famulo dat Christus honores,
Cuius eunte fide, terras, mare, sidera supplet.

Dialog. I. III. c. 17.

* qui.

Ad nominis Martini inuocationem sedata tempestas.

* Lenis.

Pangere gesta libet reliquo veneranda relatu,
Indolis à patribus generose Lycontius olim,
Clarus honore, fide locuples, ab origine currens,
Cumque domum propriam lues exitialis adisset,
Cunctaque tabifluus penetrasset acumine morbus,
Quo miserabilium famulorum siue clientum,
Vna strages erat diuisa per vlcera languens,
Dicere quo posses prostrata cadauera telis,
Res extrema etenim nil nobilitatis honorat,
Præsidij spes sola manet Martinus in orbe.
Mittitur ad sanctum veneranter epistola cursu,
Auxilium rogitans, hoc corde, hoc flagitat ore;
Ni cito subueniat, rapit omnia pestis acerba,
Per spatium ferale trahens in tartara cunctos
Et grassata diu quid agant contagia * perdunt;

Dialog. III. c. 18. Lycontii ex vicariis domus, lue vexata.

* produnt.

Qui potes affer opem pendenti in morte cateruæ,
Desperata salus solatia fida requirit;
Quæ prius vt sensit diuino illata flagello,
Sed nec posse timet facili exorare precatu,
Attamen excipiens votum miserantis amici,
Septem nempe dies, totidem sub sydere noctes,
Peruigil incubuit ieiunia nulla relaxans,
Continuata trahens per tempora multa precatus,
Nec prius absistit, nisi supplicis illa Lyconti
Vota recepta daret, domuique medella rediret,
Et rediuiua salus fugitiuum expelleret vlcus,
Qui tamen vt didicit sancti obtinuisse laborem;
Aduolat, & grates deuoto corde rependit,
Exceptaque domo sua gaudia munere pensat,
Pro merito fidei donum vice centurionis
Israeli Dominus quem prætulit ore potenti,
Et prius hausit opem genitæ, quam intraret in ædem;
Denique sancto offert argenti pondera magna,
Ter tricena decem super addita merce patroni;
Addit & has voces recreato pectore supplex;
Quid tibi celse pater vitæ pro munere soluam?
Cum pretio non possit emi hæc lux, neque vendi:
Vnius aut animæ mercari vita valebit.
Cum vero illa meæ domui lues vna noceret,
Nec superesset opis reliquum quod redderet vllum;
Præsidio ecce tuo mihi nempe tot agmina viuunt,
Sexus & ætatis numerosa caterua meorum;
Cum stupeam solidę reuocata cadauera vitæ,
Et quibus obsequerer morientibus, ecce ministrant;
Nam statim vt tua vox penetralis ad astra volauit,
Et visa est meritis curuare cacumina cœli,
Quo vicina tibi fierent oracula Christi,
Expositæque preces ante ora fuere tonantis;
Ac recitata fuit pia vox dominantis in aurem,
Mox bonitas indulsit ope præsente medellam,
Corpora deseruit membratim tabida clades,
Qui potuere mori subitæ rediere saluti,
Et viguerunt spe, pede, viscere, lumine, voce;
Ac languor moritur viuenti in carne sepultus,

Orationibus S. Martini accipit incolumitatē.

Lycontius centum libras argēti offert B. Martino.

Vndæ

Vnde pater modicum pro viuis sume tributum,
Fœnore vel minimo tolerans dum debita soluo;
Sed neque suscepit, neque repulit ille quod offert,
Ante monasterij sed quam bene limen adiret,
Captiuis tribui redimendis pondera iussit,
Sic vno ex casu fert dona gemella beatus,
His libertatem dedit illis vnde salutem,
Vt modo captiuis duris laxantia pœnis,
Ac concordi animo cecinerunt gaudia plausu,
Hoc idem est mirum, niteant si verba relatu,
Occurrit cellæ cum quidam è fratribus algens,
Carbone iniecto ardebat fornacula sancti,
Consider ergo celer rapiens quasi lucra vaporis,
Inguine nudato, pede iacto, poplite panso,
Vir sacer inclusus de cella protinus inquit,
Quis foris incestat nudus habitacula nostra,
Corpore detecto, puro genu, & inguine nudo?
Quid fuit hoc, docti vos dicite, quæso sophistæ,
Martini ante oculos paries quasi lintea luci,
Aut quasi filo agiles contexit aranea telas,
Retia vel nexis per rara foramina filis?
Vnde hic tam tenuis structura patescit hiulca,
An se laxa leuant, aut reddunt scissa fenestram?
Seu duri lapides lento se glutine soluunt,
An casa materiæ vitreo se margine pandit?
An speculare dedit quo sanctus lumine transit?
An leuior paries reuoluto cessit in arcu?
Et stetit incolumis rapido suspensus in ictu?
Nobilis aut acies oculorum & marmora transit,
Clarior ac visus per cuncta obstacula pergit?
Penniger an clausi volitauit ad ora minister,
Ac per opertum aperit, & in inuia nuncius intrat?
An quia lumen erat totum foris, intus habebat?
Carne sedente, loco velox an spiritus ibat?
Pandite doctiloqui, comprehendite clausa diserti,
Qui numeris atomis, ratione, potestis & ore;
Hic fugit ars oculos, nisi Christum nulla videtis,
Quanta Dei virtus, Martini est gratia quanta,
Hac ope mirificus homo complet quod homo nescit,

Quas libras captiuis redimẽdis assignat.

Dialog. III. c. 19.

Nudatum casu, parte tegenda corporis, in spiritu deprehendit.

quid. Explicat hac, fidei merito quod & obstet origo.
Dialog. III.c.20. Quod superest etiam memoretur honore patroni,
Consummanda suo properat quia pagina textu:
Forte sacer residens per dura sedilia ligno,
Prospicit hinc claras pendenti rupe gemellas,
Dæmones cernit Brictionem æmulum in se concitantes. Tegmine pullatas, tristi terrore sonoras,
Fraude laborantes, iaculantes spicula fellis
Nequitiæ artifices rebus grauia arma sinistris,
Voce venenata verba hæc anguina rotabant,
Quid valet ira tumens, eia te Brictio monstres,
Hoc iterum repetunt, donec male Brictio motus,
Irruptis foribus sancto conuicia vergit,
Iurgia multa mouens turbata mente satelles,
Se meriti melioris ouans, quam sanctus haberet.
Sic gestu rabidus, neque se agnoscebat amarus,
Vitæ gesta suæ temerarius arbiter inflans,
Intolerabilium per inania bombica iactans,
Vento motus iners simulans foliatilis vmbræ,
Excussa ceruice rigens leuitate rebellis,
Exagitans animum, pede iacto, pectore tenso,
Irrationalis tumido gliscente cothurno,
Nec se mente capax, sensu spaciante vacillans,
Inque sacerdotem truculenter acerba redundans.
Sed quid in abiectum Martinum hæc turbida voluit?
Quid humili, placido, tam dira, superba minatur?
Cur animæ nimium dulci tot amara ministrat?
Non decet hæc audire pium, neque ferre benignum.
Errant hi grauiter qui melli absynthia miscent.
Martinus patienter fert obiurgatoris insaniam. Ille tamen pietate calens nihil intulit hosti,
Excipit iratum placatus amanter amarum;
Oblectans rapidum, & per mollia famina mulcens,
Et nescit non esse pater sine felle vel hosti:
Qui tamen exorante viro, laruisque fugatis,
Dum redit ad mentem furiosus Brictio pridem,
Pontifici occurrit voto, prece, corpore supplex
Sed bonitate pij celer indulgentia flexit.
Non apud hunc opus esse diu lachrymando rogari,
Aut prece multiplici veniam sperare nocenti;
Qui magis expetiit culpas donare reatus,

Credi-

Credidit & damnum, quicquid non præstitit vltro,
Hæc sua lucra putans dimittere debita noxæ,
Obuius occurrens quærenti munera pacis,
Irasci nulli cupiens, ignoscere cunctis,
Fœdera sola ligans celer, & delicta relaxans,
Effugiens, ne quando sibi daret vltio damnum.
Rem pietatis agens; satis est clementia vindex,
Quæ pia dona metens fieri non indiget vltrix,
Omnibus iuncta bonis, cui dos, & gloria pax est,
Vir tamen ipse sacer pietatis ab agmine miles,
Fœdera semper amans, & pacis in arma triumphans,
Supplicis ac vocem miserantia viscera laxat,
Inque sinu veniæ trepidum mulcendo reduxit,
Atque reum solita patria pietate recepit.
Hæc tua dulcis erant holocausta, sacraria, templa,
Hæc tibi diuitiæ, thesauri, regna, talenta, Martini laudes.
Flos, odor, esca, sapor, mera, cinnama, balsama, thura,
Hæc sacer omnis erat, hæc tota, hæc vnica cura.
Christum corde pio, Christum meditarier actu,
Reddere nulle vicem, misereri & parcere culpæ,
Criminis indultor, veniæ memor, ara reorum.
Spes miserabilium, fuga laruarum, arma sequentum,
Præda catenarum, errantum via, cura medentum,
Omnibus vna salus, amor omnibus, vnus amator,
Quis tibi digna loqui valeat, quem mundus honorat?
Quid pie vir satis est, cui laudis debitor orbis?
Quæque referre volens neque totus id explicat axis.
Iugiter amplexu Christum corde, ore, retentans,
Nec sine te patiens dominum discedere quoquam,
Tecum semper habens vinctum pietate tonantem,
Astrictus precibus neque se soluebat amator,
Cuius amica fides tantum sibi contulit arcis,
Vt solem radiis, & lunam cursibus æques,
Qui splendore nitens pulcher, quasi lucifer axis,
Ac fulgore Dei vir fulgidus ipse coruscas,
Tegmine vir niueus, miro diademate fuluus;
Supplicis ergo memor, famuli exauditor opime, Precatio ad B. Martinum.
Fortunati inopis trepidi sibi sorte reatus,
Morbida cui rabie circum sua crimina latrant,

Et fera delicti penetraliter vlcera mordent.
Intercede, precor, veniam, vir adepte coronam
Eripe pastor ouem, ne clauda vel extera restet;
Porrige celse manum, rege gressum, dirige sensum,
Excessusque graues leuiori examine penses;
Ac potius pietas diues miserando precetur,
Mitis & exortes placident fomenta medelę,
Inter & ipse deum atque reum mediator adesto,
Defixis genibus, tensis ad sydera palmis,
Vocibus inclusis, animis penetrantibus auras
Obtineas meritis, iudex cum venerit orbis,
Tu quoque iussus eris dextro residere sedili,
Arbiter in populos, tribuum pauor ante tribunal:
Qualiter effugiam flamma stridente caminum?
Tunc precor vt fragilem sacro velamine celes,
Et tua me trepidum defendat ab igne lacerna.
Nam scio posse reum quemuis tibi cedere Christum,
Quem sociat proprio mansura in sæcula regno;
Sis precor in domino famuli memor alme per ipsum,
Cuius erit tibimet lumen sine fine videndum,
Da veniam dulcis, pie, blande, benigne patrone,
Condere dum volui, quia læsi carmine flores.
Sed tua laus nullo breuiabitur ampla relatu,
Quam Deus in terris, pariterque tetendit & astris,
Pone libelle modum tepido verecunde relatu,
Multiplices faciens diffuso stamine rugas,
Nec bene fila ligans, nodo subit aspera tela,
Hispida cameli rigido quasi vellere texta,
Serica cum decuit Martini pallia duci,
Aut prætexta micans, auro sub tortile necti,
Vel toga permixtis hyacintina curreret albis,
Pingere seu variam rosa, lilia, gemma coronam,
Marcida lingua tacet, veniam tibi posce libelle;
Contentus tantum, Turonum pete mœnia supplex,
Qua Martinus habet veneranda sepulchra sacerdos,
Cuius honor tumuli faciat sua rura tueri;
Qui pietatis opem tribuat, nam largus vbique,
Scit nil esse meum, sua sed sibi dona recurrunt;
Sic tamen vrgebis, vt adhuc temerarius intres,

Mediatorem S. Martinum esse sibi postulat.

Ad libellum prosopopæa.

Inde

Inde Parasiacam placidè properabis ad arcem;
Quam modo Germanus regit & Dionysius olim,
Si pede progrederis, venerato sepulchra Remedi,
Atque pij fratris complectere templa Medardi
Si tibi barbaricos conceditur ire per amnes,
Vt placidè Rhenum transcendere possis & Histrum,
Pergis ad Augustam, quam Vindo, Lycusque fluentant,
Illic ossa sacræ venerabere martyris Afræ,
Si vacat ire viam, neque te Baioarius obstat,
Qua vicina sedent Breonum loca, perge per Alpem,
Ingrediens rapido qua gurgite voluitur Oenus,
Inde Valentini benedicti templa require,
Norica rura petens vbi Byrrus vertitur vndis;
Per Drauum itur iter, qua se castella supinant,
Hic montana sedens in colle superbit * Aguntus, *Abuntus.
Hinc pete rapte vias, vbi Iulia tenditur alpes,
Altius assurgens, & mons in nubila pergit,
Inde Foro iuli de nomine principis exi.
Per rupes Osope tuas qua labitur vndis,
Et super instat aquis Renuatilia montis,
Hinc Venetum saltus campestria perge per arua;
Sub montana quidem castella per ardua tendens
Aut Aquileiensem si fortasse accesseris vrbem,
Cantianos domini nimium venereris amicos,
Ac Fortunati benedictam martyris vrnam.
Pontificemque pium Paulum cupienter adoras: S. Fortunatus.
Qui me primæuis conuerti optabat ab annis, Paulus episcopus.
Si petis illud iter, qua se Concordia cingit, Felix Taruisanus.
Augustinus adest pretiosus, Basiliusque;
Qua mea Taruisus residet, si molliter intras,
Illustrem socium Fœlicem quæso require,
Cui mecum lumen Martinus reddidit olim,
Per * Cenetam gradiens & amicos Duplauenenses, * Cenedã
Qua natale solum est mihi, sanguine, sede, parentum,
Prolis origo patrum, frater, soror, ordo, nepotum;
Quos colo corde, fide, breuiter, peto, redde salutem.
Si Patauina tibi pateat via, pergis ad vrbem;
Hic sacra Iustinæ rogo lambe sepulchra beatæ, S. Iustina.
Cuius habet paries Martini gesta figuris.

Quoue.

Quoue salutis opus celso depende Ioanni,
Atque suis genitis sociis per carmina nostris
* Retinone. Hic tibi Brinta fluens, iter est Retenone secundo,
Ingrediens Athesim Padus excipit; inde phaselo,
Mobilis vnde tibi rapitur ratis amne citato;
Rauennatum S. patroni. Inde Rauennatum placitam pete dulcius vrbem,
Pulpita sanctorum per religiosa recurrens,
Martyris egregij tumulum Vitalis adora,
Mitis & Vrcisini, Pauli sub sorte, beati,
Rursus Apollinaris pretiosi limina lambe,
Fusus humi supplex, & templa per omnia curre.
*Expete. * Et pete Martini loculum, quo iure sacelli,
Iam desperatum lumen mihi reddidit auctor,
Munera qui tribuit, saltem, rogo, verba repende.
SS. Pauli & Ioannis basilica Rauennæ in qua miraculo sanatus Venantius. Est vbi basilicæ culmen Pauli atque Ioannis,
Hic paries retinet sancti sub imagine formam.
Amplectenda ipso dulci pictura colore;
Sub pedibus iusti paries hebet arte fenestram,
Lychnus adest, cuius vitrea natat ignis in vrna,
Huc ego dum propero, valido torquente dolore,
* fenestrę. Diffugiente gemens oculorum luce * fenestris,
Quo procul vt tetigi benedicto lumen oliuo,
Igneus ille vapor marcenti fronte recessit,
Et præsens medicos blando fugat vnguine morbos,
Non oblita mihi mea lumina munera sancti.
Nam redit ante oculos oculorum cura fidelis,
Et memor illud ero, dum luce, & corpore consto.
Promptius affectu, precor, inde require sodales,
Si sociis loqueris, veniam pietate mereris,
Porrigo materiam quibus hanc ego, vt ore rotundo,
Martini gestis florentia carmina pangant;
Et claro ingenio texant spargenda per ortum.
Vir radians meritis licet ille, nec indiget istis,
Gratia cuius ouans, ac fama iter occupat orbis,
Arua capax, pelagus intrans, super astra coruscans,
Distribuens miras populis pro stipe medelas,
Qui Domino famulando suo capit omnia dono,
Et quo Christus habet nomen, Martinus honorem.

VENAN-



VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI PRESBYTERI ITALICI.

LIBELLI SINGVLARES.

De excidio Thuringiæ ex persona Rhadegundis.

LIBER.



CONDITIO belli tristis, sors inuida rerum
Quam subito lapsu regna superba cadunt.
Aula palatino quæ floruit antea cultu,
Hanc modo pro cameris mœsta fauilla tegit.
Quæ steterant longo felicia culmina tractu,
Victa sub ingenti clade cremata iacent.
Ardua quæ rutilo nituere ornata metallo,
Pallidus oppressit fulgida tecta cinis:
Missa sub hostili domino captiua potestas,
Decidit in humili gloria celsa loco.
Stans ætate pari famulorum turba nitentum
Funereo sordet puluere functa die.
Clara ministrorum stipata corona potentum,
Nulla sepulchra tenens mortis honore caret.
Flammiuomum vincens rutilans in * curribus aurum
Strata solo recubat lacticolor * amati.
Heu male texerunt inhumata cadauera campum

Status euersi Thuringici regni & prosapiæ regalis interitus.

* crinibus
* amethys id est à-

Vu Totaque

methyſtis. Totaque ſic vno gens iacet in tumulo.

Clades vniuerſæ gentis Thuringicæ.

Non iam ſola ſuas lamentet Troia ruinas,
Pertulit & cædes terra Toringa pares.
Hinc rapitur laceris matrona reuincta capillis,
Nec laribus potuit dicere triſte vale.
Oſcula non licuit captiuo infigere poſti,
Nec ſibi viſuris ora referre locis.
Nuda maritalem calcauit planta cruorem,
Blandaque tranſibat fratre iacente ſoror.
Raptus ab amplexu matris puer ore pependit,
Funereas planctu nec dedit vllus aquas.
Sorte graui minus eſt nati ſic perdere vitam,
Perdidit & lacrymas mater anhela pias.

Rhadegūdis proſapia.

Non æquare queo vel barbara fæmina fletu
Cunctaque guttarum mæſta natare lacu.
Quiſque ſuos habuit fletus, ego ſola, ſed omnis
Eſt mihi priuatæ publicus ille dolor.
Conſuluit fortuna viris quas perculit hoſtis,
Vt flerem cunctis vna ſuperſtes ago.
Nec ſolum extinctos cogor lugere propinquos,
Hos quoque quos retinet vita beata fleo.
Sæpe ſub humecto conlidens lumina vultu,
Murmura clauſa latent nec mea cura tacet.

Hamalefredi nepotis accēditur deſiderio.

Specto libens aliquam ſi nuntiet aura ſalutem,
Nullaque de cunctis vmbra parentis adeſt.
Cuius in aſpectu tenero ſolabar amore
Soluit ab amplexu ſors inimica meo.
An quod in abſenti te nec mea cura remordet?
Affectum dulcem cladis amara tulit.
Vel memor eſto tuis primæuis qualis ab annis
Hamalefrede tibi tunc Radegundes eram.
Quantum me quondam dulcis dilexetis infans,
Et de fratre patris nate benigne parens.
Quod pater extinctus poterat quod mater haberi,
Quod ſoror aut frater tu, mihi ſolus eras.
Prenſa piis manibus heu blanda per oſcula pendens
Mulcebar placido flamine parua tuo.
Vixerat in ſpatium quo te minus hora referret,
Sæcula nunc fugiunt, nec tua verba fero.

Volue-

Voluebam rabidas inliso in pectore curas,
Ceu reuocarer eis,quando,vel vnde,parens.
Si pater aut genitrix aut regia cura tenebat,
Cum festinabas iam mihi tardus eras.
Sors erat indicium quia te cito care carerem,
Importunus amor nescit habere diem.
Anxia vexabar si non domus vna tegebat
Egrediente fores te pauitasse vocas.
Vos quoque nunc oriens & nos occasus obumbrat,
Me maris Oceani,te tenet vnda rubri.
Inter amatores totusque interiacet orbis,
Hos dirimit mundus quos loca nulla prius.
Quantum terra tenet tantum diuisit amantem,
Si plus arua forent,longius isset iter.
Esto tamen quo vota tenent meliora parentum
Prosperius quam te terra Toringa dedit.
Hinc potius crucior validis onerata querelis,
Cur mihi nulla tui mittere signa velis.
Quem volo, nec video,pinxisset Epistola vultum,
Aut loca quæ retrahunt,ferret imago virum.
Qua virtute atauos repares,qua laude propinquos,
Ceu patre de pulchro ludit in ore rubor.
Crede parens,si verba dares,non totus abesses,
Pagina,missa loquens pars mihi fratris erat:
Cuncti munus habent,ego nec solatia fletus;
O facinus;quæ dum plus amo sumo minus!
Si famulos alij pietatis lege requirunt?
Cur ego præterear sanguine iuncta parens?
Vt redimat Dominus vernam sæpe ipse per alpes
Frigora concretas cum niue rumpit aquas.
Intrat in excisis vmbratica rupibus antra,
Feruentem affectum nulla priora vetant.
Et duce cum nullo pede nudo currat amator
Atque suas prædas,hoste vetante rapit.
Aduersas acies,& per sua vulnera transit,
Quod cupit vt capiat,nec sibi parcit amor.
Ast ego pro vobis momenta per omnia pendens
Vix curæ spatio mente quiete fruor.
Quæ loca te teneant,si sibilat aura requiro,

Hamalefredus in Oriente degit.

Quem Rhadegũdis affectu sibi adiungit.

Vu 2 Nubi-

Nubila si volites pendula posco locum.
Bellica Persidis seu te Byzantion optat,
Ductor Alexandræ seu regis vrbis opes
An Hierosolymæ resides vicinus ab arce,
Qua est genitus Christus virgine matre DEVS.
Quoque hæc nullatenus patefecit littera chartis,
Vt magis hinc grauior sumeret arma dolor.
Quod si signa mihi nec terra nec æquora mittunt,
Prospera vel veniens nuntia ferret auis
Sacra Monasterij si me non claustra tenerent,
Improuisa aderam, qua regione sedes.
Prompta per vndifragas transissem puppe procellas:
Flatibus hybernis læta mouerer aquis.
Fortior eluctans pressissem pendula fluctus,
Et quod nauta timet non pauitasset amans.
Imbribus infestis si solueret vnda carinam,
Te peterem tabula remige vecta mari.
Sorte sub infausta si prendere ligna vetarer
Ad te venissem lassa natante manu.
Cum te respicerem, peregrina pericla negassem
Naufragij dulcis mox releuasses onus.
Aut mihi si querulam raperet sors vltima vitam,
Vel tumulum manibus ferret arena tuis.
Ante pios oculos issem sine luce cadauer,
Vt vel ad exequias commouerere meas.
Qui spernis vitæ fletus lachrymatus humares
Atque dares planctus, qui modo verba negas.
Quid fugio memorare parens, quid differo luctus.
De nece germani cur dolor alta taces?
Qualiter insidijs insons cecidisset iniquis,
Oppositaque fide raptus ab orbe fuit.
Et mihi quare nouo fletus referendo sepultos,
Atque iterum patiar dum lachrymando loquor.
Ille tuos cupiens properat dum cernere vultus,
Nec suus impletur, dum meus obstat amor.
Dum dare dura mihi refugit, sibi vulnera fixit,
Lædere qui timuit, causa doloris adest.
Perculitur iuuenis tenera lanugine barbæ,
Absens nec vidi funera dira soror.

Pathos Rhadegūdis eximiè ab ausu amplificatum.

Germani fratris necem deflet

Non so-

Non solum amisi, sed nec pia lumina clausi,
Nec super incumbens vltima verba dedi.
Frigida non calido tepefeci viscera fletu,
Oscula nec caro de moriente tuli.
Amplexu in misero neque collo flebilis hæsi
Aut foui infausto corpus anhela sinu.
Vita negabatur, quia iam de fratre sorori
Debuit egrediens halitus ore rapi.
Quid feci, vt non comes irem lecta pheretro,
Non licet extinctum vel meus ornet amor?
Impia crede tuæ rea sum germane saluti
Mors cui sola fui, nulla sepulchra dedi.
Quæ semel excessi patriam, bis capta remansi,
Atque itirum hostes, fratre iacente tuli.
Tunc pater, ac genitrix, & auunculus, atque parentes,
Quos flerem in tumulo reddidit iste dolor.
Non vacat vlla dies lachrymis post funera fratris,
Qui secum ad manes gaudia nostra tulit.
Sic miseræ dulces consummauere parentes,
Regius hac serie sanguis origo fuit.
Quæ mala pertulerim neque præsens ore referre,
Nec sic læsa tuo consulor alloquio.
Quæso serene parens vel nunc tua pagina currat,
Mitiget vt validam lingua benigna luem.
Deque tui similis mihi cura sororibus hæc est,
Quas consanguineo cordis amore colo.
Nec licet amplecti, quæ diligo membra parentum,
Osculor aut auide lumen vtrumque soror.
Si velut opto manent, superis rogo redde salutes,
Proque meis votis oscula cara feras.
Vt me commendes Francorum regibus oro,
Qui me materna sic pietate colunt.
Tempore longæuo vitalibus vtere flabris,
Et mea de vestro vernet honore salus.
Christe faue votis hæc pagina cernat amantes,
Dulcibus & redeat littera picta notis.
Vt quem tarda spes cruciat per tempora longa,
Hanc celeri cursu vota secuta leuent.

Ad Iustinum Iuniorem Imperatorem & Sophiam Augg.

LIBER.

GLORIA summa patris natique, ac spiritus almi,
Vnus adorandus hac trinitate Deus.
Maiestas, persona triplex, substantia simplex,
Æqualis, consors, atque coæua sibi.
Virtus vna manens eadem, tribus vna potestas,
Quæ pater, hæc genitus, spiritus ipsa potest,
Personis distincta quidem, coniuncta vigore,
Naturæ vnius par ope, luce, throno.
Secum semper erat Trinitas sine tempore regnans,
Nullius vsus egens, nec capiendo capax.
Gloria summa tibi rerum sator, atque redemptor,
Qui das Iustinum iustus in orbe caput.
Rite super reges dominantem vindicat arcem,
Cælesti regi qui famulando placet.
Quam merito Romæ, Romanoque imperat orbi
Qui sequitur, quod ait dogma cathedra Petri.
Quod cecinit Paulus, passim tuba millibus vna,
Gentibus & stupidis fudit ab ore salem.
Cuius quadratum linguæ rota circuit axem,
Eloquijque fide frigida corda calent.
Gloria summa tibi rerum sator, atque redemptor,
Qui das Iustinum iustus in orbe caput.
Ecclesiæ turbata fides solidata refulget,
Et redit ad priscum lex veneranda locum.
Reddite vota Deo, quoniam noua purpura quicquid
Concilium statuit Calcedonense tenet.
Hoc meritis Auguste tuis & Gallia cantat,
Hoc Rhodanus, Rhenus, Ister & Albis agit.
Axe sub occiduo audiuit Gallicia factum
Vascone vicino Cantaber ista refert.
Currit ad extremas fidei pia fabula gentes,
Et trans Oceanum terra Britanna fauet.
Quam bene cum Domino curam partiris amator.
Ille tuas causas, tu facis, ecce suas.
Dat tibi Christus opem, tu Christo soluis honorem,

Trini vniusque Dei fides & cōfessio.

Iustinus Cathedræ Petri adhærens merito est imperium adeptus.

Iustinum sublatis erroribus & schismatis Chalcedonense Cōcilium exequitur.

Iustini opera, fidei Catholicæ professio toto orbe vulgatur.

Ille de-

Ille dedit culmen,reddis & ipse fidem.
Nil fuit in terris,quod plus daret ille regendi.
Nec quod plus reddas,quam valet alma fides.
Exilio positi patres pro nomine Christi,
Tunc rediere sibi,cum diadema tibi.
Carcere laxati residentes sede priori,
Esse ferunt vnum te generale bonum.
Tot confessorum sanans Auguste dolores,
Innumeris populis vna medela venis.
Thrax,Italus,Schyta,Phryx,Daga,Dalmata,Thessalus,Afer,
Quod patriam meruit,nunc tibi vota facit.
Hæc tua laus princeps cum sole cucurrit in orbem,
Quo genus est hominum,huc tuus intrat honor.
Gloria summa tibi rerum sator, atque redemptor,
Qui das Iustinum iustus in orbe caput.
* Cui meritis compar nubens felicibus annis
Obtinet augustum celsa Sophia gradum.
Quæ loca sancta pio fixo colit,ornat amore,
Et facit hoc voto se propiare polo.
Cuius prima fides orientis ab axe coruscans,
Misit ad occasum fulgida dona Deo.
Regina poscente sibi Radegunde Toringa,
Præbuit optatæ munera sacra crucis.
Qua Christus dignans assumpta in carne pependit,
Atque cruore suo vulnera nostra lauit.
Gloria summa tibi rerum sator,atque redemptor
Quod tenet augustum celsa Sophia gradum.
O pietas huc vsque rigans de fonte benigno,
Cuius amor Christi fundit vbique fidem.
Ecce pari voto Augusti certatis vtrimque,
Ipsa tuum sexum * subrigis,ille suum.
Vir Constantinum, Helenam pia fæmina reddis,
Sicut honor similis,sic amor ipse crucis.
Illa inuenit opem,tu spargis vbique salutem;
Implet & occasum,quod prior ortus erat.
Gloria summa tibi rerum sator,atque redemptor,
Quod tenet augustum celsa Sophia gradum.
Per te crux Domini totum sibi vindicat orbem,
Quo nescita fuit,hoc modo visa teget.

Episcopi ab exsilio reuocantur,& sedibus suis restituuntur.

* Hinc Tritthemius sumit nouum librum.
Sophia Augusta.

Rogatu S. Rhadegũdis SS. Crucis reliquias ex oriente mittit.

* surrigit.
Iustinus Constantinum: Sophia Helenam refert.

Crucis missæ ve-

aeratio & cultus eximius. Accessit genti maior fiducia Christi,
Quando salutis opem spes oculata videt.
Sensibus ô duplicata fides cum munere vestrum
Plus animæ credant, quod cruce reste probant.
Hoc Augusta colens, quod Apostolus instat arare
In ligno, hic verbo lætificatis agrum.
Hæc iam fama fauet, qua se septentrio tendit,
Ortus, & occasus militat ore tibi.
Illinc Romanus, hinc laudes Barbarus ipse,
Germanus, Batauus, Vasco, Britannus agit.
Pars tua cum cruce sit florens Augusta per æuum,
Cui facis extremis crescere vota locis.
Crucem S. Rhadegũdes adorat. Hanc prostrata loco supplex Radegundis adorat,
Et vestro imperio tempora longa rogat.
Atque rigans lachrymis, coniuncta sororibus optat,
Vt hic vestra fides gaudia larga metat.
Felix Iustino maneas cum principe coniux.
Ordine patricio cincta Sophia sacro.
Romula regna regens tribuit sua iura senatus,
Teque sibi dominam plebs trabeata colat.
Vota superna Deus votis felicibus addat.
Nec vobis pereat, quod Rhadegundis amat.
Assiduo cantu quæ puluere fusa precatur,
Temporibus largis vt tibi constet apex.
Voto, animo, sensu, studio bona semper agendo,
Sit tibi cura sui, sit memor illa tui.

Ad Artachin.*

* Artachin.

LIBER.

POST patriæ cineres, & culmina lapsa parentum,
Quæ hostili acie terra Toringa tulit.
Si loquar infausto certamine bella peracta,
Quas prius ad lachrymas fœmina rapta trahar?
Quid mihi flere vacet pressam hanc funere gentem?
An variis vicibus dulce ruisse genus?
Nam pater ante cadens, & auunculus inde secutus,
Triste mihi vulnus fixit vterque parens.
Restiterat germanus apex, sed sorte nefanda
Me pariter tumulo pressit arena suo.

Omni-

Omnibus extinctis, heu viscera dura dolentis,
Qui super vnus eras Hamalefrede, iaces?
Sic Radegundis enim per tempora longa requiror,
Pertulit hæc triste pagina nostra loqui.
Tale venire diu expectaui munus amantis,
Militiæque tuæ hanc mihi mittis opem?
Dirigis ista meo nunc serica vellera penso,
Vt dum fila traho, soler amore soror?
Siccine consuluit valido tua cura dolori,
Primus, & extremus nuntius ista, daret?
Nos aliter lachrymis per vota cucurrimus amplis,
Venerat, optanti dulcia, amara dari.
Anxia sollicito torquebar pectora sensu,
Tanta animi febris his recreatur aquis.
Cernere non merui viuum, nec adesse sepulchro,
Perferor exequiis altera damna tuis.
Cur tamen hæc memorem tibi care Artarchis alumne,
Fletibus atque meis addere flenda tuis.
Debueram potius solamina ferre parenti,
Sed dolor extincti cogit amara loqui.
Non fuit ex longa consanguinitate propinquus,
Sed de fratre patris proximus ille parens.
Nam mihi Bertharius pater, illi Ermenefredus,
Germanis geniti, nec sumus orbe pari.
Vel tu care nepos placidum mihi redde propinquum,
Et sis amore meus, quod fuit ille prius.
Meque monasterio missis rogo sæpe requiras,
Ac vestro auxilio stet locus iste Deo.
Vt cum matre pia vobis hæc cura perennis
Possit in astrigero reddere digna throno.
Nunc dum distribuat vobis felicibus vt sit
Præsens larga salus, illa futura decus.

Finis III. Libellorum sing.



VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI LIBRORVM XI. INDEX.

Indice Vaticano, in poëmatum & librorum ordine digerendo, vsi sumus, dum propria Synopsis sese offerret. Iam, quia in MSS. Seriem hanc capitulis & numeris Latinis exhiberi obseruamus, Indicem & capitula ad finem operis, iisdem libris auctoribus, repraesentamus; annotatis etiam iis, quae nostra editione nuper accesserant.

CAPITVLA LIBRI I.

I. Ad Vitalem episcopum Rauennatem.
II. De templo Domni Andreae, quod ipse Vitalis aedificauit.
III De Basilica S. Stephani.
IV. De Basilica S. Martini.
V. In cellulam S. Martini.
VI De Basilica S. Martini.
VII. In honorem Basilicae Sancti Martini.
VIII. De Basilica S. Vincentij apud Garomnam.
IX. De Basilica Sancti Vincentij Vernemetis.
X. De Domno Nazario martyre Christi.
XI. De basilica S. Dionysij.
XII. De basilica S. Bibiani.
XIII. De basilica S. Eutropij.
XIV. De calice Leontij Episcopi.
XV De Leontio Episcopo.
XVI. Hymnus de Leontio Episcopo.
XVII. Ad Placidinam matrem Leontij Episcopi.
XVIII. De Bissono villa Burdegalensi.
XIX. De Vereginis villa Burdegalensi.
XX. De Praemiaco villa Burdegalensi.
XXI. De Aegircio flumine.

Capitula libri II.

I De Cruce Domini.
II Hymnus in honorem S. Crucis.
III In honorem S. Crucis, vel Oratorij Turonensis domus.
IV. De signaculo Sancti Crucis. Acrostichon.
V. De eodem.
VI. De eodem. quae recens edita.
VII. Hymnus in honorem Sancti Crucis.
VIII. De S. Saturnino.
IX. De Launebode, qui aedificauit basilicam S. Saturnini.

X. Ad

X Ad Clerum Parisiacum.
XI De Ecclesia Parisiaca.
XII. De baptisterio Maguntiæ.
XIII. De basilica S. Georgij.
XIV. De Oratorio Trasarici.
XV. De Sanctis Agaunensibus.
XVI. De S. Hilario.
XVII. De S. Medardo Episcopo.

Capitula libri III.

I. Ad Euphronium Episcopum Turonensem epistola I.
II. Ad eundem epistola II.
III Ad eundem versus.
IV. Ad Fœlicem episcopum Namneticum.
V. Ad eundem, ex nomine suo.
VI. Ad eundem, de dedicatione ecclesiæ suæ.
VII Ad eundem, in honorem eorum, quorum ibi reliquiæ continentur.
VIII. Ad eundem, in laudem eius, & regionis Armoricæ.
IX. Ad Fœlicem episcopum de Paschate.
X. De Domno Fœlice Namnetico, cum fluuium alibi detorqueret.
XI De Nicetio episcopo Treuirensi.
XII. De Castello eiusdem super Mosellam.
XIII. De Magnerico Treuirensi episcopo. hoc nouum accessit.
XIV. Ad Villicum episcopum Mettensem.
XV. Ad eundem.
XVI. Ad eundem.
XVII. De pictura vitis in mensa eiusdem.
XVIII. De piscibus in mensa eiusdem.
XIX. Ad Charentinum episcopum Coloniæ.
XX. De Igidio episcopo Remensi.
XXI Ad Hilarium Episcopum.
XXII Ad Bertechramnum episcopum.
XXIII. Ad eundem de opusculis suis.
XXIV. Ad Agræcolam episcopum.
XXV. Ad Fœlicem episcopum Biturigum.
XXVI. Ad Auitum episcopum Aruernæ.
XXVII. Ad eundem.
XXVIII. Ad eundem.
XXIX. De Domno Agerico episcopo Veroduni.
XXX. De Agerico episcopo Vereduni.
XXXI. Ad Amphionem presbyterum.
XXXII. Ad Paternum abbatem, de codicis emendatione.
XXXIII Ad Druconem diaconum.
XXXIV. Ad Archidiaconum Meldensem.
XXXV. Ad Ioannem Diaconum.
XXXVI. Ad Anthemium Diaconum. ex MSS. suppletum.
XXXVII Ad Sindulphum Diaconum totum restitutum.

Capitula libri quarti.

I. Epitaphium Euemeri Episcopi ciuitatis Namneticæ.
II. Epitaphium Domni Gregorij ciuitatis Lingonicæ.
III. Epitaphium Domni Tetrici episcopi ciuitatis Lingonicæ.
IV. Epitaphium Domni Galli episcopi ciuitatis Aruernæ.
V. Epitaphium Roriciorum episcoporum ciuitatis Lemouicinæ.
VI. Epitaphium Exocij episcopi ciuitatis Lemouicinæ.
VII. Epitaphium Chalacterici episcopi ciuitatis Carnotensis.
VIII. Epitaphium Chronopij episcopi Petrocoriensis.

IX. Epitaphium Leontij episcopi anterioris ciuitatis Burdegalensis.
X. Epitaphium Leontij sequentis episcopi ciuitatis Burdegalensis.
XI. Epitaphium Victoriani abbatis monasterij Agaunensis. quæ tria ordine antea desiderata.
XII. Epitaphium Hilarij presbyteri.
XIII. Seruilionis. nouum.
XIV. Præsidij. iterum nouum.
XV. Epitaphium Boboleni Diaconi.
XVI. Epitaphium Attici.
XVII. Epitaphium Arcadij. nouum.
XVIII. Epitaphium Basilij nouum.
XIX. Epitaphium Aracharij.
XX. Epitaphium Brumachij.
XXI. Epitaphium Auoli.
XXII. Epitaphium Innocentum.
XXIII. Epitaphium Iuliani. iam editum.
XXIV. Epitaphium Orientij.
XXV. Epitaphium Theodechildis reginæ.
XXVI. Epitaphium Vilithutæ.
XXVII. Epitaphium Euphrasiæ. recens.
XXVIII. Epitaphium Eusebiæ. & illud.

Capitula libri quinti.

I. Epistola ad Martinum episcopum Galliciæ. quæ tota accesit.
II. Ad eundem.
III. Ad ciues Turonicos, de Gregorio episcopo Turonensi.
IV. In natalitio Gregorij episcopi.
V. Ad eundem, de Iudæis conuersis per Auitum episcopum Aruernæ.
VI. Epistola ad Siagrium episcopum Augustodunensem.
VII. Acrostichis ad eundem.
VIII. Ad Felicem Episcopum Namneticum.
IX. Ad Gregorium episcopum Turonensem, pro itinere.
X. Ad eundem.
XI. Ad eundem, pro libro præstito.
XII. Ad eundem pro inuitatione.
XIII. Ad eundem, pro commendatione mulieris.
XIV. Ad eundem, de itinere suo.
XV. Ad eundem, Salutatoria.
XVI. Ad eundem, pro pomis & graffiolis.
XVII. Ad eundem, de commendatione puellæ.
XVIII. Ad eundem, pro commendatione peregrini.
XIX. Ad eundem, Salutatoria.
XX. Ad eundem.
XXI. Ad Episcopos pro commendatione peregrini.
XXII. Ad Aredium abbatem.

Capitula libri sexti.

I. De Domno Sigiberto rege.
II. De nuptiis Sigiberti regis, & Brunichildis reginæ.
III. De Sigiberto rege, & Brunichilde regina.
IV. De Chariberto rege.
V. De Theodechilde regina.
VI. De Berthilde.
VII. De Gelesuintha.
VIII. De horto Vltrogothonis reginæ.
IX. Ad Cantum blandum villam de pomis dictum.
X. De Coco, qui nauem tulerat, & iniuriam fecerat.
XI. Ad Dynamium Massiliensem.
XII. Ad Dynamium.

Capitula libri septimi.

I. Ad Gogonem.

II. Ad

II. Ad eundem, cum rogaretur ad cenam.
III. Ad eundem.
IV Ad eundem.
V. De Bodegisilo duce.
VI. De Palatina vxore eius.
VII. De Lupo duce.
VIII. Ad eundem.
IX. Ad Lupum ducem.
X. Ad Magnulfum fratrem Lupi.
XI. Ad Iouinum Rectorem prouinciæ.
XII. Ad eundem.
XIII. Ad Fœlicem socerum eius.
XIV. De Mummuleno.
XV. De Berulfo Comite.
XVI. De Condone Domestico.
XVII. Ad Gundcarium.
XVIII. Ad Flauum.
XIX. Ad Flauum & Euodium.
XX. Ad Sigismundum.
XXI. Ad Sigismundum & Aregisilum.
XXII. Ad Bosonem Referendarium.
XXIII Ad Paternum.
XXIV. Versus in Gauatis.
XXV. Ad Conuiuam.
XXVI. Ad eundem.
XXVII. De breuitate vitæ.
XXVIII. Ad eundem.
XXIX. Ad Conuiuam.
XXX. Ad eundem.
XXXI. Ad Galactorium Comitem.

Capitula libri Octaui.

I. De nomine suo ad diuersos.
II. De itinere suo.
III. Hymnus de Natiuitate Domini.
IV. De virginitate. mutilum, sed maxima parte restitutum, cum sequentibus omnibus poëmatiis.
V. In laudem S. Mariæ Virginis & matris Domini.
VI. Ad Virgines.
VII. Ad Domnam Rhadegundem.
VIII. Ad eandem, de Violis.
IX. Ad eandem de floribus super altare.
X Ad eandem pro floribus transmisis.
XI. Ad eandem, cum se recluderet.
XII Ad eandem, cum rediret.
XIII. Ad Gregorium episcopum, pro infirmitate sua.
XIV. Ad eundem pro causa Abbatis.
XV. Epistola pro eadem re.
XVI. Ad eundem, ex nomine Iustinæ.
XVII. Ad eundem Salutatoria.
XVIII. Ad eundem Salutatoria.
XIX. Ad eundem Salutatoria.
XX. Ad eundem.
XXI. Ad eundem.
XXII. Ad eundem, pro villa præstita.
XXIII. Ad eundem, precatoria pro agro.
XXIV. Ad eundem, pro pellibus sibi missis.

Capitula libri Noni, etiam omnia desiderata antehac.

I. Ad Chilpericum regem in conuentu episcoporum Brinnaci.
II. Ad Chilpericum regem, & Fredegundem reginam.
III. Ad eosdem.
IV. Epitaphium Clodoberti.
V. Epitaphium Dagoberti.
VI. Ad Gregorium episcopum, pro metris Sapphicis.
VII. Ad eundem, in ipso metro.
VIII. Ad Baudoualdum episcopum.
IX. Ad Sidonium Moguntinum episcopum.
X. Ad Rhagnemundum episcopum.

XI. Ad Droctoueum abbatem.
XII Ad Faramundum Referendarium.
XIII. Ad Lupum & Vualdonem Diaconum.
XIV. De basilica S. Laurentij.
XV. De domo lignea.
XVI. Ad Chrodinum Ducem.

Capitula libri Decimi quoque desiderata.

I Expositio Orationis Domini.
II Ad Mummulenum epistola, vel Ad Salutarem virum illustrem.
III. Alia.
IV. Alia.
V. De Oratorio Artannensi.
VI De Ecclesia Turonica.
VII. De Childeberto rege, & Brunichilde, & Natali S. Martini pontificis Turonici.
VIII. Ad eosdem.
IX. De nauiglo suo.
X. De Oratorio Artannensi.
XI. Versus super mensa, in villa S. Martini, ante descriptores.
XII. Pro puella à iudicibus capta, ad Gregorium episcopum.
XIII. Ad Episcopos in commendationem peregrini.
XIV. De Platone episcopo.
XV. Ad Armentariam matrem Gregorij Turonensis.
XVI Sigoaldo pro comitatu eius.
XVII. Ad Sigoaldum Comitem, quod pauperes pro rege pauerit.
XVIII. De prandio Defensoris.
XIX. Ad Galactorium Comitem.

Capitula libri Vndecimi restituta.

I. Expositio Symboli.
II. Ad Domnam Rhadegundem.
III. Ad eandem, de Natalicio Abbatissæ.
IV. Ad eandem, vt vinum bibat.
V. Ad abbatissam, de natali suo.
VI Ad eandem.
VII. Ad eandem.
VIII. Ad eandem.
IX. Pro Eulogiis transmissis.
X Pro eadem re.
XI De floribus.
XII. Pro Eulogiis.
XIII. Pro castaneis.
XIV. Pro lacte.
XV. Aliud pro lacte.
XVI. Pro prandio.
XVII. Pro munere suo.
XVIII. Pro prunellis.
XIX. Pro deliciis & lacte.
XX. Pro ouis & prunis.
XXI. De absentia sua.
XXII. De Conuiuio.
XXIII. De eadem re.
XXIV. De versibus.
XXV. De eadem re.
XXVI. De munere suo.
XXVII. De itinere suo.
XXVIII. Aliud de itinere suo.


Libelli singulares.

1. De excidio Thuringiæ ex persona Rhadegundis.
2. Ad Iustinum Iuniorem, & Sophiam Augg.
3. Ad Artachin.

Quod

QVod in veterum Scriptorum more fuit, versuum suorum numerum appendere, vel in vltima cera paginaue adscribere, vt ex præfatione in Pandectas, & Diogenis Laërtij, Callimachi & Hebræorum monumentis, & hagiographis libris ipsis obseruarunt eruditi, id in antiquis Fortunati exemplaribus, præsertim, vbi poëmata longius excurrerent, librarios diligenter fecisse, animaduertimus. Sed, quia tamen hæc versuum & στίχων, vt vocabant, annotatio, extra hagiographa vsurpari desijt, & typographicis operis maiorem, quam ferrent haud dubiè, molestiam esset allatura, exemplo & more iam suscepto, eam relinquere in medio maluimus, veterum accurata studia laudasse contenti.

SILVV-



SILVVLA ENORMIVM, QVÆ CONTRA GRAMMATICÆ VEL PROSODIÆ CANONEM, AVT PEREGRINA, IN VENANT. FORTVNAT. LECTIONE OCCVRRVNT.

A.

A Producit in Anachoreta, charismata. satagens. satagi.
Admodulare pro ri.
Aëra, neutr. plur.
Aluus masc. gen. cum Accio.
Aperibat.
Apothecaret.

B.

B Estola pro bestiola.
Butyr pro butyrum.

C.

C Aligosus pro caliginosus.
Calces calx.
Candelabri pro a.
Cauillare pro ri.
Celebratura pro celebranda.
Ceremonia plurale neutrum.
Certor pro certior fio.
Chrotta. testudo.
Cidarim. is.
Clienta pro cliens. etiam Afranio. Ausonio Sidonio.
Colophona, colophon.
Conlatura, id est, collata.
Construiturus pro constructurus.
Consulo, consultum pro consolari & consolatio. Consuliturus, id est, consolaturus.
Cuncto. as. cum Accio & Ennio.
Curatura pro cura. Terent. Eunuch.
Cruminans, ventrem purgans.

D.

D Ebaccho, pro or.
Dominare, pro ri.
Duces pro dux.

E.

E Gregius comparatiuè.
Emptica pro emporetica naui.
Epulare pro ri.
E corripuit ex Græco, in ecclesia, emblema, eremus, monasterium, psalterium &c.
Et in aduerb. Verè, æquè; & fatebatur, meretur, petebatur, &c.
Es, in his ferme corripit, exemplo Prudentij. Clades. esses. petisses. fames. fruges. lues. proles. strages. nites &c.

F.

F Acetat.
Famulare pro ri.
Fodent pro fodiunt.
Formosat.
Fouer pro fouear.

Genium

G.

GEnium pro us.
Graphiolum.tabula.

H.

HElix.helice.

I.

IAculor.as.
Impliciter,implicatè.
In præp. motu ad locum, plerumque cum sexto casu.
Iugis,iugiter &c.iugum coniux.prima –.
Infidus. Peritus. equis.i & is breui.

L.

LAmbiat pro lambat.
Leudus. cantilena.
Locupletus pro locuples.

M.

MEmorabiliter.
Mirari passiuè.
Miscam pro miscebo.
Monádes pro monas.

N.

NEcessat.

O.

O – in toreuma. libr. 2. vitæ S.Martini; alias ei Υ. & in idola breuis.
Orbs pro orbis. nam, & Varroni, Orbis & vrbs, cógnata.

P.

PAsceris pro pascis.
Pereger pro peregrinus.
Perseror,persero.
Pilentis,pilentum.
Præconiandus vel præconandus.
Precanter.

Q.

QVo,passim pro vbi.

R.

RApienter,vt Accius. Cupienter.& alij Rarenter.
Repens,pro repente.

S.

SEnis & senes pro senex.
Seruibant,bunt.
Spaciare pro ri.

T.

TOpazus,a,um.
Torcular med. bre. contra quam Priscianus.
Torcularet.
Triades pro Trias.
Tropis.

V.

VEstibit,vt Virg. Vestibat.
Vicarietas.
Vrguet pro vrget.
Vrguit pro vrsit.

Y.

Y. in Chrysoprasus bre.

Aliquammulta adhuc eruas, prudens lector, sed hæc vt eminebant, sic ad cautionem præstandam sufficere visa; & alia quoque nobis in commentario obseruata.



INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ A VENANT. HONOR. CLEMENT. FORTVNATO ATTINGVNTVR.

A



ABRAHAM *Trinitatis mysterium commendat.* 125

Ægidius Rhemensis Episcopus. 121

Ægircius flu 47. *in Garumnam defluit ibid. eius multiplex ingenium. ibid.* & 48

S. Afra martyr Augustana. 335

Agaunenses Sancti. 62

Agericus episcopus Vereduni. 90. 91. *eius liberalitas & pastoralis cura.* 91. *Templa renouat & exstruit.* 91. *baptisterium erigit.* 91. *eius innocentia & candor animi.* 91. *facundia & doctrina in sacris.* 91. 92

Agnes virgo Pictauiensis. 90. 117. 119. 132. 134. 196. 225. 266. *& sequent. eam ad virginitatem excitat Rhadegundes.* 188 *eiusdem natalitium.* 265. 266. *Rhadegundis filia spiritalis.* ibid.

Agricola iunior Fortunati condiscipulus. 7. 88. 89

Agricola senior Fortunati magister. 7

Agraecola seu Agricola Episcopus. 88. 89

Albinus inter amicos Fortunati. 159

S. Albinus. 273

Alboinus rex Longobardorum. 7

B. *Alexandri cultus.* 55

Alpes Pyrenaea. 150

Alpes Iuliae. 150. 335

Ambianum vrbs. 279

Ambitionis insectatio. 34

Amelius Burdegalensis episcopus. 38

Amintus castrum. 335

Amoini monachi de Fortunato iudicium. 25

Amphion

Amphion presbyter. 92. *eius virtutes. ibidem. Amphion à Leontio Papa laudatus. ibidem.*
Anatolii monachi hypocrisis. 297
Andethanna vicus in Treuiris. 328
S. Andreæ templum à Vitali extructum. 32. 33. *templi venustas, dedicationis celebritas.* 32. *S. Andreas in Achaiam fidem protulit.* 118
Anthemius Diaconus. 94
Antonnacense castellum. 251. *regum aula piscatio.* ibid.
Apostoli. & eorum quietis loco. 188. 189
Aquileia vrbs. 295. 335. 340
Aracharii Palatini epitaphium. 107
Arator poëta pietatis in carmine studiosus. 5
Arbor miraculosa, meritis S. Martini. 133
Arborii Præfecti filia sanatur à S. Martino 292. *Arborius filiam Deo vouet virginem. ib. videt manum S. Martini ornatam gemmis.* 316
Arcadij iuuenis epitaphium. 105. 106, *eloquentia.* ibid.
Archidiaconus Meldensis mustum Fortunato mittit. 93. & 94
Aredius Abbas. 134. 155
Aregiselus Sigismundi frater. 10. 179
Armentaria mater Gregorii Turonensis episcopi. 255. 256
Armorici populi. 12. *Armoricus regio.* 76
Arriana fides. 63. *Arrii interitus.* ibid.
Artaniense oratorium Gabrieli archangelo dicatum. 242. 252. 253
Artarchis Thuringus regum sanguine. 345
Aruerna ciuitas. 97. 121. 122. *Aruernorum cum Iudæis simultas.* 122. *Aruerni Iudæorum synagogam euertunt.* ibid.
Ascensus Christi dies sacer. 122
Aspasius pater Iouini senatoris. 174
Atax fluuius. 150
Athanagildus rex Gothorum in Hispania. 9. 138. *eius encomium.* 138
Athesis fluuius. 336
Attici epitaphium. 105. *Atticus eloquens, celebris in Gallia.* ibid.
Aua pro auia. 249
S Augustini cultus. 98. 335
Auitiani Comitis vxor oleum à S. Martino obtinet. 320
Auitianus reuocatur à feritate ingenita. 321
Auitus Episcopus. 89 90. 121. *Auiti virtutes.* 90 *Auitus Iudæos conuertit.* 121. 122. *Auiti ad Iudæos oratio. ibid. Auitus iubet Iudæos solum vertere.* 123
Auoli epitaphium. 107. *eius pietas & liberalitas in egenos.* ibid.

Austrasia. 9
Auxentius S.Martinum Mediolanensi monasterio fugat. 282
Axona fluuius. 12

B.

Baioarius populus. 335
Baptismi ceremonia à Felice vsurpata. 79.80. *Baptismus puerorum.* 108. *Baptismus Iudaicum fœtorem abstergit.* 124
Baptismi ceremoniæ quædam. 124.125
Baptisterium Maguntiæ. 61. *Baptisterij erectio.* 91
Bartholomæus in India Christi fidem propagauit. 118
Basilica S.Stephani à Palladio apud Sanctones exstructa. 33
Basilica S.Martini à Fausto. 34
Basilica S.Martini à Leontio Burdegalis. 35. *eius structuræ, & situs elegantia.* ibid.
Basilica S. Martini à Basilio & Baudegunde. 35.36
Basilica S.Vincentij apud Garumnam. 36
Basilica S.Vincentij Vernemetis. 36
Basilica S.Dionysii. 37
Basilica S.Babiani, apud Santones. 38
Basilica S.Eutropij. 39
Basilica S.Georgij. 61
Basilica S.Laurentij. 228
Basilica SS.Pauli & Ioannis. Rauennæ. 336
Basilius cum coniuge basilicam S.Martino posuit. 35. *eius epitaphium.* 106. *ad Hispanos legatio.* 106. *virtutes.* ibid.
Baudegundes vxor Basilij. 35.106
Baudouualdus episcopus. 225
Beatorum gloria & splendor. 113
Bertechildes virgo Deo dicata. 144. *eius liberalitas.* 144.145
Berethrudes Launebodis ducis vxor. 58. *clara genere.* 58. *eius studium in operibus misericordiæ.* ibid.
Bertechramnus *Burdegalensis episcopus.* 87.88. *Fortunatum in rhedam assumit. ibid. eius ingenium sublime.* 88
Berthoara *regina, Theodoberti filia.* 61
Berulfus *comes.* 175
S. Bibiani *Sanctonum episcopi basilica.* 38
Bissonum *villa* Burdegalensis. 45. *septem millia abest* Burdegal. Bissoni *balnea. ibid.* Bissonum *restauratur a Leontio. ibid. vbi prius locus desertus.* 46
Biturigum *ciuitas.* 89
Boboleni *diaconi epitaphium.* 105. *qui in somno securi percussus insons perit.* ibid.

Bodegi-

Bodegisilus dux.163.eius dotes & virtutes. 163.164
Bordaa fluuius. 166
Boso referendarius. 179
Breones.335.apud quos basilica miraculosa S.Laurentij. 228
Brinnaci synodus. 213.214
Brinta fluuius. 336
Brumachij epitaphium.107.qui in Italia legatus obijt.vixit annos 40. ibid.
Brunichildes Athanagildi filia. 9.247.253
Brunichildes Sigeberti regis vxor. 9
Brunichildes & Sigebertus patrinij Gregorij. 120
Brunichildis & Sigeberti regis nuptiæ. 136
Brunichildis encomium. 138.139.140.249
Brunichildes Hispana.138.ex Arriana fit Catholica.140.eius soror Gelesuintha. 145
Brunichildis consternatio ex morte sororis. 152
Burdegalis basilica S.Martini a Leontio episcopo. 35
Burdegaensis ciuitas. 101.102
Byrrus fluuius. 335

C.

S. Cæsarius Arelatensis episcopus 119.antea monachus Lirinensis. 119
Cæsarius inter amicos Fortunati. 228
Calix à Leontio oblatus. 39
Caloris æstiui descriptio. 167
Campania regio. 301
Cantus blandus villa. 155
Cariacus amnis. 130
Cariaca aula. 273
Carnotus. 308
Castanea. 269
Castellum Nicetij episcopi Treuirens.apud Mosellam. 82
Castelli eiusdem situs. ibid.
B Cæciliæ cultus. 53
Ceneta oppidum ditionis Venetæ. 4.335
Ceremoniæ in consecratione templorum.74.Ceremoniæ baptismi à Felice vsurpata.80.Ceremoniæ in baptismo. 125
Cereorum vsus in baptismate. 124.125
Chalactaricus episc.Carnotensis.99.Epitaphium eius & virtutes.ibid.vixit annis.38.100
Chalcedonense concilium. 342
Charentinus episcopus Coloniæ. 85
Charentini charitas variæ dotes,beneficia 86.cultus templorum. ibid.

Charibertus Childeberti nepos, & tutor liberorum patrui. 140. 141. regio sanguine. 141. eius natalis dies populo latissimus. 141. Latini sermonis & Iuris peritus. 142. 143. indoles, dotes animi, virtutes, fides. natale solum. ibid.
Childebertus rex 9. 140. 247. 253. 255. 256. 257. 258. eius in templa & sacra propensio. 60 encomium. 140. 248. ipse amans rei hortensis. 155
Chilpericus rex. 10. 217. 221. eius nobilitas. 213. gloria fama. 214. virtutes. etymon. & res gesta. ibidem victoria de hostibus. 215. iustitia. 216. doctrina; poesis. 216. vxor Fredegundes. 217. Chilpericum solatur Fortunatus. 219. Chilperici filii Chlodobertus & Dagobertus. 222
Chlodoberti Chilperici regis filij epitaphium. 222. proauus Clodouechus. 222. Chlodobertus nepos Chlotarij. ibid.
Chlotarius rex. 9 222. templum S. Medardo exstruit. 9. 10. Rhadegundis maritus. 11
Chrismatis vsus. 124
Christiani poeta celebrati. 278. 279
Christi corpus in sacris vasis asseruatur. 42
Christi resurrectio. 77. 79. 123
Christus verbum. 79
Christi diuinitas. 79. mors. ibidem 123. descensus ad lymbum. 79. ascensio. 79. iugum suaue. 95
Christus mortem subiugauit. 96
Christi natalis hymnus. 185
Christi sepulchri lapis in oratorio Artanensi. 252
Christi crucifixi varia mysteria. 262
Chrodinus dux. 229. eius virtutes, & dotes. ibid.
Chronopij episcopi Petrocorica epitaphium. 100. & virtutes. Chronopius claris natalibus. 100. 101. vixit annis. 80. 101
Clarus monachus. 298
Claudiomagum vicus. 311
Coci periphrasis. 156
Colonia Agrippina. 85
Concilium Chalcedonense. 342
Concilium Nemausense. 315
Concordia ciuitas. 335
Condo Domesticus nobili genere. 175. gradatim ad honores virtute euectus. 176. Theodeualdum regem gubernat. ibid. eius filij duo occumbunt in bello. floret in aula Chlotarij regis. 176. 177
Confluentes. 250. 251
Coniugij incommoda. 194 195
Coniugij, fornicationis & virginitatis discrimen. 314

Constan-

Constantinus inter amicos Fortunati. 228
Contrua amnis obsoletus. 250
Conuiua. 180.181
Conuiuium. 272
B.Cosmæ cultus. 252
*S.Crucis encomium.*49 50 *hymni.*49.55 *acrost.cha: primum* 52 *secundum.*53. *tertium.* 54.*quartum* 129.*Crux miraculosa.* 51. *Crucis virtus.* 228.246.*S. Crucis veneratio & cultus.*343.344.*crucis formatio.* 284.296

D

Dagaulfus Vilithutæ maritus. 110.*eius nobilitas.* 111
Dagoberti filii Chilperici epitaphium 122
Dæmon hominem à se enectum cornu bouis iactitat. 295. *assumit formas falsorum Deorum.* 296 *Dæmon appetit S.Martinum ca umniis.* ibid.
Dæmoni, si pœniteat, promittit veniam S.Martinus. 297
Dæmon se S.Martino in imagine Christi obiicit. 299
B.Damiani cultus. 252
Damnatorum conditio. 112
Dani victi. 166
Dedicatio templi Sancti Andreæ celebris 32. *Dedicatio Basilicæ Sancti Vincentii miraculo illustratur.* 37. *Dedicationis templorum celebritas.* 73. *Dedicationi præsentes Episcopi.* ibid.
Defensor Episcopus. 283
*Deus trinus & vnus.*123.*Dei trini & vnius fides, & confessio.* 342
Diei descriptio. 91
Dietheubertus. 137
B.Dionysii basilica Burdegalis. 37
B.Dionysii Areopagitæ martyrium. 38
Dionysius Parisiensis. 335
Diuitiarum onus. 301
Domitianus. 74
Domitianus antistes. 273
Domitius. 16
Domnulus. 74
Domus lignea. 228.229
Drauus fluuius. 335
*Droctoueus Abbas.*227.*è discipulis B.Germani.* ibid.
Druco Diaconus Parisiis. 93
Duplauenis oppidum, Fortunati patria. 4.335
Dynamius Massiliensis Rector. 11.157.158

Ecclesiæ

E

Ecclesiæ fœcunditas.77.supra petram fundatio. 317
Ecclesiæ Parisiensis laus. 60
Egidius Remensis.vide Igidius.
Eleemosynæ fructus & commendatio. 254
Emerius Sanctonum episcopus. 38
Episcoporum potestas. 73
Euantia socrus Hilarij presbyteri. 104
Euantius.70.ope S.Martini liberatur morbo. 306
Euemeri Episcopi Nannetici epitaphium. 95
Euemerus nobili genere, ex Iudice episcopus.96.eius virtutes.96. Felicem successorem reliquit. ibid.
Eulogiæ. 267.268.269
Euodius frater Flauij. 178
Euphronius episcopus Turon.68.& 69.eius virtutes.68.69.70.interest dedicationi templi. 73
Euphrasiæ epitaphium.114.maritus Namatius. ibid.
Eusebiæ epitaphium 114.ingenium nobile.115.vix 10 annos vixit. ibid.
Eusebius Sanctonum episcopus fundamenta ponit basilicæ S.Bibiani. 38
S.Eutropij Sanctonum Episcopi basilica à Leontio. 39
Exotij Episcopi Lemouicensis epitaphium.99 virtutes ib.sedit annis 15. ibid.

F

Faramundus referendarius. 227
Faustus sacerdos S.Martino basilicam exstruxit. 34
Febris descriptio. 209
Felix Taruisinus 8. 335. Taruisii celebris Episcopus 8.oculorum sanitatem adeptus olei vnctione.ibid Alboino regi occurrit,eumque mitigat. ibid.
Felix Nannetum episcopus. 12.71.72.73.80
Felicis Nannetici prosapia.76.laus & virtutes. 77.fluuium à proprio alueo detorquet.80. Euemeri successor. 96
Felix episcopus Bituricensis.89.corpori Christi seruando turrim ædificat. ibid.
Felix socer Iouini. 174
S.Ferreoli martyris cultus. 76
Flauius.177.eius frater Euodius. 178
Florentinus. 254
Floribus ornantur aræ.207 Flores.206.268.Florum descriptio. 207
Foroiulium vrbs. 335
Fortunati nomen & vnde.2.illius plura nomina & vnde.ibid. Quare dictus Venantius.ibid. Italiam relinquit.& quare.7.8. diuertit ad Turones & Venantio Abbati iungitur. ibid.

Aquileia

Aquileiæ sacris imbutus.3.vnde Honorij & Clementiani nomina sortitus.3.genus.ibid. Patria,educatio.4.5.soror Titiana.ibid. Studia, Presbyter non clarus, publica qua functione.5.6.nec Philosophiæ & rerum diuinarum peritissimus.6.116. Oculorum morbo liberatur olei vnctione 8.336.patriam relinquens.9.à Sigeberto primum excipitur.ibid. & illi additur comes Sigoaldus.ibid. Vixit cum lupo & Gogone Austrasiæ ducibus.10. apud Rhenum & Musellam.10.11. proficiscitur ad Turones.11. adscriptus in familiam Rhadegundis Turingæ.ibid.& 183. sedem in Aquitania figit.11. vbi Pictauiensi Ecclesiæ aggregatus.ibid & Pictauis presbyteratum adeptus.ibid.Inde varias peregrinationes iussu Rhadegundis suscipit.12. Iouinum prouinciæ præfectum amicum habet.11.& Germano Parisiensi episcopo carissimus.12.vixit annis nouem in Britannia.ibid.diuinis studiis acerrimè intentus 13.etiam inter barbaros.31 multa poemata scripsit Ecclesiæ vsitata.13. magni ingenij etsi non exculti.279.eius humilitas egregia.15.117.occupationes & exercitia potissima.16.17.opera anachoretarum.16.castitas.17.cultus erga B.Martinum.ibid. & 11.Santorum laudes.17.opuscula & libri.17.& seq. Pictauis Episcopus moritur.20.22. Epitaphium 22.variorum de illo iudicia.24.& seq. Præceptor Agricolæ & condiscipulus. 7.89.Gregorio Turonensi reduci gratulatur.120.150.ei agit gratias pro libro præstito.131. & villa 212.pro pomis & graphiolus.132.ei puellam commendat.ibid. & peregrinum. 133.Salutat illum.133.134.Episcopis peregrinum commendat.134.à Mummuleno mensa excipitur.174.175.à Galactorio comite pisces petit. 181.à Germano euocatur. 184. morbo impeditur ne Turones ad festum S.Martini adeat 209. Chilpericum Regem solatur.219.metra Sapphica mittit Gregorio.222.223.Mummulenum solatur in morte filiæ. 238 carmina fundit ex tempore.252 Orat Gregorium pro reddenda puella captiua 253. pro eadem Romulphum.254.pro eadem Gallienum 254.pro eadem Florentinum.ibid. Ipsius varia epigrammata ad Rhadegundem,& Agnetem Abbatissam.264.265.& seq. nauigatio.273.iter.274.ad B.Martinum precatio.332.303.113.119. Sollicitat variorum preces. 69.83.89.90.131.133.211.225.276.134.227

S.Fortunatus martyr. 335

Fredegundes Chilperici regis vxor.217.eius virtutes. ibid.

G

GAbalus.opp. 190

Gabrieli Archangelo dicatum templum 242.eius cultus. 252

Galactorius comes. 181.258

Gallienus. 254

Gallimagnus pater Palatinæ. 164

Gallinaria insula. 282

Gallus Episcopus Aruernensis.97.eius epitaphium.ibid.nobilis & vetusta prosapia.ibid puer patriam & parentes relinquit. ibid. & monasticen excolens à Quintiano institutus ad aulam Theodorici transfertur,atque inde fit Episcopus.dono prophetiæ excellens.98.præfuit.25.annis,vixit.60. ibid.

Ganata lantis genus. 180
Gelesuinta. 10.145. nuptui data Chilperico. ibid. mater Goisuinta. abeuntis ex Hispania desiderium. 146. matris oratio filia discessum remorantis. ibid. Sponsa discessus & luctus. 147 matris & filia supremum vale. 148. iter per Gallias 150. in pauperes amor. 151. conuersio ad Catholicam fidem, interitus. ibid. sanctitas post mortem elucescens. 152. matris dolor ad famam extinctæ filiæ. ibid.
Generatio verbi æterna. 281
S Georgij basilica Maguntiæ. 61. eiusdem cultus. 251
Germanus Parisiensis episcopus. 12. 335. eius elogium. 59. Fortunatus euocat. 184
S. Geruasius. 190
Godegisili ducis vxor Palatina. 164
Gogo Austrasiæ dux 10 156. Gogonis in hospites & peregrinos munificentia. 160. facundia. ibid. & 161 formæ præstantia dotes & virtutes. ibid.
Gratiæ diuinæ vis & necessitas. 122
Gregorius Turonensis Episcopus 11. 120. 209. 253. 255. 275. ipsius Turon. de Fortunato iudicium. 24. primordia episcopatus. 120. Consecratur ab Ægidio Episcopo Rhemensi. ib. eius patroni Sigebertus & Brunichildis. ibid. natalitium. 121. Auiti alumnus. 125. salutatur à Fortunato. 132. 133. 134. 211. Ecclesiam Toronicam renouat. 243. mater Armentaria. 255
Gregorius Lingonensis episcopus. 96. clarus natalibus. epitaphium. ibidem. ex iudice sacerdos præfuit. 32. annis. fulgens miraculis. 97
Gundegisilus antistes. 181
Gandoarius. 177
Guntheramnus rex. 182

H

Hamalefredus Rhadegundis patruus. 182. Hamalefredus Rhadegundis nepos. 338. in oriente degit. 339. Hedui, in Gallia ciuitas. 286
Helias inter amicos Fortunati. 159
Herminefredus Rhadegundis auus. 183
Hiemis descriptio. 274. 3[illegible]5
S. Hilarij natale solum. 63. ipsius aduersus Arianos Zelus. duodecim libri de trinitate. ibidem. cultus. 76
Hilarius episcopus. 87. 94
Hilarij presbyteri epitaphium. 103. nobilitas, doctrina, æquitas &c. 103. 104. coniugium. ib. & 103.
S. Hilarius Pistonum antistes. 150. 255. eius laus. 183. & insigne præconium. 281
Hilduini Abbatis de Fortunato iudicium. 25
Hister vel Ister fluuius. 335
Hortus Vltrogothonis reginæ. 154

Hymnus

Hymnus de S. Leontio. 42
Hymnus de S. cruce. 50
Hymnus alius in honorem S. crucis. 55
Hymnus paschalis. 77
Hymnus de natiuitate Domini. 185

I

IGidius Rhemensis episcopus. 86. illius in subiectos studium. 87. facundia. ibid. haresis extirpatio. ibid.
Illacensis nauigatio. 273
Incendij descriptio. 285
Innocentum epitaphium, & eorum matris. 108
Inuocatio sanctorum. 63. vide in Oratione.
Inuocatio S. Medardi. 68
SS. Ioannis & Pauli basilica. Rauenna. 336
Ioannes Diaconus. 94
Ioannis Trithemij de Fortunato iudicium. 27
Ioannes Patauinus. 336
Iouinus Prouinciae praefectus. 11. 170. eius pater Asphasius. 174. frater Leo. ibid.
Italia à Gothis, & Graecis diuexata. 7
Italiam inuasêre Longobardi, & quando. 9
Italia liberata. 7
Iudaeorum cum Aruernis simultas. 122
Iudaeorum synagogam euertunt Aruerni. 122
Iudaei solum vertere iubentur. 123. offerunt se fidei Christianae. 124. baptizantur die Pentecostae. ibid.
Iudaicus faetor abstergitur baptismate. 124
Iudicij extremi hypotyposis. 112
Iuliani epitaphium. 108
Iulianus mercator. 108
S. Iulianus martyr. 120. illius cultus apud Aruernos. 252
Iuliae Alpes. 150
Iustina. 210
S. Iustinae sepulchrum Patauij. 335
Iustinianus Italiam à Gothis vindicat. 7
Iustinus iunior imperator. 374. 342. virtute & religione imperium adeptus. ibidem. Chalcedonense concilium exequitur. ipsius professio fidei toto orbe vulgatur. ibidem. exules episcopos suis sedibus restituit. 343. Constantinum magnum moribus exprimit. ibidem.

L

LAc. 169.270
Laugona in Treuirorum & Hassorum finibus fluuius. 166
Launebodes dux templum S. Saturnino Tolosæ, loco vbi vinctus fuerat, exstruit. 57. ortu clarus. ibid.
B. Laurentij cultus 33. basilica. 228 quædam eius miracula. ibid.
Lemouicina ciuitas. 99
Lemouici templum S. Petri 98. S. Augustini. ibid.
Leo frater Iouini Prouinciæ Rectoris. 174
Leontius Burdegalensis episcopus. 13. & 40. basilicam ponit S. Vincentio. 36. & S. Nazario. 37. & S. Dionysio ibid. basilicam S. Bibiani perficit. 38. basilicam S. Eutropij renouat 39. in somnis monetur de restauratione basilicæ S. Eutropij. ibid. calicem altaribus offert. 39. eius ingenium, militia, stirps. 40. religio & magnificentia in templis erigendis, restaurandis. ibid & 41. Patria 41. baptisterium instaurauit. B. Mariæ fundauit ædes. ibid.
De Leontio hymnus. 42.43
Leontius pulsus in exilium. ibid.
Leontij reditus inopinatus 44. excipitur magno ciuium gaudio. 44. Bissonum. 45. & Vereginem prædia restaurat. 46. item Præmiacum villam. ibid.
Leontius senior siue anterior Episcopus Burdegalensis. 101. eius epitaphium. ibid. pietas & cura pastoralis. 101. 102. virtutes aliæ, & dotes. ibid.
Leontij iunioris siue sequentis Burdegalensis Episcopi epitaphium. 102. nobilitas. ib. virtutes & dotes. ibid. vixit 54. annos. ibid.
Liger fluuius. 130.151.170
Lingonensis ciuitas. 86
Longobardi quando Italiam inuaserint. 9
Loth trinitatis commendat mysterium. 123
Lugdunum. 252
Lupicini ager. 282
Lupus Austrasiæ dux. 10.165
Lupus. 163. 227. eius facundia rei militaris peritia, virtutes, dotes &c. 165. 166 167. 168. 169 epistolam & dona Fortunato misit. 169. Lupi frater Magnulfus. 170
Lycontius S. Martino donat aurum. 330
Lycus fluuius. 335

M

MAgnericus Treuerensis episcopus. 83. Nicetij discipulus ibid. morum sanctitas & virtutes. ibid.
Magnulphus Lupi Austrasiæ ducis frater. 10 170
Maguntia. 226

Magun-

Maguntiæ baptisterium. 61. templum S. Georgio à Sidonio constructum. ibid.
Maracharius. 74
B. Mariæ ædes à Leontio constructa. 41
B. Mariæ laudes. 196. & seq.
B. Mariæ aspectus. 316
Marouius Pictauiensis episcopus. 21
S. Martinus Galliciæ præsul. 6. 115. 118
S. Martini Turonensis cultus. 33. 76. 252. basilica ei à Fausto exstructa. 34. cellula flamma in ipsius vertice conspecta. ibid. & 305. pauperem vestit. 34. 245. 246. 280. 305. nudatus gemmis tegitur. 34. 246. basilica ei à Leontio exstructa. 35. lepram fugat osculo. ibid. & 245. item eius basilica à Basilio, & Baudegunde. 35. ipsius ope Gallia conuertitur. 118
S. Martini Galliciæ præsulis patria. 118
S. Martinus Galliciæ Apostolus. 119. eius incolas Sueuos conuertit. aduersus nouellum gregem. 118
S. Martini cura. 119
S. Martini Turonensis quædam miracula. 244. 245. 246. 247. 248. 252. tres mortuos suscitat. 246. pinum cruce retrocedere cogit. ibid. idola prosternit oratione. ibid. eius iussu falsus martyr seipsum prodit. ibid. eius patria Pannonia. 279. ipse se Christus illi offert illius chlamyde tectus. 280. militiam Iuliani Cæs. deserit. ibid. à latronibus captus vnum conuertit. ibid. dæmonem fugat. ibid. matrem ad fidem adducit. 281. ab Arrianis infestatur & vapulat ibid. monasterio pellitur ab Auxentio. 282. in Gallinaria insula Helleborum sumit. cuius virus oratione pellitur. ib. S. Hilario iungitur Pictauis. & catechumenum à mortuis suscitat. ibid. laqueo oblisum reuocat ad vitam. 283. obnitens episcopus Turonensis eligitur ibid. monasterium construit. 284. aram latronis, specie martyris culti demolitur 284. pompam funebrem crucis signo sistit loco. & arboris ruinæ se opponit. ib. extinguit incendium natum demoliendis fanis. 285. ab angelis iuuatur in euertendo fano 286. se gladio ferientis obijcit. ibid. oratione fana prosternit. 287. sanat puellam paralyticam Treuiris. 288. olei benedicti liquore curat 289 famulum Tetradij liberat à dæmone Treuiris. ibid. Dæmoniacum Treuiris sanat. 290 Cacodæmones falsa rumifcrantes arguit ib. fimbria & vestes eius sanandi vim habent. 292. epistola ab illo missa liberat Arborij filiam à febribus. ib. Paulini oculum tactu sanat. 292. lapsu saucius ab angelo curatur. 293. Apostolicam autoritatem tuetur. 293. Presbyterum præfert imperatori 294. Maximo futura prædixit. ibid. Angelorum gaudet alloquiis. Dæmonum spectris vexatur. 295. premitur calumniis à dæmone. 296. cui veniam promittit si pœniteat. ib. & 297. Dæmon ei se obijcit in imagine crucifixi. 299. hospitalitas; eius & cum Sulpitio conuictus. 301. contemptum sæculi suadet exemplo Paulini Nolani. 301. facundia & dotes variæ. ibid. & seq. inter sanctos gloria. 303. Euantium morbo liberat. 306. puerum à serpente ictum liberat. 307. iumenta terrens horrore vestium, cæditur. 308. apud Carnotum suscitat mortuum. 308. Ex eo multos conuertit. 309. erudit medio rure catechumenos. 310. remouetur à conspectu

spectu

spectu Valentiniani Imp.ibid.ei assurgere Valentinianum flamma cogit.ibid. orandi studium, & mortificatio.314.Valentiniani munera respuit. 311. eius vestigia lambunt sacræ virgines. ibid. stramine sanatur Energumenus in quo iacuerat. 312. Vaccam à Dæmone vexatam in Treuiris curat. 312. ipsius imperio canes à lepore persequendo desistunt. 313. sermo eius spiritali sale conditus. 314. militem ab vxoris desiderio reuocat.ibid. & seq. acta synodi Nemausensis ab Angelo discit 315. B.Maria, Agnetis & Teclæ fruitur aspectu. 316. SS.Apostolos Petrum & Paulum sæpè videt. 316. mutam puellam infusi oleo sanat. 319. oleum dat Auitiani coniugi & sponte exundat. 320. eius nomine canis compescitur. 321. eum pro foribus Auitiani noctu indicant Angeli. 321. ipsius aduentum præsentiunt Energumeni. 322. agrum grandine annali vexatum conseruat. 323. Dæmonem Auitiano familiarem, exsufflando fugat. ib molem idolis sacram subuertit. 324. & columnam profanam diruit. ibid. & seq. solo ipsius attactu mulier à profluuio liberatur. 325. paret ei serpens.ibid. & pisces. 326. sacrificantis manus cernitur ornata gemmis. ibid. Treuiros adit in caussa Leucadij. 327. & synodo noxiæ inuoluitur. ibid. pœnitet illius synodi & communionis. 329. Tristem solatur Angelus.ibid. Energumenum curat.ib. nomine eius inuocato sedatur tempestas. 329. orationibus ipsius domus Lycontij liberatur à lue. 329. 330. argentum à Lycontio oblatum redimendis captiuis assignat 331. nudatum parte tegenda corporis in spiritu deprehendit. 331 Dæmones cernit Briccionem æmulum in se concitantes. 332. & patienter fert obiurgatoris insaniam. ibid. ipsius laudes vberiores. 333. Martyrij laus. 56. 57. 62. & martyrij palæstra. 62
Massilia. 157
S.Matthæus Æthiopes illustrauit. 118
S.Maturæ cultus. 33
S.Mauritius. 62. cum Mauritio quatuor Thebæi proceres trucidati & sepulti. 63
Maximus Imperator. 293. conuiuam S.Martinum ambit. 293. apud Aquileiam occumbit. 295. Maximi vxor famulatur S.Martino. 311
S.Medardus Episcopus. 63. 335. eius vitæ summa. 64. cæcos illuminat. 64. 65. 67. vuarum fures soluit & dimittit. 64. absoluit furem abigentem taurum. 65. liberat compedibus vinctos. 65. aridam manum fœmina sanat. 66. virginem Christo dicat à se sanatam. 67. infantem malè natum restituit. 67. mutis loquelam reddit. 67. eius inuocatio. 68
Mediolanus vel mediolanum. 82. 280
Mediolani monasterium sibi fecit S.Martinus. 282
Mediomatricum regnum. 10
Meldensis Archidiaconus. 93
Mensæ floreæ descriptio. 269
Mensæ regificæ descriptio. 293
Mettis. 84. 156. 249
Mettensis ager fertilis. 84

Munus.

Munus. 270.273
Mors à Christo subiugata.96.non dominatur iustis.98. 104.171. omnia rapit.171.217. 239.& seq.
Mortalitatis origo.239.conditio. 239.241
Mortui reuiuiscentis descriptio. 282.283
Mosa fluuius. 12
Mummolenus.174.241.242. ipsius clarum genus & virtutes. 174. Fortunatum excipit mensa.ibid.qui solatur ipsum in morte filiæ. 238 239
Mummulus. 228
Musella fluuius. 11.12.84.249

N

NAbis seu Nablis fluuius. 157
Namatius maritus Euphrasiæ. 114
Namatius episcopus Viennensis factus. ibid.
Nannetis templum SS. Apostolorum Petri & Pauli. 74.75
Nannetica ecclesia. 72.75
Narbo ciuitas. 150
Narses. 7
Nanciacum. 156
Nauigium Fortunati. 249
Nauis apud Mettim Fortunato sublata. 156
S.Nazarij templum à Leontio. 57
Nicasia vxor Orientij. 109
S.Nicetius Treuirensis episcopus.80 81.illius honor.ibidem.Innocentia. liberalitas, & cura pastoralis.cultus templorum.ib. exstructum ab illo nobile castellum super Musellam. 82.
B.Nicetij Lugdunensis episcopi cultus. 252
Noiici. 235

O

OEnus fluuius. 335
Operum bonorum studium. 95
Orationis dominicæ expositio.230.Petitionis prima.232.secunda. 233.tertia.234. quarta. 237.quinta & sexta.238.septima. ibid.
Orationum petita subsidia. 69.83.89. 90.117. 119.125. 128.131.133.134.211.225.227. 255.256.276.332.304
Orationis vis. 146
Oratorium Trasarici. 62
Oratorium Artanense. 242.251.252
Orientij epitaphium.109.Orientius Palatinus fuit officiis illustris 109.Orientij virtutes & dotes.ibid.Orientius annos vixit circiter.60.ibid.Orentii vxor Nicasia. ibid.

Orna-

Orna fluuius. 250
Osopus riuus. 315
Oua. 271
Ouis euangelica. 314

P

PAdus fluuius. 336
Pædobaptismus. 108
Palatina filia, Gallimagni. 164
Palatina vxor Godegisili Ducis. 164
Palladius Sanctonum Episcopus S. Stephano templum exstruxit. 33.34
Panis quotidianus quis. 237
Pannonia. 118
Pappulus. 156.157
Parisiensis cleri laus & psalmodia. 58.59
Parisiensis populi pietas & hymnodia. 59
Parisiensis ecclesia laus. 60
Pascentius Pictauiensis episcopus. 22
Patris in oratione Dominica notationes variæ. 231
Paternus Abbas. 93.180
Patriarchæ laudes Domino concinunt. 186
Paulinus Nolanus. 301
Pauli Diaconi de Fortunato iudicium. 24
S. Pauli Apostoli cultus. 33.62.74. ad Illyricos & Scythas profectus Paulus. 118. SS. Pauli & Petri encomium. 75. ijdem Romæ passi. 321
SS. Pauli & Ioannis basilica Rauennæ. 341
Paulus Episcopus Aquileiensis Ecclesiæ. 3.340
Petri Criniti de Fortunato iudicium. 29
B. Petri Apostoli cultus. 33.62.74.98. encomium. 74.75. Romam excoluit. 118. eiusdem & Pauli Apostoli doctrina, passio, sepultura, gloria in terra cœloque. 317
Petracorica ciuitas. 100
Pictaui. 282
Placidina. 13.38.45.103. colit basilicam S. Martini. 35. calicem cum Leontio offert 39. eius maritus Leontius. 42. parens & augustale genus. virtutes. ibid.
Platinæ de Fortunato iudicium. 27
Plato episcopus. 255
Plaues fluuius. 8
Poemata foro Traiano recitari solita. 88
Poetæ quinam optimi. 14
Præmiacum villa Burdegalensis. 46. eius descriptio. ibid. & 47. ad Garumnam sita. 47. à

Leontio instauratur. ibid.
Prandium. 270
Præsidij abbatis epitaphium.104.eius vis in exhortando. ibid.
Propheta. 186
Prouincia, Galliæ regio. II 170
Prunella. 271
Pruna. 271

Q

QVintianus B.Galli magister. 98
Quirinus Sisciæ præsul & martyr. 190

R

RAinulphus vel Romulphus. 254
Rauenna 4.viris eruditis celeberrima.5.Rauenn[illegible]emplum B.Andreæ.32.33.item tumulus S.Vitalis.336.item basilica SS.Pauli & Ioannis. ibid.
Regnum in oratione dominica quod. 233
S.Remedij cultus.64.Remedius. 335
Remensis vel Rhemorum ciuitas. 86
Resurrectio Christi. 77
Retenon. 336
Renuatilia castrum. 335
Rhadegundes Turinga.11.183.117.119.120.134.183.184.206.217.225.141. eius auus Herminefredus.183.345.patruus Hamalefredus.183.345.regium genus.183.206.regulam sequitur B.Cæsarij.16.184 187.119. vilem habitum suscipit. 183.regium ornatum spernit.famulis suis ministrat, paupertatis amans & honores contemnens. ibid.confertur cum antiquis mulieribus sanctis.ib. Patrum lectione se reficit ib. quodnam institutum sequuta.187.Agnetem ad virginitatem exemplis impellit.188.corpus affligit.206.208. se includit.208.sollicitatur a Fortunato vt bibat vinum 265.eius prosapia.344.accenditur desiderio Hamalefredi nepotis.338.deflet necem germani fratris.340.petit reliquias S.Crucis à Sophia Augusta.343.crucem adorat.343.eius pater Bertharius. 345
Rhagnemundus episcopus.226.donat Fortunatum lance mensali. 22
Rhedæ gallicæ descriptio. 87
Rhenus fluuius. 335
Rhodanus fluuius. 81.150
Ritus inaugurandi Francorum data acceptaque fide. 151
Roma à S.Petro exculta. 118
Romulfus vel Rainulfus. 254
Ruriciorum episcoporum epitaphium 98.genus vnde.ibid.liberalitas in pauperes.99.Ruricij templa patronis suis condunt. 98

S.

SAbaria Pannoniæ ciuitas. 279

Salia fluuius. 84

Apud Santones basilica S. Bibiani. 38. item S. Stephani à Palladio. 33. item S. Eutropij à Leontio. 39

Sanctorum inuocatio 63. Sanctorum agmen & memoria variis locis. 189.190

S. Saturninus Tolosæ episcopus. 56. eius res gestæ. ibid. martyrium. ibid. & 57. sepultura & miracula. ibid. Saturnino templum à Launebode constructum. 57. Saturninus Roma Tolosam missus. ibid.

Saxones in Galliis baptizati. 80. Saxones victi. 139.166

Sequana fluuius. 12.93. piscosus. 151

Seruilionis epitaphium. 104. Seruilio Palatinus maior domus: filium habuit episcopum, fit ipse presbyter. ibid.

Sidonius Maguntiæ episcopus. 61.22[illegible]. Georgio basilicam extruit. 61. Sidonij virtutes. 226. Rheni ripas munit. ibid.

Sigebertus rex. 9.161. templum à Chlotario cœptum perficit. 9. Nicetium ab exilio reuocat. 10. S. Medardi studiosus. 67. patrinus Gregorij Turon. 120. Sigeberti & Brunichildis nuptiæ. 136. Sigeberti [illegible], Thoringiam debellat. 137.139

Sigismundus Aregisili frater. 11.178.179

Sigoaldus datus Fortunato comes à Sigeberto. 9.256. pascit pauperes pro rege. 256

Sindulphus Diaconus. 95

B. Sisennij cultus. 33

Sophia Augusta Iustini Imperatoris vxor. 343. Rhadegundi mittit reliquias S. crucis. ibid. Helenam refert. ibid.

S. Stephani basilica à Palladio. 33

Sulpitius vitam descripsit B. Martini. 276

Sura fluuius. 250

Syagrius episcopus Augustodunensis. 125. à Fortunato salutatur epistola reconditi stili. 126. solicitatur pro captiui redemptione. ibid. explicatur ei Acrostichorum ratio. 127. inscribitur illi acrostichon. 129

Symbolum Apostolicum cur dicatur. 259. Symboli expositio. ibid. articuli primi. 260. secundi. ibid. tertij & quarti. 261. quinti. 262. sexti, septimi, octaui & noni. 263. decimi, vndecimi, duodecimi. 264

T.

TAruisium oppidum ditionis Venetæ. 4. à Gothis oppressum. 7. Taruisiu[illegible]. 335

Templum vide voces (basilica & Oratorium) Templum S. Georgij Maguntiæ 61. S. Stephani apud Santones. 33. S. Andreæ Rauennæ 32.33. S. Saturnini Tolosæ. 57. S. Petri Lemouici. 98. S. Augustini Lemouici. 98. Templum à Trasarico exstructum. 62. Templum

plum Turonense.243. Templorum frequentatio.91. Templorum exstructiones, Innouationes.32.33.9.37.40.98 cultus.60.82.83.84.86.98. Templorum floribus ornandorum mos.207. dedicatio eorundem, vide Dedicatio. Templa consecrandi ritus.74. Templi Nannetici descriptio. 75
Tetradius Treuirensi proconsul.289. conuertitur ad fidem catholicam. ibid.
Theodechildis regina epitaphium 109. eius munificentia & templorum cultus. ibid. & 143. eius mores & virtutes. ibid. vixit annis 75. 110
Theodeualdus rex. 176
Theodeberti regis filia Berthoara.61. eius clementia & liberalitas. ibid.
Theodorici Gothorum regis munificentia. 4
S.Thomas Persidem peragrauit. 118
Tetrici episcopi Lingonensis epitaphium.97. cura pastoralis, facundia, virtutes. rexit 32. annis. ibid.
Titiana soror Fortunati. 4
Toletus vrbs Hispaniæ. 147
Tolosæ templum S.Saturnini. 57
Toringia à Sigeberto victa.137.130. regni Toringici & prosapiæ regalis interitus. 337
Totila natus Taruisii. 7
Traiano foro audita & recitata poëmata. 88.168
Trasaricus templum exstruxit. 62
Treuiris.81.83.250. vrbs nobilis & vinifera.250. eius ruina antiqua. ibid.
Turris à Felice episcopo exstructa. 89

V

Valentinianus.294. Valentinianus Imperator S.Martino assurgit flamma vi coactus. 310. eius dona respuuntur à S.Martino. 311
S.Valentinus. 335
Vangiones. 280
Venantius Abbas 2. Venantij plures. ib. Venantius Bituricensis apud Turones vixit. ibid.
Venationis descriptio. 313
Veris descriptio. 77.135
Veredunum aut Virdunum vrbs. 90.91
Verego villa Burdegalensis apud Garumnam.46. eius descriptio. ibid. à Leontio renouata & domiciliis ornata. ibid.
Vernemetis etymon.37. ibi basilica S.Vincentij. ibid.
Vestis pretiosæ descriptio. 326
Victoriani Abbatis monasterii Agaunensis epitaphium. 103. eius virtutes. claruit miraculis. ibid. rexit 60. annis. ibid.
Victorius. 74
Vienna. 114

B.Vigilii cultus. 33
Villicus Episcopus Mettensis.84.85.156.illius orandi studium.84.vigilantia officii.ib.misericordia & cultus templorum.85.mensa conuiualis & supellex commendata; ibid.
Vilithuta epitaphium.110 vxor Dagaulfi.ibid.genus & educatio corporis & animi dotes.ib. perit in partu cum prole 111.magna eius in templa & pauperes liberalitas. 111.112
S.Vincentii Basilica apud Garumnam à Leontio posita. 36
S.Vincentii basilica Vernemetis. 36
S.Vincentius martyr Aginnensis capite plexus. ibid.
S.Vincentii basilica Vernemetis à Leontio. 36
Vindo fluuius. 35
Virginitas fœcunda. 67
Virginum sanctarum chorus.186.Virginitas digna quæ Deum pariat.188.eius vindex Christus.189.Virginibus fauent cælites.189. Virginitatis laudes & labores memorans Deus introducitur.190.191.Virginis exemplum solicitantis Deum suo desiderio.191 Virginitas præmio afficitur in cœlis. 193.Virginitatis virtutes comites quæ.192. Virginitatis encomium.194.205.206.Virginitatis [illegible] arbitatis incommodis.ibid. Virginitas præfertur coniugio.196.Virginitatis coniugii & fornicationis discrimen. 314
Visio rerum absentium in spiritu quomodo fiat. 331
Vita huius fragilitas & incertitudo. 145
Vitæ humanæ breuitas. 171.181
Vitalis episcopus Rauennensis 32.eius etymon.ibid.S.Andreæ templum exstruxit. 33
B.Vitalis martyris cultus. 33
B.Vitalis tumulus Rauennæ. 336
Vitreorum specularium in templis vsus. 60
Vltrogothonis reginæ hortus. 154
Vocis in ore formatio. 319
Voluntas Dei & humana quomodo sese habeant in iustificatione. 237.235.236
S Vrcisinus. 336

W

Waldo Diaconus. 227

FINIS.

R. P. CHRISTOPHORI BROWERI SOCIETATIS IESV PRESBYTERI

Ad

VENANTIVM HONORIVM CLEMENTIANVM FORTVNATVM

NOTÆ VARIÆ.

AD BENEVOLVM LEctorem.

VT ante non ita multos annos, Candide lector, te monui, ordinem non alium in hisce Notarum vigilijs, me secutum, quam sub manu res ipsa daret, idque vt tum à me fieret, exempla magna inuitasse eorum, qui in hoc scriptionis genere sudarunt, ita iam in præsentia te monitum iterum volo, haud parum quidem inter eam operam, quam tunc, ex facili tamen, procudimus, & hanc interesse, quam secundæ curæ pepererunt. Nam cum correctorum studio factum esset, vt pluribus locis poëta scripsisse videretur, quod ei in mentem venisset nunquam; spuriosque versus, & furtiuas voces, subiecissent imperiti, quo fallerent vitia poëtæ familiaria, accidit nuper, credo, Dei munere, vt præstantium exemplarium ea copia forte in manus nostras veniret, quorum æstimatione subsidioque tum fucus, de industria, vt apparet poëtæ illatus abstergi, & Fortunatus ex illa nebula, quam ei homines ingeniosi circumfuderant, extractus, sibi tandem omnino reddi posset. Recensione igitur facta, intellexi demum, vel in hoc quoque veteres autores illustrandi conatu, τὸ ἀναμάρτητον, longè maius esse, quam quod in hac mortali vita, quiuis etiam præstet quamlibet circumspectus. Sed tamen errores, quia quam possumus longissime fugere, & euitare cupimus, manebant eæ partes, vt, quod in poematum libris expoliendis studij & contentionis à nobis susceptum, haud inutiliter sperabamus in notis ipsis, quæ poëmata sequuntur, itidem exhauriremus. Laborem hunc, fronte licet exilem, æqui velim, bonique facias; etsi tanti est, vt libres, opto perfruaris.

EPISTOLA NOBIL. ET CL. VIRI MARCI VELSERI P. M. DE FORTVNATI EDITIONE PRIMA QVAM HONORIS CAVSA

tanti viri, non laudis dudum ab se spretæ gratia vulgari patitur P.C.B.

S*Alue R. P. Vereor ne quod Toxilus apud Plautum ait*, Improbus est homo qui beneficium scit sumere, & reddere nescit, *tu de me dictum censeas, qui pro luculento munere, nudis nunc verbis gratias agam habeamque. Sed siue Plautus errat, siue nescire pro nolle posuit; ego verò cum velim maximè, si minus possum reddere, culpa certè vacare videor, apud hominem Theologum inprimis, qui omnium actionum pondus, ex agentis animi sententia maximè æstimet. Interim beneficium agnoscere, fateri, profiteri, pars gratiarum erit, si qua se in posterum melior occasio offeret, caue sis suspicari, me illam non cupidissimè arrepturum. De Fortunato quæris? Mirificè placuit, qui verè iam de se pronunciet*, ego nunc me denique natum Gratulor, *quod priores editiones abortiua, hac vna legitimus partus, mea quidem sententia, censendus videatur? Tum in notis, quas adhuc obiter inspexi, syllabatim perlegendas, quam multa eminent ex vetustatis tenebris sic eruta, vt cum multa doctrina & industria, fortuna etiam quædam obsequens conspirasse videatur. Perge perge quæso, quod ego te sæpe hortari memini, forulos Fuldensis bibliothecæ excutere, in quibus post tantum naufragium, multas adhuc tabulas latere suspicor, blattis tineisq; non gratificandas. Et habes Principem, cuius pietas, constantia, & in bonas literas propensio, cum antiquis patribus comparanda, ad omnia magna te excitare debet. Vale. Et Deum pro me ora. Augustæ Vind. Kal. Iunÿs Ann. M. DC. III.*

Reu. tuæ

Addictiss.

Marcus Velserus.

A D



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI

LIB. I.

Epistola ad Gregorium.

DOMNO SANCTO &c.] Titulus is multis imposuit, vt Gregorium magnum hic intelligi crederent. Idem in Calaritano exemplari paulò secus ita legebatur: vt errorem non minueret, sed propagaret: VIRO APOSTOLICO ET PRÆDICANDO PAPÆ. Sed nimirum hæc *papa & apostolici* nomina latius olim patuere; quam vt in solum Romanum conuenirent antistitem. Obuium id cuilibet, & in superioris & huius æui patrum monumenta vel oculos conijcienti. Hoc etiam verborum honore passim Fortunatus, vt ceteros Galliæ episcopos, sic Gregorium præcipuè Turonensem, æqualem & amicum prosequitur; à quo item operis primordia capit. Turonensi verò Gregorio, cum hac epistola inscriptum opus, tum illa à D. Martino poëtæ religio obiecta, tum Gregorij propria per communem patronum facta obtestatio, rem omni dubitationi eximit. Præfatio autem hæc, quæ excusationem habet operis à modestia scriptoris, & otij temporisque penuria ad scribendum idonei, in Calaritano erroribus plena reperiebatur: in alijs, vt opinor, studio prætermissa, in MS. etiam plerisque desiderata; S. Galli verò codex quia hic palmarius, iccirco procemij titulum ex eo vindicare malui, quam retinere vulgatum. In quo Domni appellatio venerationem præcipuam habet, apice vno ex Domini voce re-

Gregorio Turonensi dicata Fortunati poëmata.

Domnus.

voce reiecto: quem morem ſequitur inter alios S. Paulinus cum Felicem Nolanum patronum ac Domnum ſuum ſalutat, epiſt. ad Macarium, & hic paſſim Fortunatus: retinet hodieque publicus litaniarum vſus, VT DOMNVM APOSTOLICVM &c. Onuph. interp. vocum eccleſ. obſcur. & paulò nos oportunius ad librũ III.

CELEBRATVRA] & in calce præfationis CONLATVRA familiarem Fortunato ſolęciſmum habent, pro celebranda & conferenda; vt etiam priſcè pro cura hic antè poſuit curatura.

COLÆ.] Calar. ſcholæ. ſed emendatius à Pulmanno libri G. S. & S. Galli MSS. Cola verò quid ſit in vite loco ſuo meminerimus. Suſpicatus aliquando ſum, Colophone, legi poſſe: cum boni autores τὸν κολοφῶνα τῷ λόγῳ non raro vſurpent.

PADVM, ATHESIN, BRINTAM, PLAVEM, LIQVENTIAM TILIAVENTVMQVE.] Mirę hic offuſę vocum labes: pro Brinta Birrus: pro Plaui Plouis. TILIAMENTVM. Quod Leandri interpres Tiliauentum dixit, iam Teliamentum, aut Tiliamentum ſcribi rectius, compertum habemus. Huc vetuſtior it librariorum manus, & in Paulo Diacono eius manſere veſtigia. Lib. II. c. XIII. Birrus autem quam merito Italiæ fluminibus ijs, quâ Alpes Iulias Fortunatus appetiit, eiectus, non vllius magis, quam ipſius ſententia defendero: qui hac eâdem viâ libellum ſuum amandans ex Gallijs, iter iam meritò ſic inuertit, vt primo Brintam ipſi adeundum, hinc Atheſin, mox Padum monſtret. libro IV. vitæ S. Martini.

Birrus.

Hic tibi Brinta fluens, iter eſt Retenone ſecundo,
Ingrediens Atheſin, Padus excipit:

At Birrum magno hinc interuallo in Noricis illi ſuperandum, oſtendit; ita vt Atheſin & Plauem interfluere nequeat, quorum medius eſt Brinta ſeu Medoacus, celeberrimus in Veneta ditione riuus. Fortunati verſus, qui Birrum in Noricis ponit, hic eſt:

Norica rura petens, vbi Birrus vertitur vndis;
Per Drauum itur iter.

Birrum ergo locis inalpinis deſcribit, quâ Norici olim inſederunt, Rætis & Vindelicis, Plinio teſte lib. III. c. XX. contermini. immo & Draui quoque fontibus vicini: cum ſpacia propter Oenum occupa-

occuparent, qui limes inter illos & Rętos ſeu Vindelicos Taciti lib.III. hiſtor. Plin.li. III.c. XXIV. Nec deſciſcit ad omnem elegantiam factus & virtutem CL. M. Velſerus lib.I. rerum Aug. Vind. cui, vt vſum libri debeo ex S. Galli bibliotheca tranſmiſſi, ſic & hoc gloſſema acceptum fero: quo Noricum ibi Charanta, quam arinthiam dicit vulgus, interpretabatur. Ceterum riui quotquot hic nominantur à Fortunato, in Italia viſuntur Tranſpadana, & Foroiulij, in Adriaticum plerique ſe exonerantes.

MONTANIS ANFRACTIBVS DRAVVM NORICO; OENVM BREONIS: LYCAM BOIARIA &c.] Vt conſequens hęc oratio ex ſe nexa, apte flueret riuos & flumina, ceu prouincijs, per quas iter habuit, terminos adiecit: pro eo itaque, quod legebatur Noricenum, Breonem, vulgo; Drauum Norico, Oenum Breonis MSS. autoritate reponendum duximus. Fateri namque cogimur in membranis, quæ Th. Pulmannus contulit, ab hac ſerie abeſſe Birrum; quo ſcilicet excluſo, rectè ſeruetur interpunctio, quę lib.III. rerum Boicarum pag. 186. ad oram marginis expreſſa. Plauem, Liquentiam, Teliamentumq; tranans, per Alpem Iuliam pendulus montanis anfractibus, Drauum Norico, Oenum Breonis, Licam Bauaria &c.

Birrus interim, vt ad calcem poëmatis de S. Martino, ita & in hac epiſtola olim lectus videtur, etſi loco non ſuo poſitus. Verum in Nurico & Norico; Lica, Lecha, & Lycca? * Bauaria & Baioaria, Baiuariaque: Danuuium & Danubium: Garonna & Garumna, Veteres librarij more ſuo luxuriabant. BREONIS. Rectus ei hic Breoni, quod Breones alijs. Breones namque ipſe gentem Boiarijs finitimam dixit.

* Bauariæ multiplex flexus. lib.I. rerum Boicar. ad finē.

Breones

Si vacat ire viam, neque te Boiarius obſtat,
Qua vicina ſedent Breonum loca, perge
per alpes.

Breones itaq; remotiores, Italiam verſus, & veriſimiliter ijdem, qui Ptolomæo Βρεῦνοι Vindeliciæ populi, aut certè Brenni, de quibus adi clariſſ. patricium Velſerum, qui inter Lycum & Oenum Briones poſuit, eorumque memoriam ex Diacono Freculpho & Gregor. Turō. illuſtrauit: Rerū Aug. li.VIII. Ab eo, quid diſcrepēt

Breones.

ceteri,

ceteri, diſcas ex ſynonymis Ortelij geographicis. Id tibi verò ſit in hiſtoriæ documento; Boios ſiue Boiarios tum etiam adrepſiſſe ad Lycum, & appropinquaſſe Vindelicis: quemadmodum & Alemanos adſediſſe Danubio.

BARBAROS LEVDOS HARPA RELIDEBAT.] Harpæ vti vox, ſic & vſus in noſtra gente manet. de ea & leudis ad lib. VIII. notabitur aliquid.

DE ROSO FLORE.] vulg. de roſeo flore. ſed MS. S. Galli præferendus: anteceſſerat enim Muricus poëta. Cetera variantis aut deprauatæ lectionis accuratius hac ſecunda editione ſeu margini adſperſimus, ſeu repoſuimus in contextu. nam ad ſingula quæque præconem conducere, niſi aliud cauſſa poſcat, moris non eſt noſtri.

I.

VITALEM Rauennatum archiepiſcopum, ob D. Andreæ apoſtolo poſitam ædem, laudat: dedicationi memorans ſuperueniſſe Exarchum & Nomophylacem ſiue præfectum legibus. Nam partem eam verſus. DVX NITET HINC ARMIS, de Exarcho capiendum interpretor. ſediſſe autem Vitalem eo tempore, quo Fortunatus adhuc Rauennæ ſtudiorum gratia viuebat, ipſum poëma ſatis arguit: quo veluti præſentem & coæuum affatur. At Vitalem in catalogo Rauennenſium archiepiſcoporum non inueniſſe locum, vix ferri poterat: ni ſcriptor Rauennatum hiſtoriæ, ceteroqui diligens huius teſtimonio poëtæ caruiſſe manifeſtus eſſet. Nam ab vſque Hunnorum & Attilæ aduentu, hæc teſtata ſatis pontificum ibi ſeries. Petrus, Aurelianus, Eccleſius, Vrcicinus, Victor, Maximianus, Agnellus, Petrus qui in Narſetis æuum incurrit, Iuſtiniani imperio, florentis militiæ ducis. Vitali itaq; nullus ibi reliquus locus, ni Fortunati beneficio à temporum iniuria vindicetur. Illa ſimiliter de ortu vtriuſque baſilicæ D. Andreæ apud Rauennates, Hieronymi Rubei diſputatio, munimentis haud vſque quaq; firmis inſiſtit, cum ad Petrum Chryſologum alteram, alteram ad Theodorici Gothorum regis munificentiam referre ſtudet. ſed alterutrius à Vitali conditæ & ab ima eductæ baſi teſtimonium

Vitalis Rauennæ epiſcopus

B. Andreæ apud Rauennates baſilica.

testimonium perhiberi luculentius, quam hic, nullum, meo quidem animo, potuit.

II.

ORNAMENTA eiusdem basilicæ, sanctorum puta reliquias, hic enumerat, quas perfectę à Vitali basilicę Ioannem antistitem Rauennatum intulisse, docet. Hinc iterum haud obscurè coniicio, Rauennensem historicum, si huius documenti copia extitisset, Vitalem Petro seniori subiecturum fuisse, medium scilicet inter istum & Ioannem Romanum. aliquid etiam detracturum de tempore, quo Petrum ad consulatum Tiberij III. & Mauritij protulit. Ceterum titulus aut epigraphe poëmatis in MS. S. Galli variabat. DE TEMPLO DOMNI ANDREÆ, QVOD ÆDIFICAVIT VITALIS EPISCOPVS RAVENNÆ. Ioannes Rauennæ episcopus

ECCE VIGILI ARX EST.] Hanc lectionem Calar. dissimulauit Ven. corrup. Ecce vigil arx est. Sangallense extendit. Ecce Vigili arx est. * At Vigilij martyris sedes cũ ostẽditur, res ilico liquet. *Quo modo legunt omnes MSS.

MATVRIVS ATQVE SISENNVS.] Hęc germana veterum codicum scriptura. pro qua vulg. Serenus aut Martyrius. Fuit extructum hac in basilica tropęum Anaunensibus martyribus Sisinnio, Maturio & Alexandro, quorũ in ecclesia ad XXVIII. Maij, haud incelebris memoria. Passi verò ab Illustriss. Baronio perhibentur VI. anno Honorij, Stilicone Cos. sub Christi annum CCCC. aut, vt in prologo nouo pugnat temporum restitutor, triennio serius. Titulum Anaunensium consecuti à loco, vbi pro Christi amore à fera agrestium multitudine cæsi occubuerunt: quemadmodum Nouarienses sub Valentiniano à Nouaria: & Agaunenses sub Maximiano ab Agauno, tulere vocabulum. Agaunẽsium verò & B. Aug. epist. CLVIII. & Paulinus in vita S. Ambrosij meminerunt, Diligenter ad XXVI. Iunij illustrissimus Baronius ex Vsuardi martyrologio, & in annalibus obseruauit. Vigilium martyrem eodem consulatu Stiliconis, & ab iisdem gentilibus occisum, meritò annumerari isti beatæ Anaunensium coronæ. cuius adeo vel hinc iam documentum sumi potest clarissimum. Vigilium enim poëta minime siluit. Nec obstat quicquam varietas ista nominum Sisenni & Anaunenses martyres.

Sisinnij. Maturij ac Martyrij, cum id genus mendorum non profanis magis, quam sacris monumentis facile obrepat.

HÆC BONVS ANTISTES IOANNES.] Paulus diaconus libr. III. Longobard. hist. c. XIX. vbi Droctulfum fortissimum Alemanicæ originis ducem Rauennæ tandem extinctum & in B. Vitalis martyris æde memorat sepultum; addit epitaphium à Rauennatibus illi positum ob præclara ducis in populum Rom. studia, cuius partem Ioannes hic occupat.

Martyrij auxilio Vitalis fultus ad istos,
Peruenit, Victor sæpè triumphat ouans
Cuius & in templis petijt sua membra iacere,
Hæc loca post mortem fausta futura putans.
Ipse sacerdotem moriens petit ista Ioannem,
His redijt terris cuius amore pio.

Ioannis Rauenn. Episcopus memoria vindicata.

Atqui Ioannes, inquis, illene bonus, quem damnatorem trium capitulorum idem Paulus cap. XXVII. narrat ab ecclesiæ Romanæ, iam inde à Vigilij vel Pelagij pontificatu, desciuisse autoritate? quemque Sigonius hominem audacem facit ad ann. DLXXXV. histor. Italiæ, & superbia contumacem? Quin verò bonus & inculpatus vt sit, istius natura caussæ facit, si non aliud Ioannem premit; quam quod, cum vniuersa ecclesia, trium capitulorum damnationi subscripsit. Vindicauit igitur illum meritò ad an. DLXXXVI. quoad trium capitulorum sententiam Baronius: in qua Paulum cum recentioribus nonnullis allucinatum, contendit.

III.

Gregorij Turonensis quàm vtilis historia.

NVNQVAM negabo; quin potius apertè lubensque profitebor, Gregoriū Turonensem de ecclesiastica historia & Francorum gestis rebus, præclarè mereri, paucosque experiri, quanta ex illius lectione vtilitas capiatur ab ijs, qui non vnam historiæ Romanæ partem; sed vniuersum genus amplectuntur: idque grauatè agnoscere sanè doleo illos, qui sua qualiacunque, ex hoc tamen vno concinnant. Nam vel in præsentia eius sanè litteris & narratione instructus, en tibi & basilicæ Sancti Stephani conditorem Palladium, & vrbem, in qua condidit, ostendo. Nam histo-

historiæ Francorum lib. I. cap. XXXI. apud Biturigas Ecclesiam extitisse narrant, miro opere compositam, & reliquijs illustratam Protomartyris Stephani. Deinde libro I. de gloria martyrum, cap. XXXIII. Sacrosancti Leuitæ sanguinem in Ecclesia Biturigarum asseruatum meminit. Et Sancti Stephani patrocinium hodieque Bituricensem Ecclesiam retinere, testis est, in Notitia episcopatuum Galliæ, Papirius Massonus. Ceterum in Biturigæ veteris Episcoporum albo duos numerant Palladij nomine: quorum posterior in Vsuardi martyrologio ad VI. iduum Maij hoc habet elogium. *In agro Biturico Galliarum Sancti Palladii Episcopi & Confessoris.* Quæ quidem tam multæ res me in diuersum ire, & Sancti Palladij basilicam è Santonibus transferre cogunt in Biturigas. Et hâc præit quoque limati iudicij scriptor Ioannes Sauaro in commentario ad Sidonium, qui in concione sua, stirpem Palladiorum eximiè prædicat, cum illam, ait, in Gallijs aut litterarum, aut altarium cathedras cum sui ordinis laude tenuisse. Santones etiam in Aquitania Palladium habuere magnarum calamitatum, & claro, in Guntrami regia, loco, pontificem. Is, quia Faustinianum Aquis temerè episcopum initiarat, varijs ea caussa, quas libro VIII. Gregorius passim attingit, ærumnis exercitus est. Rara tamen eluxit in viro pietas & religionis studium. nam cap. XLIII. marinum eius secessum ad prouocandum orationis ardorem Gregorius idem celebrat: & libro I. de gloria martyrum cap. LV. meminit, qua veneratione & cultu B. Eutropij reliquias æuo & hominum obliuione non minus, quam humo sepultas, inuestigarit.

S. Stephani basilica apud Biturigas.

Palladius Bituricensis episcopus.

Palladius Santonum episcopus.

Extet vt inde sibi, aliena id manu illatum, quare hic reposuimus ex probatis libris. Vnde sibi sciat.

IV.

AQVITANIÆ præsules ob eximiam commendationem magnificentiæ in publicis sacrisque basilicis constituendis, hoc primo libr. impensè carminibus attollit. Vndè coniecturam nunc facio, vt Faustum hunc basilicæ S. Martini autorem, Auscensem præsulem interpreter; nimirum eum, quem Gregorius libr. VIII. c. XXII. historiæ Francorum intulit.

Faustus Auscensis Præsul.

V.

ARGVMENTVM hoc Sulpitius Seuerus occupauit prosa. Vitæ S. Martini dialog. II. c. I. Distichon postremum MSS. quidam diuellunt sub titulo. ITEM AD EVNDEM, vel ad Gregorium clausula.

VI.

LEONTII Burdegalensis episcopi & Placidinæ eius olim coniugis venustè pingit structuram, quam religionis ergo B. Martino moliti erant, in prædiorum suorum rure, alicubi iuxta Burdegalim. Leontium canit in eminenti & aspectabili positam colle ad fastigium eduxisse; at Placidinam supellectile sacra & reliquo adparatu eandem instruxisse. De vtroque cum alibi, tum in poëm. xv. copiosius.

Certantesque simul.

Id nimis licenter Calar correxerat.

Atque simul certant.

VII.

Basilius & Baudegundes.

HAVD perinde noti Basilius & Baudegundes par coniugum illustrium nec otiosis facultatibus exiguaq; re. Occurrit animo Pictaui incolas fuisse; illum Gallica, hanc Francica origine, generosos vtrunque. In thalami societate, scio, annos vnà viginti exegisse. Basilium etiam ingenij & doctrinæ, ac præsertim eloquentię laudibus, & præcipua apud reges gratia floruisse. Sic epitaphium ipsius memoriæ scriptum. lib. IV. vbi latius inquiro.

SIC MARTINE TVVS HONOR.] deprauatè hic vulgata exemplaria. Sic martyr tuus amplus honor vbique meretur, & Baldegundes ferebant pro Baudegundes.

VIII.

DEINCEPS munificentiam pari iunctam religione opulentissimi quondam senatoris Leontij, tunc Burdegalensis episcopi varijs incipit ornare encomijs, singula eius opera templaque proprijs

propriјs poëmatiјs, haud ijs quidem inelegantibus, exprimens. Orditur ab opere, quod apud Garumnam. S. Vincentio martyri dicarat; martyrisque breuem memoriam subijcit, eius item sacras reliquias inibi cultas memorans. Cæterum hæc Basilica antiquæ religionis frequentia & fama meritorum in Gallijs erat olim iam celeberrima, solumq; stannea tectorum ornamenta, Leontij ope, accesserant. vnde poëta.

S. Vincentij apud Garumnā basilica.

Et licet eniteat meritis Venerabile templum,
Attamen ornatum præbuit iste suum.

Inclytum ministerio & sacra gaza fuisse, Greg. li. VII. hist. Franc. c. XXXV. ostendit, quando Guntrami regis copias narrat ducesque ob sacrilegio pollutam hanc ipsam basilicam, diuina ac cœlesti vltione, graues violati templi exsoluisse pœnas: idemque repetit lib. I. de gloria martyrum c. CV. Illud vero, quod illustrissimus Baronius Vincentij Hispani martyris titulos cum eius, cui hæ basilicæ dedicatæ, confundit, cautione indiget; & dissimulanda forte non tanti res, ni & sequentis poëmatis ita materies & sententia nobis periret. Narrat ergo præstantissimus is vir, ad annum Christi DXLII. ex Gregorij lib. III. c. XXIX. quemadmodum Vincentij martyris reliquiæ Chlotarij & Childeberti regum armis exportatæ ex Hispanijs, erectæque Parisijs basilicæ impositæ sint. Hinc verò morem promanasse Galliarum: vt huius Vincentij passim beata pignora colerent, & eius honori templa statuerent. Idemque ad annum DLXI. repetens, basilicam B. Vincentij vltra Garumnam, & eam, quæ in Vernemete, Cæsaraugustano vtramque martyri adscribit. Secus autem eam habere rem, & de Vincentio Aginnensi, vt etiam Baronius olim ipse ad martyrologium Rom. notarat, hos accipiendos esse versus, tam liquet, quam solem lucere meridie. Nam quem antea testem perhibui Gregorium, is basilicam hanc apud Garumnam, diserte scribit Sancti Vincentij fuisse diaconi & martyris Aginnensis: eius verba sunt ROBVSTIORES VIRI IPSVM [GVNDOBALDVM] SICVT IAM GARVMNAM TRANSIERANT, INSEQVI DESTINANT. QVIBVS PROPERANTIBVS, VENERVNT AD BASILICAM S. VINCENTII, QVÆ EST IVXTA TERMINVM AGENNENSIS

S. Vincentius martyr Aginnensis.

SIS VRBIS: VBI IPSE MARTYR PRO CHRISTI NOMINE AGONEM DICITVR CONSVMMASSE. Obſcurior Gregorij hic locus l. VI. de emendatione temporum oportune, vtinam & ex animo, à Scaligero illuſtratus eſt. Baſilicam enim hanc ſitam quidem fuiſſe prope á Lugduno Conuenarum, ad vallem Caprariam rectè narrauit Gregorius; ea verò parte hæret aqua, quâ baſilicam ait fuiſſe iuxta terminum Aginenſis vrbis, quod de martyre ſcilicet, non autem de baſilica dictum oportuit: ſiquidem intra terminum Aginnenſis vrbis agonem Vincentius pro Chriſti amore finijt. Planiſſimis enim verbis ita tradũt martyrologia: VINCENTIVS DIACONVS AGINNENSIS CAPITE TRVNCATVS EST, PRO CHRISTO, IN LOCO, QVI DICITVR POMPEIACVS, AD IPSVM AGINNVM, V. IDVS IVNII, At hanc baſilicam, vt & vallem Caprariam, Scaliger contendit, abfuiſſe Aginno pluſquam itinere quatridui. Verum, vna forſan termini notatione, haud difficulter remoueatur hæc Scaligeri ſubtilitas. Familiare eſt namque Gregorio, terminos non vrbium pomeria, vel amburbialia ſpacia, ſed ipſos accipere quoque prouinciarum diſtrictus; quomodo lib. IX. cap. XVIII. & alibi terminum Nanneticum, Brittannorum incurſionibus nobilem. lib. V. c. XLI. Pictauum terminum; lib. VI. c. XII. Turonicum, appellat loca, quibus & palati exercitus, & prædę actę, haud obſcuris amplitudinis indicijs, quam pro vrbe, maioris. Iam pagum quoque Aginnenſem, vſu veterum, pro territorio Aimoinus lib. III. c. XV. vſurpauit. Sed quicquid eius eſt, B. Vincentium ab illo Hiſpano, vtique tenemus hic diuerſum; cuius neque clarius indicium, quam ex ipſo prorni Fortunato poteſt, genus etiam ipſum martyrij canente.

Terminus

Aginnenſis pagus.

S. Vincentius hic diuerſus à Cæſarauguſtano.

Vertice ſucciſo rapuit qui ex morte triumphum.

At Cæſarauguſtanus ille leuita non obtruncatione capitis, ſed diuerſo leti genere vitam finijt, prunis ardentibus candentibuſque laminis ambuſto corpore, & fragmentis lancinantium teſtarum confectus. *Acta publica. Breui: Rom: Prud. Periſtephan. himn. V. martyrolog. XXII. Ianuarij* Conſtat ergo ab hoc longe quidem alium Aginnenſem martyrem fuiſſe, templorumque honoribus in Aquitania, cæteriſque locis Galliarum prius etiam nobilitatum

litatum: quam Cæsaraugusta alterius in Galliam reliquiæ inferrentur.

IX.

FVIT & in Leontij operibus hæc Vernemetis basilica B. Vincentio quoque sacra. Vernemetis autem vicus Aquitaniæ seu prædium, haud procul Burdegali abfuisse videtur: vbi ex veteri quopiam gentilium fano templum fecisse Leontium, & eius dedicationem fugati dæmonis cumulasse miraculo, prædicat. Admonet autem prisca vox Gallica Vernemetis, ab hoc male fracto latiali longè fuisse vetus Gallorum idioma. nam quis huius Francicæ gnarus ex Vernemeti fanum nobis ingens exstruat, quod tamen significatum diserte poëta prodidit. Explosimus hinc *fauum ingens*, id quod magno errore vulgata legendum suadebant. Oportunè vero hic ad basilicæ consecrationem Dæmonis expulsio celebratur, cum, præter alias dicandarum ædium causas, & hæc afferri soleat, vt tetri spiritus longè submoueantur ab hominum cœtibus, maneatque purum ab eorum illusione solum. Quam rem illustri exemplo probat Gregorius magnus lib. III. dialog. cap. XXX. & Sigebertus ad an. Christi 871 cum apud Agrippinenses, quo tempore maior ecclesia dedicanda fuit, auditæ voces præcedente nocte, & malignorum spirituum eiulatus, quiritantium, olim possessis & amicis se iam sedibus expelli.

Vernemetis basilica de qua post inquirimus

Dedicatio templorū miraculo fugati dæmonis nobilitata.

X. XI.

ÆDEM vtramque cum B. Nazarij, tum Dionysij angustiorem, quam pro amplitudine martyrum, Leontius nouis vtrobique tectis explicat, Burdegalensi populo, & religioni suorum oportune consulens. In posteriori autem poëmate canitur Amelius Leontij decessor, & B. Dionysij martyris acta.

XII.

SANTONIS D. Bibiani honor erat eximius: quem & Viuianū antiquitas appellat. Recensent eum martyrologia ad XXVIII.

sextilis

sextilis. Gregorius etiam Turonensis suburbano Santonum sua ætate, vicinum Troiano episcopo tumulum habuisse testatur, c.LVIII. libri de gloria Confessorum. fuisseque tunc in manibus librum, qui molem quandam eius virtutum & prodigiorum, traderet: crebram verò solicitatum precibus eundem sanctum, languentibus impertijsse sospitatem. Huius itaque patroni tam benigni memoriæ, vt basilica staret, admolitus erat Eusebius. Santonum episcopus: sed morte interueniente cœptis, Emerius, quem praué vulg. Demetrium appellarunt, curam illam excepit, vix oneri & ipse sumptibusque sufficiens. Opus itaque Leontij fuit & Placidinæ gazis, hominum propensæ munificentiæ in remp. Santonum. nam vt alibi Fortunatus canit.

S. Bibianus Santonum episcopus.

Leontius Burdegalensis episcopus templorum conditor & instaurator.

Non solum hic [Burdegali] *sed vbique micant tua templa, sacerdos,*
Inter quæ plaudens Santonus, illa docet.

Auro itaque, argentoque, & artificiosis alijs operibus, clarissimi coniuges affectam à se consummatamque basilicam, cum martyris sepulchro mirificè exornarunt. Hanc autem elicuisse beneficentiam Santones, equidem conijcio, quia Burdegalensis ecclesiæ, cui Leontius Metropolitanus iura dabat, fuere prouinciales. Vnde & Emerius hic, nuper à Leontio Santonis coacta synodo, abdicatus, & mox in gratiam receptus perhibetur, quia sedem illam, autoritate Chlotarij regis, cleri ac Metropolitani suffragijs antelata, inijsset, Gregorius lib. IV. histor. c. XXVI. Et verò, mi lector, hic etiam tum, vides, curæ fuisse splendidissimis hominibus, laudatam eam maiorum consuetudinem: martyrum conditoria, sanctorumque tumulos, quantiuis pretij cohonestandi metallis: sensusque eorum ab his, quibus illa Iudæ parsimonia semper in ore, VT QVID PERDITIO HÆC! sane quam extitisse diuersissimos.

Emerius Santonū episcopus

Ornatus templorū defensus.

Porro vltimus pentameter, qui olim: Præmia dum proprijs reddat: iam restitutus est.

XIII.

LEONTIVM, narrat, per quietem admonitum de S. Eutropij, iam tum æuo fatiscente, Santonis, instaurando templo.

Sanctum

:um verò Eutropium primum illius ecclesiæ episcopum, à B. iente istuc euangelij causa missum, vna cum Gregorio Tu- libro I. de gloria martyrum c. LVI. affirmant Fortunatus, & :merides sanctorum ad XXX. Aprilis. APVD SANTONOS :ROPII EPISCOPI ET MARTYRIS, QVEM S. CLE-NS PONTIFICALIS ORDINIS GRATIA CONSECRATVM, DI-:IT IN GALLIAM, &c. S. Eutropius Santonum Præsul.

Addit Gregorius, Palladium episcopum & martyris memo-n primum in lucem, prodigij monitu, vindicasse: & dignam ro eius pignori aptasse sedem: quam nouis subinde operibus am Leontius instaurauit. In his poëta opus interrasile perhibet, ligno, artificum magno elaboratum ingenio. de quo venustè xit.

Quos pictura solet, ligna dedere iocos.

uo modo superiori poëmate pari elegantia dixerat.

Artificemq; putes hic animasse feras.

XIV.

CALICIS donũ ad sanguinis dominici in sacris altaribus oblationem, vide quæso, lector, quam frequentatum! Quod autem hic, mirè quam distortum in editis legebatur. Calix sacer ad vsus sacrificij.

Quorum est altaribus aptus vterq;

omnium veterum MS. consensu restituit.

Quorum labor est altaribus aptus.

XV.

LEONTII episcopi & Placidinæ eius olim coniugis encomium. Capita laudum in margine poëmatis expressimus. Genus, licet auito stemmate nobilissimum, non aperuit tamen. Retulero equidem eum ad Paulinorum prosapiam, in quibus Pontij prænomen insigne, quod alter etiam Leontius tulit, quem C. Sol Sidon. Apollinaris L. VIII. epist. XII. memorat. ECCE IAM LEONTIVS MEVS FACILE PRIMVS AQVITANORVM: ECCE PARVM INFERIOR PARENTE PAVLINVS: AD LOCVM, QVEM SVPRA DIXI, PER GARVMNÆ FLVENTA REFLVENTIA, NON MODO TIBI CVM CLASSE, VERVM ETIAM CVM FLVMINE Leontij Burdegalensis episcopi prænobilis laus. Genus.

Pontij Paulini.

OCCVRRENT. Fauent & patria & possessionum amplitudo, & locorum ac nominum affinitas, ipseque textus orationis. Etenim in Burgo Pontij Leontij Sidonius idem poëticè vaticinans, ait.

Hos inter fluuios vni magè proximus vnda est.
Aethera mons rumpens, alta spectabilis arce,
Plus celsos habiturus heros, vernamque senatum,
Quem generis princeps Paulinus Pontius olim,
Cum Latius patriæ dominabitur, ambiet altis
Mœnibus, & celsa transmittent aera turres.

Paulini Treuirorum antistitis genus

Nec vereor Paulinum illum celeberrimum Treuirorum antistitem, qui sub Constantio Constantini F. pro Catholica veritate, & ὁμονοίν defensione, fortiter exsilium pertulit, ad idem reuocare genus; quandoquidem ex ijs Aquitaniæ partibus in Treuiros is accessit; nec sine commendatione opum, & autoritatis senatoriæ, in externa & ambitiosa rep. tantum meruisse fastigium, ex eius temporis conditionibus æstumo.

In hoc expoliendo carmine, cum priores libri non satisfecissent, fateor, posteriorum inspectione, magnam facem huic poëmati illuxisse. Cuius, si non fastidis, hoc vno sub aspectu specimen edo. Quod initio positum. RADIANS AQVITANIA SAXIS. iam Aquitanicus axis. Quod, tu verbi antistes haberis, correxi. huic vrbi (Burdigali) a. h. Quod languidè. reliquas supra caput extulit vrbes, nunc, reliquas caput hæc super. e. v. Denique distichi noui lucro sententiæ iactura redempta.

Sola tenet. &c. Hæc tibi templa dabit.

Sed forte nimium, ista hic ostentasse.

Baptisterij vsus & structura.

INSTAVRATA ETIAM EST SACRI BAPTISMATIS AVLA.] Baptisteria prisco Christianorum vsu, fermè seorsim à basilicis exstructa; idque suadebat decorum; quod, cum immersione plerunque catechumeni tingerentur, facilis & occultior ijs ad sacras vndas pateret accessus. Paulinus ad Seuerum epist. XII. baptisterium scribit ab illo conditum basilicis duabus interlocatum; idemque disticho referens, ait,

Diues opum Christi, pauper sibi, pulchra Seuerus
Culmina, sacratis fontibus instituit.

Grego

Gregorius etiam Turonensis lib. x. de seipso : Baptisterium ad ipsam basilicam ædificari præcepi; in quo S. Ioannis, cum Sergij martyris, reliquias posui : & in illo priore baptisterio S. Benigni martyris pignora collocaui. Gregorio vetustiores Prudentius hym. 8. Peri stephan. Sidonius lib. iv. epist. xv. de Ruthenensibus. Baptisterium, quod olim frabricamini, scrib[illegible] iam posse consecrari. sed etiam ante illum Cyrillus catech. myst[illegible]. 1. porticum baptisterij nominauit : & Romæ baptisterium Constantinianum iuxta Lateranensem basilicam stetisse, & Bibliothecarius in Adriani vita, & Onuphrius lib. de præcipuis vrbis basilicis, non tacuerunt. Legere iam te malo Io. Stephanum Durantum, qui copiosè iuxta ac eruditè argumentum hoc tractauit : lib. 1. de ritibus ęcclesiæ cathol. cap. xix.

SANTONVS.] Ad Carantonum flumen in Aquitania situm oppidum : dixit ea forma, qua Ausonius in epistola ad Paulinum.

Santonus vt sibi Burdegalam, mox iungit Aginnum.

Quem vocis flexum obnixè Scaliger li. II. c. x. in Ausonium aduersus imperitos vindicat, qui & PARISIVS vocem concoquere nesciunt.

Rhenus ab alpe means neque tantis spumat habenis.
Fortior Hadriacas nec Padus intrat aquas.

Reposuimus pro arenis habenas, fide veterum librorum. Rheno eleganter dat retinacula sua, & cursus habenas, atque; si flumina ob violentiores impetus taurorum olim simulacris, vt Festus ait, representata, non abs re suas illis natura habenas, flexus & obices immisit, cum vt ille canit:

Spumeus exit. &c. Fertur in arua furens.

Quin, vt occultam hic quoque δύναμιν in Fortunato videas, an non patrem Romanæ poëseos in pado sequitur? qui de tauriformi suo Eridano vel Pado. 4. Georg.

—— *Quo non alius per pinguia cultu*
In mare purpureum violentior influit vndis.

MVNERIBVS QVE PIIS DOTASTI ALTARIA CHRISTI,
CVM TVA VASA FERVNT VISCERA SANCTA DEI, &c.

Pleniſſima laus,& priſcæ fidei confeſſio, aduerſus Sacramentariorum ſtuporem, Corporis domini veram præſentiam Euchariſtiæ detrahentium,& Lutheranorum peruicaciam, ſolo eam vſus tempore metientium: cum & ſacris aſſeruatum vaſis hoc ſuo ſæculo Fortunatus corpus domini,extra communicationem ipſam, tam latinis verbis atteſtetur, profiteaturque coràm in altaribus affuiſſe, VISCERA SANCTA DEI. amplius etiam dicat: miniſterio Leontij ſacerdotis, quoties myſticum illum, & profanis ἀπόῤῥητον Chriſti ſermonem retuliſſet, veniſſe non Dei quendam ſuccum, ſubſtantiamuè: non corporis imaginem aut farream carnem: non ſymbolicam denique fidem illam, quæ vel ipſum cœlo domini corpus abriperet: hæc enim Caluini, Zvvinglij & Lutheri deliria & paradoxa ſunt: ſed ipſiſſimum, qui pro nobis effuſus in cruce, ſanguinem Chriſti,ipſumque natum virgine Deipara, Chriſti verum corpus.

Vaſa ſacra corpus Domini continent, aſſeruant.

Nam cruor & corpus domini libamina ſummi
Rite,miniſterium te tribuente,venit.

COGOR AMORE ETIAM &c.] Placidinæ, coniugis quondam Leontij,proſapiam,& virtutes enumerat. Leontio marito olim,at tunc, ipſius voluntate, epiſcopo eam ſororem fuiſſe, nec iugalia deinceps munia attigiſſe, diſertim contra vxorios huius æui epiſcopos poëta expreſſit.

Placidinæ coniugis Leontij elogium.

Quæ tibi tunc coniux,eſt modo cara ſoror.
Lumen ab Archadio veniens genitore refulget
Quo manet Auguſtum germen, Auite, tuum

Oportunè lectio iſta pro vitioſa reponitur,qua genus Auguſtale Placidinæ vindicatur: nam ab Auito Imperatore eam deſcendiſſe, hinc colligimus. Præter exemplarium veterum fidem, huius etiàm lectionis habeo teſtem Cardinalem Baronium. Auitus autem hic ſenator in Aruernis nobiliſſimus Aniciani ſanguinis, proclinatum in Gallijs imperium ſuſceperat; & quod amiciſſimè cum eo Apollinaris Sidonius natus illuſtri faſtigio Præfectorum, vixiſſet, ei Papianillam filiam ſuam matrimonio tandem iunxit. Proſapię verò claritudinem magnificè Sidonius in Panegyrico depinxit illo, quem Romæ Auito Auguſto ſocero ſuo dixit.

Auguſtale genus.

Auitus Imp.

Papianilla Sidonij coniux. Auiti F.

ſed

——— sed cedere Auitum
Dum tibi Roma paro, rutilat cui maxima dudum
Stemmata complexum germen; palmata cucurrit
Per proauos, gentisque sua, te teste, Philagri,
Patricius resplendet apex. Sed portio quanta est
Hac laudum, laudare Patres? quos quippe curules
Et Præfecturas constat debere nepoti

Porro huic generi adscriptas inuenio Placidinas. Greg. namq; lib. I. miraculorum c. LXV. nominat Alcimam sororem Apollinaris Episcopi, & eius coniugem Placidinam abneptim Auiti Imp. Ex hac Arcadius, cuius quoque filia Leontio Episcopo iuncta Placidinæ nomen tulit. Placidinæ vero seniori, vt & Alcimæ, consanguineum ausim assignare Alcimum Auitum illum eximiæ virtutis ingenij & innocentiæ fama Viennensium præsulem, ad quem epistola extat prima Apollinaris Sidonij lib. III. in qua profiteri non dubitat, se inter & Auitum, summam fuisse iuncti sanguinis necessitudinem. Vt autem Papianilla nuper Sidonio, sic & Placidina suo Leontio, vt maritus fieret Episcopus, vrgente vi suffragantium, pudicitiæ & religionis amore lubentes ambæ indulserunt.

Placidinarum trium memoria

Alcimus Auitus

Nec tacitum fero, Alcimam Apollinari Sidonio olim à me datam coniugem; cum ipse Sidonius Epist. XVI. lib. V. & clarissimi eius interpretes Io. Sauaro & Iacobus Sirmondus Societatis Iesu, quorum tunc quidem mihi copia nondum obuenerat, sicut & Baronius Papianillam expressissent; & Alcimæ Auitæ an huic nomina rectè præfigeres, ambiguus hærebam. Vtroque me traxit Gregorij lubrica lectio citati proximè libri, vbi in vrbe Aruernâ moratur, Alchima, inquiens, * soror Placidinæ coniux Apollinaris Episcopi, templum ædificare cupientes. quæ certe oratio & aliunde supplenda & Apollinaris, siquidem Aruernus, cautè iugali suæ restituendus est. Nam locum ego hunc cum alio comparans, qui III. histor. Francor. cap. II. legitur, ad inferiora tempora narrationem eam reijciendam facile perspexi: capique de Apollinari Aruerno Sidonij filio, qui Eufrasio XII Aruernorum Episcopo, pro S. Quintiano successor modo quadrimestris, interuenit. Atq; illic à Gregorio

* & soror Placidina

gorio rursum ea nomina sic iunguntur, vt prior locus ex isto restitui possit, Alchima & Placidina vxor sororque Apollinaris. Et Sirmundus noster I. mirac. CLXV. locum ita restituit. Alcima soror & Placidina coniux Apollinaris Episcopi. Ceterum Archadius is Apollinaris nati Sidonio filius qui hic iunioris Placidinæ genitor dicitur, egregia fuit potentia senator Aruernus qui contra Theodoricum regem Clodouei F. inita coniuratione pro Childeberto stetit, ex hac eadem gente fuit, nomine item maiorum sanguinem referens: nam Gregor. lib. III. histor. cap. XII. hunc ex fratre prognatum Alcimæ, matre Placidina, memorat.

Archadius Aruernus.

XVI.

LEONTIVS absens, fortè quo tempore à Chariberto rege exagitabatur ob repressam Emerij Santonum Episcopi temeritatem, locum rumori dederat, quo, fraude ambientium ipse pro defuncto sermonibus hominum circumlatus, ad comitia velut nouo subrogando episcopo viam aperuit. Quod cum inibi esset, vt fieret, ipse de machina, ex insperato superueniens, partium studia stultitiamque incredibili populi gaudio discussit; eoque cumulatiorem hanc plebi lætitiam fecit, quod eadem luce, qua olim inierat, ad sedem suam redijt. Iambi autem in colis sunt Acrostichides per alphabeti litteras contexti. quod minus animaduersum in vulgatis, capitalium etiam litterarum mutationem effecit. Errata quæ sustuli, non appendo; sed repræsento; ostentationem fructui posthabens.

Leontius rediuiuus.

XVII.

AD PLACIDINAM MATREM &c.] Pendebam animi mater hæc natura, an officio: nec sine teste tamen adhuc decerno. A. MS. S. Galli aberat matris titulus. Missum autem hoc epigramma ex insula quadam Oceani, quam tunc poëta leuiter, at religiose tamen insedit.

XVIII. XIX. XX.

BISSONNVM, Vereginem, Premiacum, Leontij amplissima & opulenta prædia celebrat, vt quæ propè à Burdegalensi vrbe sita

Leontij prædia.

sita, Garumnæ fluminis oportunitate se domino commendabant; Hic non iacente Fortunatus vena balneorum structuras, laxasque porticus, fontium, lacuum, ac piscinarum amœnitates, carminibus etiam quodammodo suis adæquat. Prætoria vero accipit, magnificas illas & amplas domos ruri & in agris mirifico olim luxu à Romanis exstrui solitas. quo in genere Suetonius c. XXXVII. Caligulæ insaniam notauit. Adi CL. I. Lipsium de admirandis lib. III. c. XIV. & Ausonij Mosellam. Prætoria.

Reddidit interea prisco noua balnea cultu,
Quo recreant fessos blanda lauacra viros.

In Burgo Pontij Leontij Sidonius carm. XXII.

Cernere iam videor quæ sint tibi Burge, futura.
Dicêris sic. namque domus de flumine surgunt,
Pendentesq; sedent per propugnacula thermæ.

Et illinc meminit.

Missas in balnea classes.

Quem locum, etsi ad Hebromagum Ausonio cantatum, & Paulino Nolano gentilicium, non nemo refert, maluit tamen V. C. Io. Sauaro de Fortunati Bissono accipere, quod Castrum ipse vocat, Leontij studio cum balneis, è ruderibus antiquis resuscitatum.

XXI.

ÆGIRCIVM fluuium, qui clarissimos Aquitanorum Auscos Nouem populanæ prouinciæ, nunc Vasconiæ, metropolin alluit, ingeniosè describit, & summe squalentem æstu & imbribus immodicè rursum exæstuantem; ita vt Nili ferme instar expanditor, agros vicinosque campos restagnans & limosus obsideat, pisciumque fœtu relicto, mox deserat. denique nihil esse in eo medium, quandoquidem extenuatus vel nimium arescit, vel denuo nimium augescit inflatus. Qui vero huius poëmatis antiqua cum hisce emendatioribus comparabunt, facile nos in melius profecisse, iudicabunt. Ægircius fluuius.

SED HVNC TVA REGNA REFRENANT.] semel hic monendus es, Lector, perpetui moris, quem Fortunato temeraria castigatione, eripere frustra quibusdam studio fuit; H quippe habet,

habet, instar fortis consonantis, quæ non euanescat, sed synalæpham quoque prohibeat: quod Beda animaduertit, cum in poëtarum arbitrio esse scribit, vtrum H consonantis, an aspirationis notam impleat, præsertim vbi ab hac littera sermo sequens inchoauerit.

Beda de arte metrica in Synalæphe.

NOMINE CVM PROPRIO TRISTIS ET ÆGER.] Ab ægri voce Ægircium Fortunatus deriuare, quam ab αἲξ siue capra maluit: etsi vtrumque etymon probari possit: huius, quia campos persultat turgescens: illius, quia siccior vndas ægre trahat.

Ægircij etymon.

OBTINET EXPVLSVS STABVLVM CAMPESTRE SILVRVS.] Sic cum posterioribus MSS legit Scaliger lib. 1. ad Auson. c. 1. Siluros autem hic potius sturiones, quam quoduis aliud piscium genus intelligi, satis ibidem persuadet huius loci & autoris adiumento.

Silurus.



AD



.D VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI

LIB. II.

I.



RADEGVNDES Chlotarij regis coniux, Bertharij Thuringorum regis filia, postquam matrimonij curis soluta, & parthenone frequenti apud Pictauos locato, impensius se dedere religioni, Christoque vni viuere constituit, excitandæ pietatis, & ornamenta templis addendi studio, inter alia sanctorum pignora, quæ conquirebat vndique, salutiferæ quoque crucis fragmenta ab vsque oriente retulit, & eximia venerationis pompa basilicæ illata consecrauit. Greg. Turon. lib. mirac. I. c. V. S. Radegundes regina.

HVIVS (crucis dominicæ) RELIQVIAS ET MERITO, ET FIDE HELENÆ COMPARANDA REGINA RADEGVNDES EXPETIIT, AC DEVOTE IN MONASTERIVM PICTAVENSE, QVOD SVO STVDIO CONSTITVIT, COLLOCAVIT: MISITQVE PVEROS ITERVM HIEROSOLYMAM AC PER TOTAM ORIENTIS PLAGAM, QVI CIRCVMEVNTES SEPVLCRA SANCTORVM MARTYRVM, CONFESSORVMQVE CVNCTORVM RELIQVIAS DETVLERVNT; QVIBVS IN ARCA ARGENTEA, CVM IPSA CRVCE SANCTA, LOCATIS, MVLTA EXINDE MIRACVLA CONSPICERE MERVIT.] Eiusdem itaque tam sacri atque cœlestis transmissi & in Gallias importati muneris occasione, Fortunatus pro ea, qua in regalem hanc matronam semper fuit, obseruantia ac amore, sanctæ crucis honori diuersi generis tum poëmata, tum sacros hymnos pangere aggressus est; ijs subinde laudibus & præ- Helenæ in crucis veneratione æmula.

 conijs,

conijs, ſacratiſſimum illud tropæum, efferens, vt argumentis minime dubijs, quo in pretio ac honore apud ſui ſęculi homines S. crux extitiſſet, poſteritati proderet.

S. Crucis cultus & adoratio.

CRVX BENEDICTA. &. O DVLCE ET NOBILE LIGNVM.] Latriam impertire cruci, σχετικῶς tamen, ſeu habitudine ad prototypum: eaſque dotes & virtutes attribuere, quas prototypo quoque, improbi ſectarij negent: Chriſtianus ac pius poëta non erubeſcit. Nam illud Iuliani conuitium, quod lib. VI. contra Iulian. Cyrillus meminit. *O miſeros qui crucis lignum adoratis*, gloriam, non crimen interpretamur. Quare ita cum Fortunato ſępe licet & orthodoxè exclamemus. CRVX MIHI CERTA SALVS, CRVX EST, QVAM SEMPER ADORO.

De quo conſule Iacobi Gretſeri eruditum opus lib. cap. LVII.

II.

HIc ille cantatiſſimus tota eccleſia Catholica, quacunque ſonat vox Chriſtianorum, hymnus, qui ſi non verborum fuco, at ſententiarum pondere & elegantia habet ἀντίῤῥοπα & antiquis poëtis paria.

Eum ſine hæſitatione V. C. Ioannes Sauaro Claudiano Mamerco tribuit, ad epiſtolam III. Sidonij lib. IV. vbi character ſtyluſque Claudiani ſupra meritum extolli videatur, niſi Eccleſiaſticæ dictionis occultior vis, paucorum eſſet & auribus & examini reſeruata. Sed cenſet hymnum ibi tamen Sidonius. *Iam vero de hymno*, inquit, *tuo, ſi percunctere quid ſentiam, commaticus eſt, copioſus, dulcis, elatus, & quoslibet Lyricos, dithyrambos, amœnitate poëtica, & hiſtorica veritate, ſupereminet.* Quæ quidem in hunc aptè nec ne conueniant, exquirant eius artis periti. Ego veterum exemplarium fidem, & Capitulorum ſeriem appello, immo conſenſum eruditorum, qui Fortunato litem hanc vt non faciunt ambiguam, ita nec Claudianum, niſi aliunde magis liqueat, eius hymni fateantur eſſe patrem: etiamſi de illo canat Sidonius.

Hic ſolennibus annuis parauit,
Quæ, quo tempore, lecta conuenirent.

CRVCIS

III.

CRVCIS prodigia & cultum reformidans is, qui Poëtas Christianos in vnum corpus male coëgit, exorsus hoc poëma, maturè abscidit, distichis septem silentio maligno pressis, in quibus illud eminebat, quo doceri poterat, crucis cultu ac diuino honore, quo, non sine prototypi respectu Christianus in exemplar fertur, cęlestes quoque virtutes ac miracula, promereri. Ceterum obscuram pèr se poëmatis sententiam, & distorta scriptione inobseruabilem, olim de palla miraculorum altrice sum interpretatus, quam crucis domini attactu consecratam ab aduena Palæstino, sibi dono allatam Gregorius li. I. de glor. martyr. copiosè descripserat. Sed iam, cum Stesichoro recepturus oculos, eorum collaudabo iudicium, à quibus ante dissentire malui. Appellatio facta ad arbitrum honorarium; isq; mihi tam liberaliter receptus, ac si forte, seu compromisso, lectus esset. Age tabellam eius inspiciamus. Existimo Fortunatum id voluisse; Gregorium cōdito templo, cui sacram illam pallam intulerit, illam hoc ipso cooperuisse. SIGNA GERENDO CRVCIS. Fortunati atticismus est, cuiusmodi plures, puto, licet obseruare, siue ad dedicationem, siue aliò referamus &c. Reliqua quæ sequuntur, manifestè ad Pallium Episcopale pertinent. Ita apud R. P. Gretserum fœcundissimi ingenij virum; Marcus Velserus. Placet. Sed pergamus. Georgij Fabricij techna.

DVM PALLAS COPERIT SIGNA GERENDO CRVCIS.] Non aliter legi potest autoritate veterum librorum. Diuinarunt ergo, qui ita correxerunt. Pallia dum cuperet. Nam, vt acutè vidit communis arbiter. Criminatio potius quam laus videatur, obijcere Gregorio cupiditatem vestis Episcopalis, hoc est per circuitionem, ipsius Episcopalis muneris. Et Pallas pro veste, vel quouis integumento capi, ipse nos Fortunatus monet, libr. x. c. VI. vbi de veste, qua pauperem Martinus contexit, loquitur.

Vnde tegit nudum hinc tua palla Deum.

Et pro peristromate blatteo in epist. 2. eiusdem libri.

Regum conuiuiis auro intermicanti purpurata palla coruscat.

Sed, quas tamen Pallas Gregorius cooperijsse dicendus? hic enim aqua hæret; an eas, quæ inuolucra sentiebā fuisse pallæ Hierosolymitanæ multorum miraculorū effectricis? Abiudicāt. An, templo

conijs, ſacratiſſimum illud tropæum, efferens, vt argumentis minime dubijs, quo in pretio ac honore apud ſui ſeculi homines S. crux extitiſſet, poſteritati proderet.

S. Crucis cultus & adoratio.

CRVX BENEDICTA. &c. O DVLCE ET NOBILE LIGNVM.] Latriam impertire cruci, σχετικῶς tamen, ſeu habitudine ad prototypum: eaſque dotes & virtutes attribuere, quas prototypo quoque, improbi ſectarij negent: Chriſtianus ac pius poëta non erubeſcit. Nam illud Iuliani conuitium, quod lib. VI. contra Iulian. Cyrillus meminit. *O miſeros qui crucis lignum adoratis*, gloriam, non crimen interpretamur. Quare ita cum Fortunato ſępe licet & orthodoxè exclamemus. CRVX MIHI CERTA SALVS, CRVX EST, QVAM SEMPER ADORO.

De quo conſule Iacobi Gretſeri eruditum opus lib. cap. LVII.

II.

HIc ille cantatiſſimus tota eccleſia Catholica, quacunque ſonat vox Chriſtianorum, hymnus, qui ſi non verborum fuco, at ſententiarum pondere & elegantia habet ἀντίῤῥοπα & antiquis poëtis paria.

Eum ſine hæſitatione V.C. Ioannes Sauaro Claudiano Mamerco tribuit, ad epiſtolam III. Sidonij lib. IV. vbi character ſtyluſque Claudiani ſupra meritum extolli videatur, niſi Eccleſiaſticæ dictionis occultior vis, paucorum eſſet & auribus & examini reſeruata. Sed cenſet hymnum ibi tamen Sidonius. *Iam vero de hymno*, inquit, *tuo, ſi percunctere quid ſentiam, commaticus eſt, copioſus, dulcis, elatus, & quoslibet Lyricos, dithyrambos, amœnitate poëtica, & hiſtorica veritate, ſupereminet.* Quæ quidem in hunc aptè nec ne conueniant, exquirant eius artis periti. Ego veterum exemplarium fidem, & Capitulorum ſeriem appello, immo conſenſum eruditorum, qui Fortunato litem hanc vt non faciunt ambiguam, ita nec Claudianum, niſi aliunde magis liqueat, eius hymni fateantur eſſe patrem: etiamſi de illo canat Sidonius.

Hic ſolennibus annuis parauit,
Quæ, quo tempore, lecta conuenirent.

CRVCIS

III.

CRVCIS prodigia & cultum reformidans is, qui Poëtas Christianos in vnum corpus male coëgit, exorsus hoc poëma, maturè abscidit, disstichis septem silentio maligno pressis, in quibus illud eminebat, quo doceri poterat, crucis cultu ac diuino honore, quo, non sine prototypi respectu Christianus in exemplar fertur, cęlestes quoque virtutes ac miracula, promereri. Ceterum obscuram pèr se poëmatis sententiam, & distorta scriptione inobseruabilem, olim de palla miraculorum altrice sum interpretatus, quam crucis domini attactu consecratam ab aduena Palæstino, sibi dono allatam Gregorius li. I. de glor. martyr. copiosè descripserat. Sed iam, cum Stesichoro recepturus oculos, eorum collaudabo iudicium, à quibus ante dissentire malui. Appellatio facta ad arbitrum honorarium; isq; mihi tam liberaliter receptus, ac si forte, seu compromisso, lectus esset. Age tabellam eius inspiciamus. Existimo Fortunatum id voluisse; Gregorium cōdito templo, cui sacram illam pallam intulerit, illam hoc ipso cooperuisse. SIGNA GERENDO CRVCIS. Fortunati atticismus est, cuiusmodi plures, puto, licet obseruare, siue ad dedicationem, siue aliò referamus &c. Reliqua quæ sequuntur, manifestè ad Pallium Episcopale pertinent. Ita apud R.P. Gretserum fœcundissimi ingenij virum; Marcus Velserus. Placet. Sed pergamus. Georgij Fabricij techna.

DVM PALLAS COPERIT SIGNA GERENDO CRVCIS.] Non aliter legi potest autoritate veterum librorum. Diuinarunt ergo, qui ita correxerunt. Pallia dum cuperet. Nam, vt acutè vidit communis arbiter. Criminatio potius quam laus videatur, obijcere Gregorio cupiditatem vestis Episcopalis, hoc est per circuitionem, ipsius Episcopalis muneris. Et Pallas pro veste, vel quouis integumento capi, ipse nos Fortunatus monet, libr. x. c. vi. vbi de veste, qua pauperem Martinus contexit, loquitur.

Vnde tegit nudum hinc tua palla Deum.

Et pro peristromate blatteo in epist. 2. eiusdem libri.

Regum conuiuiis auro intermicanti purpurata palla coruscat.

Sed, quas tamen Pallas Gregorius cooperijsse dicendus? hic enim aqua hæret; an eas, quæ inuolucra sentiebā fuisse pallæ Hierosolymitanæ multorum miraculorū effectricis? Abiudicāt. An, templo

ipſo condito, hanc miraculoſam pallam tectis incluſam cooperuiſſe Gregorium? Atqui Pallas plures, non vnam vult cooperuiſſe poëta. Nunquid igitur altarium velamenta, & vſus vulgaris antipetaſmata capiamus? ſed præſtantius etiam aliquid innuit ille verſus.

Dona repente dedit diuina potentia Chriſtus.

Baronius quidem Tom. 3. annal. cum ex hoc ipſo poëmate ad annum 336. pallia, ſeu pallas docet ſumi pro quouis operimento in rebus ſacris, vela tamen hæc accipit, ſeu ſanctiora, & ſanctæ cruci oblata, & crucibus inſignita. Ergo iam iterum in coniecturas abibimus.

DVM PALLAS COPERIT, id eſt, dum recondit in hoc templum pallas cruce inſignes, & religione quali quali conſpicuas, ipſe diuinæ potentiæ noua dona ſenſit, & qui pallas templo intulerat, pallium meretur geſtare, factus Epiſcopus. Probabiliter quoq; V. C. M. Velſerus templum hoc poſitum à Gregorio ante eius Epiſcopatum conijcit ex eo pentametro.

Mox fuit & voti cauſa ſecuta pii.

VBI CAVSA SECVTA, vtique effectus ipſe dicitur, nempe Epiſcopatus, quem obtigiſſe Gregorio, canit, propter votum ipſius pium, id eſt, propter opus pium extructi templi, & crucigeri amictus oblati. Eiuſmodi inuerſiones, notat idem, eſſe Fortunato familiares.

Pallia nam meruit, quæ ſunt cruce textile pulchra.

Prorſus hic Ἀρχιερατικὴν στολὴν) pallium Archiepiſcopale deſcribit, cui purpureæ intextæ cruces. Vnde & Phrygium appellatum eſſe volūt, quod Phrygionū arte, crucibus inſperſis, huius generis quatuor figuras præ ſe ferret. Quippe hæc faſcia tres circiter digitos lata contextaq; ex candida lana linoque circulo collum humeroſq; ambiens, dependentibus non vſq; ad genua lineis, antica & poſtica parte, crucem habet in pectore & humero; ceteræ duæ læua dextrâq; hinc & inde brachia exornant: ita vt crucibus pallium inſigniatur quaternis. In quo veſtimenti genere explicando multi ſunt Canonū interpretes. Onuphr. de obſeruat. voc. eccl. Stephanus Durant. Baron. Tom. 3. in Marco 1. pontifice & alibi. Serarius quoque

Guidus Pancirolus Theſauro var. lect. c. xx.

quoque

quoque noster Moguntiac. rerum lib. 8. notat. 26. ad vitam S. Bonifacij. & Azorius pag. 2. lib. 3. cap. 34. institut. moralium.

Serica quæ niueis sunt agnaua blattea telis.

Legimus aliquando.

Serica cui niueis agnata est blattea telis.

nimium confisi Calaritana editione. Parisiensis habet. S. quæ n. sunt agnana b. t. Hanc lectionem Ioannes Pernotus, Societatis nostræ Theologus, qui Herbipolensem academiam multiiugæ doctrinæ copijs olim exornauit, retineri posse censebat; sed mendo sublato in voce agnana, pro qua rescribebat, agnina, vel agnia: suęque coniecturæ caussam; quia cum pontificalis hic pallij amictus à poëta describi videatur, eum rectè dici à materia, agninum, cum è candidulis natiuisque agnellorum velleribus ipse contexatur; agni quoque eam in rem impensè & studiose educentur, & in ara collocati dedicentur; allusioque patrum varia notetur & frequens pecudis candorem & innocentiam, pastoris summi in oue sua complectenda typum, hoc indumenti genere exprimentium. Nec poëtam abludere, qui hoc eodem poëmate, de Christo canit.

In cruce restituit virginis agnus oues.

BLATTEVM SERICVM, ob crucium texturam, idemque heteromallum extitisse, seu altera parte villosum, ac proinde ἄγναπτον. Nam & Suida, & lexicis antiquis hunc vocis vsum confirmari. Verum recens ab edito Fortunato Antuerpiâ R. P. Rosvveydus, tanquam Cynthius aurem vellit, & admonuit; in codice collegij istic nostri, agnaua se legisse; & omnino reconditum aliquid hic latere; & si quis coniecturæ locus, an non Agnaua ἄγναφα, vt de pallio capiatur Archiepiscopali, cui materia lana alba, & purpurea, quæ non subijt fullonicam, quomodo Ἄγναφος, seu, Ἄκναφος apud Matth. 9. & Marc. 2. leguntur; pro quibus Nouæ ponũtur in Syriaco. Diligentius hinc vetustiora exemplaria rimati, plane versum illum in Pulmanni collatione, ita, vt iam emendamus, expressum inuenimus. ab eoque Cornelij Gualteri codicem, & fragmentum Bonauenturæ Vulcanij, in quo tamen t-- egnaua, ad hanc lectionem citari. Vt germanam hanc Fortunati scripturam, tot codicum fide

& consensione, appareret merito vindicari. Neque lexicographi ἱμάτια ἄγναπτα, seu ἄγναφα, & ἄκναφα prætereunt. Consultus etiam à me R. P. Gretserus noster, respondebat à modesto & humili cultus genere, qui in clero laudatus, ad certam hanc amictus speciem, videri vocem à poëta translatam; sicut Euangelistæ vsurparunt ἔμβλημα & ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου, commissuram & assumentum panni rudis. Commendari etiam à Clemente Alexandrino lib. III pædag. Vestis ἄγναφον. Sed in re perspicua, de verbis forsan, tam anxiè laborandum haud erit, quæ in hoc poëta, & sæculi sui, & corruptę latinitatis vitia sponte redolent. SERICA BLATTEA vero, mirũ est in hæc pallia, quam præclarè conueniant, in quibus vt bene Rhaban. Maurus, Inst. cap. 23. annotauit, crucis signaculum purpura purpureoue colore exprimebatur. Quomodo Fortunatus lib. 8 c 9. de floribus dixit.

Aureus ordo crocis, violis hinc blatteus exit.

Et lib. XI. c. XI.

Albent purpureis vbi lactea lilia blattis.

Et c. Soll. Sidonius Epithalamio Ruricij

Collata rubori
Pallida blatta latet.

Ad hæc leges quoque ciuiles Sericoblattas & Metaxas, in vestimentis purpureis, & sericis auro textis, agnoscunt. Lib. x. c. de Murileg. & cap. Theodo. libr. x. T. XX. Libr. XIII. Blattea autem vestis, & paludamentum, apud Lampridium & Capitolinum, sicut & à Blatteo blattifer apud Sidonium Apollinarem, leguntur. Purpuram vero siue purpureum eos intelligere, vel Eutropius in Nerone satis idoneus testis est; siquidem, quod Suetonius Neronem purpura, ait, coccoque funibus nexis piscatum, hoc Eutropius, blatteis, dixit: Lampridius Eliogab. Funes blatta & serico intorti.

IV. V. VI.

Acrostichidum vsus.

ACROSTICHIDVM hæc tria schemata noua dedimus cum analysi versuum; quæ à vulgatis aberant omnino. in alijs libris discerpta & lacera; at in vno S. Galli, eo, quo hic modo exhibentur

hibentur tria, in excellentissimo Treuerico & vno Pulmanni, duo solum priora reperiebantur. singula multiplicis præconij & venerationis argumentum habent, aduersus INIMICOS CRVCIS CHRISTI. Imitatus autem poëta videtur Publilium Optatianum Porphirium, qui litteris ad hunc modum versibus illigatis varia Constantino Aug. poëmata dicauit, nuper Augustæ Vindel. typis euulgata: & si huius exemplum sibi defuisse Fortunatus alibi testetur.

VII.

HOc suauissimum crucis præconium ad pietatem mirè compositum, in ijs est, quæ vsque & vsque ecclesia catholica frequentat; quibusque tum alia Christi domini nostri gloriosa facta, & præclara in hominum genus merita, tum deuictæ mortis & confracti Tartari mirabilem canit triumphum, intimos simul audientium sensus, incredibili spiritus dulcedine, permulcens.

CONFIXA CLAVIS VISCERA.] Hoc totum cum suis colis metrum omittit ecclesia, subijcitque adorationem tempori aptam, quæ tamen hic non legitur: O CRVX AVE SPES VNICA &c. similiter in duobus illis Iambis SÆCLI PEPENDIT PRETIVM. & PRÆDAMQVE TVLIT TARTARI, exigua Fortunati ducta ratione, ecclesia sponte prosodiam vitiauit.

Fundis aroma cortice.
Vincis sapore nectare.

Correctio hæc præclara, tum versuum ordine restituto, qui perturbatus; tum, reddito parili sono, quem vt in isocolo, & prosomeo, cuius hæc ætas cupidissima, poëta sectatur. Damnabant itaque veteres libri. Vincis saporem nectaris. Vt ergo respondeant membra, in Cortice, & Nectare, non dubites Fortunatum hic vsum metaplasmo, & rhythmo seruijsse; quo in genere apud poëtas vitia scimus quoque in virtutis abire locum.

DICENS IN NATIONIBVS; REGNAVIT A LIGNO DEVS.] Fideli carmine, seu fallere nescio vaticinio, regium prophetam cecinisse perhibet futurum, VT IN GENTIBVS DOMINVS REGNARET A LIGNO. quæ duę voculę postremæ absunt ab editione vulgata etsi addi-

ſi additas à LXX, & quidem prophetice, Iuſtinus, Lactantius, Tertullianus, Arnobius, multique teſtentur alij. Et retineri vero debuiſſe ſatis Iuſtinus martyr contra Tryphonem diſſerens oſtendit, qui malitia Rabinorum è pſalmi contextu eraſas queritur. In Hebreis autem, vt hæc etiam verba deſiderentur, minime tamen abeſſe ſententiam, inter alios, doctiſſimus interpres Gilb. Genebrardus ad pſalm XCV. vnde verſus hic deſumtus, obſeruauit.

VIII.

Toloſa.

TOLOSA Galliæ ciuitas in Aquitania, magnum in omni ætate imperioque decus ſeu inſtitutis ciuilibus, ſeu doctrinarum ſtudijs, ſeu religionis conſtantia tulit. *Auſon. clarar. vrb. catat. & in profeſſor.* Celebratur B. Saturninus Toloſatium Apoſtolus, qui Euangelij lucem illi populi gentilitatis inſania mire tum occupato primum obtulit. Nam ex traditione maiorum Gregor. Turon. lib. I. c. XLVIII. de gloria mart. narrat ab apoſtolorum diſcipulis ordinatum, & in vrbem miſſum Toloſatium; ibi vero IMPVLSV PAGANORVM BOVIS PETVLCI RELIGATVM VESTIGIIS, PER GRADVS CAPITOLII PRÆCIPITATVM, FINIISSE VITAM, CAPITIS COMPAGE DISPERSA. Breuis edita nuper quoq; ab incomparabilis ingenij viro Ioanne Maldonato S. I. Beati Saturnini memoria, qua Decio imperante vixiſſe, iramque ciuium ac plebis in ſe maximam concitaſſe ſcribitur, quòd Toloſatium capitolium quoties tranſiret, reſponſis dæmonum, quæ dari iſtinc petique ſolent, ſuppreſſis, velut conticeſcere falſos ipſorum deos cogeret. Sed vetuſtior his omnibus Sidonius Apollinaris; hiſtoriam Fortunati verſibus comprehenſam egregiè ſtabilit, ac B. Saturninum inter tutelares eos numerat, quorum aſperis in rebus opem ſibi præſentem expertus eſſet lib. IX. epiſ. XVI.

B. Saturninus Toloſatium apoſtolus.

B. Saturnini martyrium.

Ex quibus primum mihi pſallat hymnus,
Qui Toloſanam tenuit cathedram,
De gradu ſumno capitoliorum
Præcipitatum.
Quem negatorem Iouis ac Mineruæ
Et crucis Chriſti bona confitentem

Iunxit

Iunxit ad tauri latus iniugati
Plebs furibunda.
Vt per abruptum boue concitato
Spargeret cursu lacerum cadauer,
Cautibus tinctis calida soluti
Pulte cerebri.

DVMQVE SACERDOTIO FRVERETVR.] Hic audacter vt solet G. Fabricius, Dumque sacerdotis frueretur munere, sed fidem, quam errorem præstando, melius de Fortunato meruisset.

AD CAPITOLIA DVXIT.] De capitolijs nos alibi & Cl. Baronius ad martyr. Rom. In Augustana quoque & S. Afræ historia fidus illius reipubl. M. Velserus. Certe vel præsens hic locus peruincit clarissimas quasque in prouincijs Rom. vrbes habuisse capitolia, veluti quasdam sacratiores idololatriæ officinas. Nec attendo ad Itinerarij autorem nuper Coloniæ typis euulgati; qui postquam Tolosæ veteris capitolij vestigia istic alibi ostendit, vbi hodie domicilium visitur orbiculari figura, quod ab Inquisitione fert nomen, addit, tribus duntaxat vrbibus his Tolosæ, Narboni, & Carthagini capitolij vsum antiquitus concessum; cum tam diserte de Capuano testetur Suetonius in Tiberio c. XL. in Caio c. LVII. de Treuirensi, acta Sancti Eucharij: de Constantinopolitano, descriptio eius vrbis reg. VIII. & L. XII. c. de ædific. priuat. Capitolia Priscorum

ANTE SEPVLCRA PII.] Basilicæ. S. Saturnini in vrbe Tolosa, vbi & martyris sacra ossa condita & miracula eius virtute patrata, narrantur, meminit Greg. Franc. hist. lib. VI c. XII.

IX.

LAVDEBODIS pollentis ac nobilis Francorum imperio ducis ea fuit magnificentia, vt Tolosæ eo loci exstrui templum curarit, quo B. Saturnino erant iniecta à furente plebe vincula. Laudebodis coniux Berethrudis erat splendido & illustri fœmina natali, misericordię & precandi studio dedita inter primas. Maritum origine Getica fuisse, coniecturam inde facio, quod barbarica natum Laudebodes & Berethrudes Tolosani.

prole poëta canit, cum Franci rerum domini Romani tunc; quam barbari audire apud Fortunatum ſoleant, aut certe inter barbaros ab eo nequaquam reperiri. Simili forma de Vilitutha lectiſſima Gothorum fœmina lib. v. dixit,

Romana ſtudio, barbara prole fuit.

Et vero ſuperſtites ex illa gente floruiſſe tum in Aquitania complures adhuc, ex huius ſæculi hiſtoria facilè perſpicitur. Francis etiam connubiorum ſocietate cum Gothis, exemplo regum ſuorum, facile coaleſcentibus.

X.

S. Germanus Pariſienſis.

A Clero Pariſienſi rogatus hoc poëma ſcribere, magnopere ob deſuetæ venæ torporem excuſare ſe contendit. hinc cleri religionem & modeſtiā celebrare vix ingreſſus, delabitur ad S. Germani Pariſienſis epiſcopi virtutes & morum ſanctitatem; eiuſque inſtitutum quoddam recens, vt opinor, commendat pſalmodiarum, quas à populo Pariſienſi mira frequentia, & animorum alacritate perhibet ſuſceptas. Teſtatur in actis. B. Germani Fortunatus; mire deditum alias fuiſſe hunc ſanctum in Dei laudibus, tertiā noctis ingreſſum eccleſiam, nuſquam deflexiſſe prius ab ordine pſallentium, quam, adoleſcente iam die curſus vniuerſus ex canone decurriſſet.

Pſalmodia S. Germani.

ECCLESIÆ GENIVM.] prauè greminum in vulg. vſurpat autem genium, quomodo nos ingenium: ſic & lib. v. poëm. xvi.

Quem gradus & genium fructu pietatis opimo
Dignius attollunt amplificante Deo.

PASCVA SALSA.] vulg. *ſalua.* oſtendebat genuinam lectionem MS. Treuir. addito gloſſemate, VOS ESTIS SAL TERRÆ.

HINC PVER EXIGVIS ATTEMPERAT ORGANA CANNIS &c.] Senum tubam cum puerorum cannis, & corū voces cymbalicas, cum acutis epheborū, deniq; tympana virorū cum tibijs puerilib. componit; in eccleſiaſtico choro notans, ſuo etiā tempore, ſenum grauibus ſonis permiſtas puerorum acutiſſimas voces. Veterē autē in eccleſia fuiſſe morem; vt pueri canendi diſciplinis imbuerentur, ex multis concilijs, *Toletano IV. Aquiſgranenſi* ſub *Ludouico Pio*, & vita

Puerorum chorauliū vſus in eccleſia.

& vita Gregorij magni apud *Ioan. diacon. lib.* 2. c. 6. colligitur. Eiusmodi pueros *Victor de Vandal. persecut. lib.* 3. appellasse videtur INFANTVLOS, quos canendi peritos, vna cum lectoribus, inter confessores eos celebrat, qui Carthagine relegati cum cetero clero, martyrij denique retulêre palmam: de quibus & Illustriss. Baronius ad XIII. Iulij, vbi & hunc Venantij locum excerpit. ADOLESCENTVLOS appellauit hos B. Hieronymus; Fortunatus alicubi CHORAVLES, quod nomen hodieque retinent, nec alienum ab hac mente scripti. Quippe apud Romanos, scena vacua, chorus & tibicen introductus; at sicut, qui in choro fistulam ceu acutum inflabat, choraules, ita qui inter psallendum in ecclesia tibiæ modos imitantur pueri, rectè item CHORAVLES appellati. An verò pueri, qui ex Gregoriana aut vetustiore disciplina prodiêre, canonis musici varietatem, harmoniæ sonos flexusque, & modulationes huius ætatis assecuti sint, pronunciare non ausim. Fortunatum huius quicquam asserere non arbitror. Grauiorem cantum, simpliciorem iam olim in ecclesia B. Hieronymus & receptum ostendit, & omissum requirit. ad Ephes. c. v. locus eius est eximius. CANTANTES ET PSALLENTES IN CORDIBVS VESTRIS DOMINO. *Audiant,* (inquit) *hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in ecclesia officium est; Deo, non voce, sed corde cantandum; nec in Tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica; sed in timore, in opere, in scientia scripturarum. Quamuis sit aliquis, vt solent illi appellare, κακόφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cãtet seruus Christi, vt non vox canentis, sed verba placeãt, quæ leguntur: vt spiritus, qui erat in Saule, ab ijs eiiciatur, qui similiter ab eo possidentur; & non introducatur in eos, qui de Dei domo scenam fecere populorum.* Eandem cantus ecclesiastici moderationem laudauit. *X. confess. c. XXXIII. Augustinus interdum,* ait, *melos omne cantilenarum suauium, quibus Dauidicum psalterium frequentatur, ab auribus meis remoueri velim atque ipsius ecclesiæ; tutiusque mihi videtur, quod de Alexandrino episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, vt pronuncianti vicinior esset quã canenti. Verũ tamen cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus*

Cantus ecclesiasticus antique.

ecclesia tua, in primordiis recuperatæ fidei meæ; & nunc ipse commoueor non cantu; sed rebus, quæ cantantur, cum liquida & conuenientissima modulatione cantantur, magnam instituti huius vtilitatem rursus agnosco. Pulcrè verò poëta hic ab acutis ad graues sonos notato receptu, id quod veteres παιανίζειν dicebant, & μινυρίζειν expressit; si quidem PÆAN ijs contentio, MINVRITIO quædam erat vocis remissio: quo in studio PHONASCOS obseruat Aphrodisæus ad excitationes vocum præmollijsse canentium arterias. Adi *Turnob. Aduers. lib. I. c. 12.* in sacris autem nostris. *Ioann. Stephan. Durant. libro 3. cap. XXI.*

Pæan & Minuritio

MOSES TENDE MANVS.] Non abs re illa ad beatum Germanum velut alterum Mosen Apostrophe est. Narrat enim c. VIII. vitæ ipsius poëta S. Germanum olim Ebronis, non obscuri apud suos hominis, ædes ingressum, à matrona domus Anna, conspectum vultu tenus circumfusa luce, & radijs ceu cornibus exertis, maiestatem retulisse Mosis, & gloriam vultus, vt II. Corinth. c. III. loquitur magnus Apostolus. Rideant hoc, qui Valerio Maximo credunt. *in Genucij Cipi Prætoris paludati portam egredientis capite, subito veluti cornua emersisse, responso dato, regem eum fore, si in vrbem reuertisset, lib. 5. c. 6.*

Cornua in capite.

XI.

SPLENDIDAM Childebertus rex Parisijs basilicam B. Vincentio martyri Cæsaraugustano, opere marmoreo, statuerat, & S. crucis reliquijs ornarat. huius beneficij regiæq; virtutis conseruandæ memoriæ, & templum & regem laudat. Expertæ virtutis TVNICA, siue STOLA B. Vincentij Cæsaraugustæ colebatur: huius magno miraculo Childebertum Hispaniæ hostiliter incumbentem ciues à mœnibus suis reiecerant. *Greg. Turon. lib. III. cap. XXIX.* eius itaque facti religione permotus rex (verba sunt Adonis in Chronicis) PACE COMPOSITA, IN MVNERE STOLAM BEATISSIMI VINCENTII MARTYRIS A CÆSARAVGVSTANIS ACCEPIT. PARISIOS REVERSVS, ECCLESIA IN VENERATIONE MARTYRIS IBI CONSTRVCTA, EANDEM IPSAM STOLAM IN EADEM ECCLESIA REPOSVIT. Tulit & hæc basilica, ob salutiferi ligni reliquias inibi conditas, à S. cruce nomen. Aimonius lib. II. c. XX. & lib. III. c. IX.

S. Vincentij Cæsaraugustani reliquiæ in Galliam illatæ.

Si Sa-

Si Salomoniaci memoretur machina templi.

C. Soll. Sidonius de basilica, quam Perpetuus S. Martino condidit, lib. IV. epist. XVIII.

Quæ Salomoniaco potius est confligere templo,
Septima quæ mundo machina mira fuit.

XII.

BAPTISTERIVM, scribit, antiquæ fabricæ ritu, & opere, à SIDONIO Moguntiacensi episcopo, insigni tectorum amplitudine, exstructum, Berthoaræ filiæ Theodeberti, cuius virtutes mirificè exornat, adiuto liberalitate & munificentia. Porrò non vulgarem affert & laudem & lucem inclitæ MAGVNTIACI ecclesiæ hoc Fortunati carmen, quam refloruisse non solum ad noua templorum decora, sed noua quoq; sobole ex vicinis & Rheni accolis gentiliũ populis auctam, FRANCIS ibi rerum potientibus, indicat. Et fuit metropolis hæc olim in Germania prima, statiuis legionum Rom. prætorio ducis ripæ seu limiti imperantis; religione demum & Christiani populi martyrio, longè clarissima; iam inde vero sub FRANCIS è ruinis emicans, & mox à S. BONIFACII reparatione efflorescens, permultis & ecclesijs mater esse cœpit, & prouincialiũ episcoporum obsequijs maiorem in modum meruit etiã frequentari. Sed impar omni tamen maiorum splendori & magnificentiæ (quod mireris in tanta cleri & ingeniorum abundantia) testificatio litterarum: tam ab annalibus & fidelibus Scriptorum monumentis sedes illa destituitur. Hæc mea olim, nec iniusta erat, nec inanis querela, cùm tandem Serarius noster, immensi ingenij doctrinæq; multiiugæ vir, è medijs & assiduis Theologicarum rerum spatiis id subsecuit otij, quo collectis vndiq; veterum litterarum monumẽtis, metropolin hãc exornaret; & libris Moguntiacarum rerum in lucem emissis, velut ad diffusiorem historiã carceres aperiret; quâ quidem operâ, quam prçclarè de Ecclesia illa meritus sit, ingrati sint, qui intelligere nolunt; iniqui, qui eius præstantiam doctrinæ, hac vna scriptione subcesiuâ, volunt æstimari.

Baptisterium Maguntinum

Maguntia efflorescit.

Maguntiaci dignitas.

SIDONII modo nomen ac ne vix quidem vt dicebam, sedes hçc agnoscebat: & licet antiquitatis cuiusq; generis adhuc se visendam spolijs

Sidonius ibi episcopus.

ſpolijs exhibeat, huius tamen neque baptiſterij, neque templi vlla ibi ſupererant veſtigia. Ita affirmare audeo nō incurioſus explorator. Et verò ædium ſacrarum & publicorum operum ab æuo Romano & Francico tanta illic eſt vaſtitas; vt quibus in ſpacijs olim ea ſublimia ſtetere, inibi iam vel ſulcos arator deſcribat, vel vites pangat agricola. Quicquid ibi denique templorum; ad certos fermè & æquales huius Germanici imperij noſtri retulero autores. Eminent enim vel RICVLFI, vt ad S. ALBANI, vel WILLIGISI AD S. STEPHANI, vel ADELBERTI, WILLIGISI aliorumq; communiter ad Deiparæ Virginis. Primaria non ex vno, ſed ex varijs coaluit. Arguunt tituli, ſegmenta, & molis varietas, omni ex parte ſibi prope diſſimilis. Fronte veſtibuli interioris ad meridiem, quâ vetuſtiſſimi operis fabrica, ſupra ianuam arcuatam lego.

Templa Maguntinæ vrbis.



SANCTVS MARTINVS.

Hinc epiſcopi effigies dextrâ templum ſuſtinentis, ea prorſus idea, qua hodie viſitur cathedrale: læua verò librum tenentis cum inſcriptione.

PAX HVIC DOMVI ET OMNI HABITANTI IN EA.

ſubſcriptio.

EMGHOZAN FIERI ME FECIT.

Porrò ruinarum harum cauſſas non neſcit, quiſquis multiplices illius vrbis in vltima, media adeoque recenti ætate clades acceptas, animo ſubijcit. *Ammian. Marcell. libr. XVI. B. Hieron. epiſtol. ad Ageruchiam XI. C. VI. Moguntiacum, nobilis quondam ciuitas, capta atque ſubuerſa eſt: & in eccleſia multa hominum millia trucidata.*

Maguntiaci excidia & ruinæ.

Huius palæſtræ veſtigia in ſemiruta D. ALBANI area reperio, quæ MONTIS MARTYRVM, ab hac, niſi fallor cæde, nomen tulit. Nec meliora deinc ſucceſſere, nam de ſpectaculis loquens *Saluianus*

uianus libr. VI. de vero iudicio & prouid. Non enim hoc agitur, inquit, *iam in Maguntiacensium ciuitate, sed quia excisa & deleta est.*

ANTISTES SIDONIVS.] de hoc episcopo copiosius libr. IX. vbi proprium eius extat encomium.

BERTHOARÆ VOTO.] Hanc Theodeberti regis fuisse filiam signatè poëta dixit; equidem MAGVNTIACI vspiam, virginitate Deo sponsa, eam vel in monasterio vixisse, vel religionis caussa sedem ibi habuisse, in proximo est, vt ex hoc poëtæ præconio coniecturā faciam. Visitur hodieque VETERIS CELLÆ monasterium, ordinis S. BENEDICTI in vrbe, perantiqua sedes Virginum, quas DOMINAS appellant CANDIDAS, in qua D. Bilhildis memorabili sanctitate fœmina Francorum etiam integro regno, claruit. In huius monasterij septis haud obscura extant priscæ magnificentiæ vestigia. Neque me præterit Bertuaræ quoq; in intima Gallia famam fuisse clarissimam virtutis, quam eandem esse cum hac, interpretari nolim. Illustri tamen hæc genere monasterio nomen dederat, quod Guntramo rege & Austregisilo episcopo in Bituricensi diœcesi disciplina morum & religionis cultu florebat. *Surius in Maio vita S. Austregisili.* Berthoara Regina. Cellæ veteris monasterium Maguntiæ

SED CAPTI PRETIO MOX REDIERE.] Theodoberti regis magna fuisse domi militiæq; fortitudinis prudentiæ & pietatis ornamenta, multifariam *Greg. Turon. lib.* III. *Franc. hist.* commemorat: belli victoriæq; rarò materies illi defuit, cum patre Theodorico expeditioni THVRINGICÆ interfuit; Gothos Aquitaniæ inquilinos; Aruernosque infestis armis appetijt: magnis denique virorum copijs in Italiam profectus, Iustiniani ducum arma, sed frustra, lacessiuit; omnibus tamen ex bellis prædas hominum egit & magna spolia retulit. Vnde hic eius in victos, captiuosque clementia celebratur. Theodoberti regis acta.

XIII.

BASILICÆ huius vestigia, non humilis vtique, nuper explorabā. Reperiebā extra huius vrbis ambitum in veteris area, sed exiguam quidem ædem leprosis addictam; nō procul ab antiquæ ciuitatis mœnibus, quæ nomē illius Diui ferret, at vix vmbrā pollentis aulæ sustineret. Itaque & hæc structura in abolitis est numerāda. S. Georgij basilica Maguntina.

X I V.

Trasaricus.

TRASARICVS vir locuples oratorium exædificarat Apostolorum principum honori, Diuis Martino & Remedio episcopis cooptatis tutelæ patronis. Templi ergo & autorem & patronos versu cumulat. In beatum Remedium verò dum accuratius inquiro, comperior, non fuisse, vt in vulgatis acciderat, obliterandum: nam publicis etiam ephemeridum fastis. OPPIDO VAPINCO COLITVR MEMORIA SANCTORVM TIGIDIS ET REMEDII EPISCOPORVM. Sed vbi regionis id oppidum? silent commentarij. Antonini, quod vocant, itinerario in Gallia Narbonensi oppidum reperio VAPINCVM, quod GAP, interpretatus est ne- nemo. Sedes episcopi Vapinci fuit nec obscura: frequentes namque affuere synodis antistites, qui se Vapincensium nomine subscripsere. *Tom. II. Concil.* Minus hic dubitationis fuit, postquam Notitia episcopatuum Galliæ Massoni opera prodijt, qui Vapincum in Narbonensi secunda, ponit prouincialem sedem sub Aquensi, seu Aquarum Sextiarum archiepiscopo. Quod autem Illust. Baronius VII. annal. ad an. DLXXIV. hoc oratorium ibidem loci exstructum prodidit, vbi B. Martinus se spolians vestijt egentem, id nisi aliunde constet, ex hoc poëmate certò posse tradi, vix perspicio: sic enim; aut Turonibus aut Ambianis, citra dubium, esset adscribendum. Trasarici verò nomen, (id enim malo quam Trisaurici, vel Trisarici) Gothicum aliquid siue Alemanicum sonat, cuiusmodi auditur in Thrasamundus.

B. Remedius episcopus.

Vapincum

X V.

ILLVSTREM in ecclesia martyrum AGAVNENSIVM memoriam prosequitur, eorum fortitudinem, martyrij palæstram, & amplissima, quæ in cœlis iam obtinent præmia, recensens. AGAVNVM verò oppidum est in alpibus, qua tenuior adhuc à fontibus & à lacu Lemano intactus affluit Rhodanus. Nam Pœninas alpes egressis, Rhodani aquæ se locis humilioribus aperiunt, obijciuntque se mox Veragri; quorum octodurum oppidum fuit campestre, grata cinctum amęnaque planicie. Atque hic locum monstrant,

Agaunum Thebæorum palæstra.

ſtrant: quo Maximianus Imper. BAGAVDARVM motus in Gallia pacaturus, piam hanc legionem accerſierat. Octodorum namque prætergrediens octo millium ſpacio deflexiſſe dicitur donec Agaunum, cui hodie á D. Mauritio nomen, perueniret. Ita B. Eucherius autor hiſtoriæ, cum Rhodanum, ait, rupibus vndique incluſum, & vix in arcto eluctantem, id tandem nanciſci ſpatium, quod irriguis circa fontibus & amœno ſolo, feſſam tamquam gremio legionem exciperet. Qui hanc narrationem attigerint, conſule Illuſt. Baron. ad Martyrolog. Rom. XXII. Septembris. De Agauni ſitu *Aegid. Tſchudus, Glarean. panegyr. & ad Cæſarem, Raimun. Marlian. Geograph. Syn. Ortelij.*

ECCE TRIVMPHANTVM, DVCTOR FORTISSIME, TECVM.

QVATVOR HIC PROCERVM PIGNORA SANCTA IACENT.]

Theb. leg. IV. principes.

Totidem S. Eucherius, vnus huius hiſtoriæ cuſtos fideliſſimus ex ijs. qui Agauni decurrere, numerauit. MAVRITIVS primicerius; EXVPERIVS campiductor. VICTOR & CANDIDVS comilitones; quibus mirifica demum inuentione, acceſſit INNOCENTIVS. Templum verò religione conſpicuum id fuit, quod SIGISMVNDVS Burgundiæ rex olim, Agaunenſium martyrum honori ſeruiens, eximiè locupletauit. Is enim fructum patrocinij magnum in eo expertus, quod admiſſorum prçteritæ vitæ ſcelerum dolorem veniãque & futuræ emendationem, ope ſanctorum ac pia ſuffragatione, adeptum ſe cognoſſet, templum locique cœnobium latifundijs alijſq; facultatibus, affluentiſſimè, vt *Gregor. lib.* I. *de gloria martyr. c.LXXV.* loquitur, honeſtauit. Parem beneficentiam Guntramus rex Agaunenſibus exhibuit, quorum hic baſilicam à poëta cum patronis laudari, facile intelligis. Quamquam hæc quidem prolixius à me, quam pro inſtituta opera notantur. Sed mirè me iuuat nomen THEBÆVM, cuius ego virtutem & ſanctitatem ſuſpicere & prædicare lubens ſoleo. Sollicitant illa prçclara me in Gallijs & ora Rhenana, defixa martyrum tropæa. Liquere enim diſcupio, quam fallantur, qui intra Rhodanici tractus anguſtias, inuictæ legionis ſigna detineri mallent. Primum omnium Auguſtæ Tauri-

norum apud Salassios seu regione Pedemontana magnam religionis salutisque famam obtinent tres Thebææ legionis Primipili, vt ita dicam, Octauius, Solutor & Aduentor, quos Maximus Taurinensis episcopus, sermone quodam suo celebrauit, & Magnus Felix Ennodius Ticinensis Episcopus in Itinerario suo eorum patrocinium versibus poposcit.

Octaui meritis da aduentor, redde Solutor,
Candida ne pullus vita cadat macidus,
Hostiles laqueos scindat mens conscia recti,
Hoc semper placeat, quod decet, hoc luceat.

Victor & Vrsus in Heluetijs. Ad hæc constat ex alijs, tum appendice *Gregor. Turon. c. XXII.* SALADORI in Heluetijs certamen obijsse ex eadem legione VICTOREM, & VRSVM, quorum, Theodorico rerum in Burgundia potiente, virtutis fama percrebuit, Aconio pontifice Maurionensi in Geneuensi suburbano inuentioni S. VICTORIS, operam dante. Theodoricus autem is fuit Childeberti F. qui cum Theodoberto fratre Francicum dominatum partitus NEVSTRIAM, aut, si mauis, WESTRIAM, in qua Burgundia, Sabaudia Alpinæque regiones, adeptus est, cum alteri obuenissent Mediomatrices & Austrasij. Ille verò cum indicio Aconij locum, quò S. VICTOR quiesceret, patefactum iam comperisset, præsens GENEVÆ interesse ceremoniæ voluit, copijsque suis & opibus ecclesiam, quam SEDELEVBA regina ibi exstruxerat, locupletare. Iam horum verò reliquos commilitones vt taceam? qui TREVIRIS gemina centuriati cohorte, ducibus THYRSO, & BONIFACIO, palmam martyrij vniuerso ibi cœtui Christiano prætulerunt, non solum gloriosè in hac pugna militarunt.

Thyrsus & Bonifacius in Treuiris. Enimuerò ob receptos hospitio THEBÆOS, gens Christianorum Treuiris vniuersa postulata ad martyrium. Est apud me peruetustus vitæ S HILDVLPHI Treuirorum archiepiscopi, qui sub Pipino vixit, & bene longus commentarius, vtique diuersus ab eo, qui apud Surium legitur: in eo celebratur S. BONIFACIVS dux cohortis trecentorum, quorum omnia sacra corpora á ponte Mosellæ fluminis, vbi in angusto quopiam sacello, cuius hodieq; super vestigia sunt, iacebant, in nouam basilicam, quam Hildulphus B. Maximino recens erexerat, translata

S. Bonifacii monumentum, & Thyrsi.

lata

lata. BONIFACII vero corpus in montana Vogesi, sub annum Christi DCCLXVIII. ad MEDIANVM monasterium, gratam Hildulfo sedem transijt. Porro THYRSI monumentum in B. Paulini religiosissimo templo ad septentrionem vrbis, extra mœnia, iam visitur. Sacrum eius pignus quiescit in crypto porticu operis musiui egregie vetusti, in cuius laqueari versus hi ex tessellis aurei coloris decussatim per fornices affabrè currunt.

QVAM BENE PONTIFICI DVX PATRICIVSQVE COHERENT
GALLICA PALMACHIVS THEBEA DAT AGMINA TYRSVS.
DVCIT VTERQVE SVOS ET DVCIT VTRVNQVE SACERDOS.

Hinc iam ad Rhenum me martyres euocant, vbi sese BONNA offert, nobile quondam Germaniæ IIæ. oppidum, legionis X. præsidio, multisque memorandis factis, Tacito laudatum. huc nimirum eiusdem persecutionis turbine pars militum Thebæorum acti dispersique, pro Christo martyres item capite luerunt, CASSIO & FLORENTIO ducibus, quorum ad X. Octobris annuus honor recurrit, vt martyrologia monent; quibus pro Bonna VERONAM, sine vllo antiquitatis exemplo, irrepsisse, miramur. Et quoniam Agrippinensium Coloniæ tam vicini sumus, non præteriero sanctos illos verè aureos SS. GEREONIS ducatu constantiaque notos, qui à *Greg. Turon. quoque mir acul. lib. I. C. LXII.* celebrantur: vbi & veteris basilicæ splendorem & B. EBERGISILI Agrippinensium episcopi memoriam non tacuit. His denique sunt annumerandi VICTOR socijque martyres, qui cum Primicerio suo CCCXXX. in territorio Agrippinensium vrbis, (verba sunt martyrologij) apud VLPIA CASTRA COLONIAMQVE TRAIANAM cæde crudeliter afflicti, oppido celebri in Cliuia nomen dedêre, quod eruditi SANCTOS; vulgus XANTVM appellat. Obseruauimus nos in peruetere Codice MS. quo S. Gereonis & CCCLX. militum Mauritaniæ passio recolebatur, quia dies Martyrum Natalis non ita Maioribus fuerat compertus, Ecclesiam Coloniensem antiquitus vna dierum ad VI. Idus Octobris, hos sanctissimos Athletas ternis locis conditos, terno martyrio coronatos, veneratam. Horum palæstræ, vt omnigenæ antiquitatis alia quoque præclara documenta, Stephanus

Cassius & Florentius Bonnæ.

Gereon Agrippinæ.

Victor & socij apud Vlpia castra.

Sanctorũ oppidum.

nus Pighius eleganti vir ingenio, in Hercule ſuo Prodicio execu tus eſt.

FORTVNATVS ENIM.] Diſtichon hoc αὐθεντικὸν eſt, ſtabilitque INVOCATIONEM SANCTORVM eius vſu ſæculi contritam; quæ res tam parum arriſit G. Fabricio, vt in editione huius poëmatis maluerit ſine iudice truncare carmina; quam ipſum ſe apud iudices aliquando condemnari impietatis. Sed eſt hoc vitium non vni Fabricio familiare, ſed toti proprium ſectariorum gregi.

G. Fabricij impoſtura.

X V I.

SANCTVM HILARIVM, canit, non tantum epiſcopatus honore, ſed origine natalium fuiſſe Pictauienſem, contra Arrij amētiam muniſſe populum, inſtruxiſſe Gallias, toleraſſe exſilium, Trinitatem ſanctiſſimam aduerſus oppugnatores diuinitatis maieſtatiſque Chriſti, duodecim vindicaſſe libris. De quo poſtremo B. Hieronymus: HILARIVS MEORVM CONFESSOR TEMPORVM ET EPISCOPVS, DVODECIM QVINTILIANI LIBROS ET STYLO IMITATVS EST, ET NVMERO. Pictauium vero aut Pictauus, vrbs eſt Aquitaniæ peruetus, amplitudine mœnium & vaſtitate concedens paucis templo etiam S. Petri magnifico & academia celebris. Hanc oportunam iniuriæ Caluini aſſeclę hac tempeſtate noſtra, adepti immani poſt homines natos impietatis ſcelere perculerunt, SACRATIS B. HILARII & B. RADEGVNDIS, quorum in ore frequens iam mihi laudatio, PIGNORIBVS FERALI FLAMMA CONSVMPTIS. *Gilber. Genebrar. ad ann. Chriſti.* MDLXXII.

Pictauus vrbs.

ALLOBROGES REFERVNT PICTAVIIS GENITVM.] Allobroges hic antonomaſticè pro tota Gallorum natione accipit, quomodo lib. III. poëmate V. dixit.

Fulgor apoſtolicus viſitat Allobroges.

Qui cis Rhodani ripam alioquin ab ortu habitabant ad Iuram montem, & Lemanum lacum. Porrò de S. Hilario perſpicuè quoque docet B. Hieronymus apud Pictauos non fuiſſe modò epiſcopum, ſed ibidem etiam natum: nam in præfatione ad Paulam & Euſtochium, lib. II. comment. in epiſt. ad Gallatas *Hilarius*, inquit, *Latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus & Pictauis genitus eſt.* Vnde & alibi hic noſter de ſeipſo.

S. Hilarij patria.

Pictauis

Pictauis residens, qua sanctus Hilarius olim
Natus in vrbe fuit, notus in orbe pater.

Et lib. VI. de Gelesuinta regina.

. . . . . . *Pictauas attigit arces.*
Inclytus ille, quibus verè amplus HILARIVS *oris*
Et satus & situs est, ore tonante loquax.

Nec verò obscurum B. Hilarij fuisse in sæculo nomen, testatur item B. Hieronymus, quando de Cypriano pariter & Hilario ad Isaiam scribens: *Nonne tibi videntur*, inquit, *excelsa quondam in sæculo arbores ædificasse ecclesiam Dei? &c.* Dignitas.

GRÆCORVM VIRVS PROTVLIT.] vulg. quædam, Græcorumque viros. Saturnini Arelatensis factionem, & insinuantem intra Gallicanæ ecclesiæ se viscera Arrij pestem proditam à B. Hilario, & detectam, memorat. *Sulp. Seuer. eccles. hist. lib. 2.* Sed, quod ad Hilarij in hoc genere præclara facinora, aliaque vitæ acta, consule, quæ *Ioannes Gillotius*: ex Hilarij monumentis prolixè; quæque eruditus *Sigonius* ad Sulpitij historiam, & *illustriss. Baron. Annal. Tom III.* digessit. Zelus.

FILIVS, VT DICANT, QVIA EST CREATVRA DEI.] Hic in creatura à Fortunato violari canonem, id vero ferre Fabricius non potuit; quare ex CREATVRA cudit GENITVRAM, parum aptam vocem ad exprimendam Arrij sententiam, Nam GENITVRA latinis aut est ipsa γέννησις, id est. generatio, & origo rei, quomodo Plin. dixit, esse quadrupedum genituram; & originem atque genituram conchæ; aut, vt creatura id quod creatum, sic genitura Fabricio eius, quod genitum est, notionem, afferebat. Sed nihil horum Arrij doctrinæ consentaneum est: posterius etiam efficiat catholicum, cum genitura de filio sic in obliquo dici possit, quemadmodum Generatio, Natiuitas, aliaque PROCESSIONIS nomine in scholis notari solita. Et ipse quoque Basilius sermone contra Arrium & Sabellianos, filium non veretur appellare GENITVRAM patris, non DEFECTVOSAM, quod addit propter Eunomianos, quos alias redarguere solet, quia filium Dei nouo vocabulo GENITVRAM dicerent, quam ille vocem aiebat à communi consuetudine & à scripturarum vsu alienam LIB. II. CONTRA EVNOM.

Exilium.

CONTEMPTO PRINCIPE.] Constantio Constantini magni filio. Pertulit exsilium in Phrygia quadriennium, vt martyrol. XIV. Ianuarij: atque hinc aduersus Luciferianos scribens B. Hieronymus meminit, quanta cum gratulatione, Iuliano iam tum imperium obtinente, HILARIVM DE PRÆLIO REVERTENTEM ECCLESIA GALLIARVM COMPLEXA SIT.

XVII.

S. Medardi memoria.

MEDARDI Nouiomensis episcopi sanctitatem, & acta quædam mira in eius pleraque funere, apud Suessiones excepta, describit. Huius autem Medardi VITA ET MORS PRECIOSA GLORIOSIS MIRACVLIS, satis in ecclesia commendatur VIII. Iunij. In quo id memorabile, quod ipse & S. Gildardus Rothomagensis antistes, ambo fratres, Polystrati & Hippoclidis philosophorum sortem, sed longè diuiniorem postliminio referentes, eadem luce nati, eâdemq; consecrati episcopi, vnoquoque die, hac vita demigrarunt, cœlestibus adscripti. *Sigebertus in DLVI. appendix vitæ apud Surium. annales Flandriæ DXXXV. Baron. annal. tom. VII. & not. ad Martyrol.* qui tamen in additionibus ad annum 564. diuersitatem annorum interuenisse docet. Memoratu quæque dignissima ex ea Fortunati, quæ prosa extat apud Surium vita, notauimus in margine; etsi non pauca hic miracula recensita, quæ istic desiderantur: in quibus illud de cæco:

Mors memorab.lis Val. Max. lib.1.c.8.

Mox veniente die, sed non sibi forfice pressa
Enituit Christi vertice tonsus oues.

Egregiæ correctionis indicium hic fecit P. Heribertus Rosvveidus, qui iam olim cum vetustissimo exemplari Antuerpiensi Fortunatum Calari editum, contulerat: in cuius sentinam incideram, ita vt ab eius scoria non semel lima nostra colorem duceret. Nam in cæci huius mirifica illuminatione, cum legerem.

Enituit Christi vertice tonsa comis;

Vix reperiebam, vnde me explicarem, & Comis pro Coma positum Catachresi putabam, autori non inusitata; vnde & inter enormia retuleram. Verũ Antuerpiensis codicis emẽdationi, VERTICE TONSVS OVES, Pulmannianos codices examussim respõdere, post

Miracula.

omperi: quorum aliqui oues, qua formula & Apis & Apes, ere. Sed ex Ioannis Metelli Sequani libro, Pulmannus, ouis rete maluit. Subijcio iam pentametri sententiam, fere verba inte Rosvveido. Vult poëta cæcum hunc inter oues Christi e tonsum enituisse. Nam de nocte monitus ab ipso diuo, vt rdi templum viseret, inuenit se mane tonsum vertice, velut Christi, idq; nullius forficis interuentu. Hinc S. Medardum s ei detraxisse, ait poëta, quo nitidos oculos pro sordida reponeret. quod elegantius inde sequenti versiculo ext.

Et mercante comâ munera lucis emat.

ec esto genuina Fortunati lectio; quæ secus alias de capillatis & corymbis nobis dicta, vulgata; indicta & inedita.

N TVA TEMPLA COLIT NIMIO SIGEBERTVS RE.] Ex Gregorij Turonens. histor. Franc. libr. IV. c. XIX. ocus illustrari potest. eius verba sunt: *Tempore Chlotarij re- anctus Dei Medardus episcopus, consummato boni operis cursu, nus dierum sanctitate præcipuus, diem obiit. Quem Chlotarius m summo honore apud Suessionas ciuitatem sepeliuit, & basiliper eum fabricare cœpit, quam postea Sigebertus filius eius explee compofuit.* Sed cap. L. idem repetit de basilica Suessione berto ad culmen educta; vbi & sepulturam is tandem adest; postquam apud LAMBRIACVM vicum à sicariomanu vita simul & regno exutus fuisset. Vrbs autem Suesm apud Axonam fluuium in Belgica olim secunda fuit; eius li fratres & consanguinei Rhemorum, quæ affinitas in sam etiam iure permansit, Suessionibus metropoli Rhemoadscriptis. Verso interim Imperio Romano, inclita perstiegiâ Francorum, alijsque nobilibus eorundem operibus. & basilica S. Medardi prædiuite monasterio subinde aut, quod omnium in Gallia tunc extitit honore & dignitate um, *Gregor. magnus libr. XII. epistol. XXII.* Porrò NOVIOdiu, fateor, me exercuit; cum in magno veterum iuxtà ac recentio-

Templum á Chlothario & Sigeberto regibus ei positum.

Suessionum vrbs.

centiorum silentio, loci situs mihi maneret incompertus, donec accurata tandem illa apud *Antonium Democharem libr. de ministris sacrificij altaris C. XVIII.* inspecta diœcesi, idem esse comperi cum Nouioduno. At huius nominis cum facile tres vrbes etiam Cæsar comment. belli Gallici agnoscit, apud Æduos vnam, & alteram apud Bituriges, eam sanè modo huic seruire loco facile perspicis, quam lib. II. scribit, Belgarum vrbem, Suessionibus finitimam: nunc in Picardia iuxta Esiam amnem. Huius cum munitiones & castri species, S. Medardi etiam ætate, superesset, quo tutior esset aduersus barbaros, ex Veromanduis sedem Nouiodunum transtulit, quod & Nouiomum appellarunt.



AD



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI

LIB. III.



D Evphronivm.] Exordio huius primæ epistolæ nil fieri poterat mendosius, ita nihil verbis sententiaque tota sibi constabat. Argumentum vtriusque, illius etiam, quæ subijcitur, illustriss. Baronius dignum putauit, quod vii. T annalium vsurparet, cum iam dudum nos antè correctam domi vtramque legeremus. Secutus hac in re vir ille præstantissimus est haud dubiè fidem antiquitatis, & S. Evphronii, cui vtraque inscribitur, Sanctimoniam, vel præcipuè in oculis habuit. Fuit enim Evphronivs claro genere ac dignitatis senatoriæ duodevigesimus Turonensis ecclesiæ episcopus, egregia vir sanctitate & vsque à puero in cleri sortem: at in episcoporum ordinem, circa domini annum dlix. cooptatus. Hæc disertè Gregorius, tum pluribus alibi, tum propriè lib. x. c. xxxi. vbi decessorum successor nomina resque gestas per seriem contexit: quæ *T. annal. VII. & not. ad martyrolog. Rom. prid. non. Aug. fusius repetit Cardin. Baronius*; numeratque illum sedis Turonicæ vicesimum: qui numerus rectè positus, an secus, haud scio; mihi quidem, nisi maior Gregorio testis accedat, secus videbitur. Porrò Fortunatus, quæ illi fuit cum B. Euphronio iam inde à Turonensi peregrinatione necessitudo; amicè ac ciuiliter ad eius se viri consuetudinem ita demittit, vt, memor interim virtutis ipsius ac culminis, eximiam erga illum reuerentiæ ac sacerdotalis obsequij declaret voluntatem, Euphronium etiam vt patronum obseruans, non tantum colens

B. Euphronius Turonum episcopus.

ceu amicum. Eſt etiam vt exiſtimem, hanc epiſtolam datam ex vrbe Pictauorum, in qua Fortunatus vixit presbyter. Atque hæc forte ciuitas eſt altera, in qua ſe commorari hîc iam ſcribit.

DOMNO SANCTO &c.] Altera epiſtola ad Euphronium, caritatem eius & ſummam in tanto faſtigio ac generis nobilitate ſubmiſſionem & animi manſuetudinem deprædicat.

Domnus quem vſum apud veteres habuerit.

DOMNVS MEVS MARTINVS &c.] Frequens, vt monueram alias, in ore clientium, & fauorem captantium, apud Romanos, vt patronos maioresue natu, aut à quibus eblandiri aliquid cupiebant, hos ſcilicet DOMINOS appellitarent: vnde veterum non nemo propter amores infamis:

Et mihi blanditias dixit, dominumq; vocauit,
Et quæ præterea publica verba iuuant.

Tranſijt autem id moris, apud Chriſtianos, tandem in affectum pietatis & reuerentiæ; vt & SENIORIS vox, quæ hodieque in Latialibus idiomatis manet. vnde & in memoria protomartyris Stephani Vzalenſi, DOMNVS STEPHANVS legitur, perinde, ac hic DOMNVS MARTINVS quam lectionem quoque *Baronius Tom. V. ad annum Chriſti CCCCXVI.* retulit, & ante eum obſeruarat Onuphrius, etſi aſtrictior in eo, quod pontifici mallet vni Romano, mox translato vſu, cæteris deinde epiſcopis conceſſum; dominique nomen declinatum à maioribus, quod plus in eo maieſtatis ac timoris, quam in altero ineſſet. Sed nimium quam blandum fuiſſe Romanis titulum domini, ingenioſè V. C. Lipſius olim ex epigrammate oſtendit; cuius illud membrum.

αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμινας,

Porrò Chaldæis Chriſtianis hodieque conſuetum ferunt, hoc titulo compellare diuos: MAR PHETROS. MAR PHAVLOS. Dominus Petrus, Dominus Paulus. Porrò quod in DOMNI voce Fortunati tempore Latini, id in κυρὸς & κυρὰ per ſyncopen truncatis item feciſſe Græcos, ſollerter *Gretſerus noſter ad II. Tom. de cruce* notauit.

VT PRO PECCATORVM MEORVM REMISSIONE PIVS IS (S. Marti-

inus) INTERCESSOR ACCEDAT.] Sic restituimus olim ex Co-quam lectionem hoc lubentius amplectebamur, quod rubo-pariter ac documentum hæreticis nostri temporis afferret. c enim & culpas superesse discebant remission e eluendas, nec as, vt vellent, ceu fidei pallio contegi; & insuper remissioni de-catores etiam interuenire SANCTOS. Verum eadem sententia ia, quæ & ex superiore contextu sponte sequitur, MSS. potio-legendum suadent. Intercessor accedas.

EVENTIVM.] Qui & Euantius & Auentius, Viennensis, vt opi-r, episcopus; *quem lib. VIII. C. XXXIX.* diem obijsse testatur *Gre-rius*, anno XI. regni Childeberti Austrasiorum. Celebrat eum, u sanctum, *Ado in temporum libr. ætate VI.* & Philippi successo-m; aitque eum PRISCO & ARTENNIO Senonum, REMIGIO Bi-irigum, & cum alijs sanctis episcopis VIGINTI CAPITVLA ECCLESIA-TICA PERFECTE ROBORASSE. quæ de Synodo secunda MATISCONE ollecta, Guntrami regis autoritate seu diligentia, Baronius ad an-ium Christi DLXXXVIII. rectè obseruauit accipienda. *Tom. II. Con-il. Greg. lib. VIII. C. VII.* Euentius Viennensis Præsul.

FELIX.] Hic Nannetum episcopus, de quo ilicò mox age-tur.

III.

AD EVNDEM] Primum huius libri poëma, breuem habet summam virtutum S. Euphronij, in quibus morum candida simplicitas, pari iuncta liberalitate & in grege tuendo vigilantia, eminent.

IV.

AD FELICEM EPISCOPVM NANNETICVM.] Hæc certè qui-dem epistola vt legi posset, nedum intelligi vix olim sperare audebam, donec bibliothecæ Treuericæ tandem copijs & oportu-no subsidio in spem erectus, reddi eam posse, legiq; ex ea, quod ad intelligendum satis esset, equidem confisus sum. Scripta videtur ex Oceano finitimis ARMORICIS, eo tempore, quo RHADE-GVNDES thalami curis exuta, iam Christo se suaque in Pictauis

 dicarat.

dicarat. Vſus autem eſt Fortunatus hic oratione magis ſolito tumente ac ſufflata, quod negotium eſſe forſan ſibi intelligeret, cum homine, quem ipſe prædicat hic ſane diſertiſſimum. Certauit enim in hoc Felice eloquentia cum generis nobilitate, nec virtus in eo quicquam familiæ claritudini conceſſit, quæ ſanè quàm ardua ſit in nobili ſanguine temperies, eorum prodit raritas, in quibus hæc omnia ſimul ornamenta conſpirent. Porrò tacere hic nequeo, quàm moleſtum atque etiam infinitum ſit, enumerare menda, quæ cum aliunde, tum ex hac præſertim epiſtola, hac iterata caſtigatione, ſuſtulimus. Nec ſatis intelligo in Criticorum libris, quorſum illa vulgo tam exquiſita & oſtentationis plena, operæ interdum haud magnæ, profeſſio, cum autorem, vt meus eſt animus, ſat vtique iuuat, qui reipſa, aut certe conatu, tenebris eum & errore liberat; niſi ſi ratio interdum, cur hoc potius, quam alio modo legeretur; iuſtas ob cauſas reddenda foret.

Felix Namnetum excellens episcopus.

INTER CAVTES ECHINADVM.] vul. *inter cauteſe inclinantem*. Sed hanc ceteramque barbariem nullo negotio MS. Treuir. profligabat, & fabula ſiue hiſtoria conſentit. Dicuntur enim ECHINADES inſulæ in Epiro, contra Ambratium ſinum, natæ, Acheloi impetu arena limoque eum in locum conuectis. *Plin. lib. II. Thucyd. II. Ouid. metamorph.* VIII. Nobilitauit eas illuſtri victoria ſua, hac memoria noſtra, IOANNES AVSTRIACVS CAROLI V. F.

POLYDEVCEN.] vulg. *Polydeachen*. ſed, ne ambigeres, lib. Treuir. gloſſema faciebat, *Pollucen* referens in margine. Adi Nat. Mytholog.

DENIQVE NEC CAVCASI NIVE, RABIDÆ NEC VRSÆ.] Locus planè confragoſus; ita eius aſperitas omnium etiam exemplarium copijs vix domari poterat. vulgo enim legebant *Denique non cæca hyeme rabidaue aura*. Theodorus Pulmannus mirè æſtuans, non cæca humana rabida, nec vrſæ ſidus legebat. Palmam hic tulit Colon. cuius vſus ab ingenij monumentis claro viro, D. Cornelio Steenwechio olim mihi contigit, qui pro, cæca hyeme, habuit. *Cau. .mene.* . quæ comparata cum alijs, facile iam eſſe legendum *Caucaſi niue*, ipſiſque quoque litterarum veſtigijs ſuadebant. Illud

autem

autem expreſsè quod ſignabat. *Rabida nec vrſa*, ecquis ex rabida aura nimirum extunderet?

SI LIGERIM VOBISCVM ASCENDISSEM ſ.f. ET NAMNETIS OCCVRSISSEM.] Ita ex colon. denuo reſtituimus, cum vulgo nimium quam abſurdè, *Si degerem vobiſcum*, ſuppreſſo Galliæ prænobili & ampliſſimo flumine, quod per Celticam clariſſimas vrbes Aureliam, Bleſam, Turones inuiſens, Carnutes etiam & extrema Aquitaniæ petens, denique in Oceanum, quem Britannicum appellant, ſeſe exonerat. Nec procul ab oſtijs ſe præbet hic Nannetum vrbs, vt olim Rom. rep. clara, ita recentiore memoria, Ducum ſede non obſcura; hanc perpetuò Namnetim huius ſæculi conſuetudine Fortunatus & Gregorius Turon. appellant. Ligeris flu.

TE MIHI CANOBO, CHERVSCIS ACCERSENTIBVS MYOPARONEM.] Hæc vulg. deprauatiſſimè. *Te mihi. . . Cano. . . . . Bocherucis &c.* Sed Colon. exemplar nebulam eã diſpellebat. CHERVSCI namque Germaniæ magnæ populi, circa ALBIN fluuium, in Saxonia incolentes; hos pro ipſis accipit Saxonibus, qui Britannicam oram, in qua Nannetes & Aremorici, piraticâ vſque adeo infeſtarunt, vt illius oræ litus inde Saxonicum à Romanis appellari cœperit. Vnde & in Notitia imperij, Dux nominatur Saxonici litoris, qui à Belgis vſque ad Sequanę oſtia curans, vim piraticam externamque defendebat. Hinc Sidonius Apollinaris de Nammatio præſtantiſſimo viro lib. XIII. epiſt. VI. *Sed ecce dum iam epiſtolam, quæ diu garrit claudere optarem, ſubitus à Santonibus nuncius conſtanter aſſeuerauit, nuper vos claſſicum in claſſe ceciniſſe, atque inter officia nunc nautæ, modo militis, litoribus Oceani curuis inerrare, contra Saxonum pandos myoparones, quorum quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas.* Id quod clarius etiam in Auito expreſſit. Cheruſci, ſeu Saxones piratæ Galliarum

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat.

Affirmat etiam quod volumus, ipſa MYOPARONVM vox, nimirum ad Saxonum piraticam hic alludi; nam Saxones vſi ferme myoparonibus & ob paruitatem habilibus, & ſceleri aptis ob celeritatem; ſiquidem ἀπὸ τοῦ μυὸς id genus nauigij ferre placet vocabulum. Myoparones Saxonum.

lum. vnde non lepidè magis, quam signatè Apuleius apolog. I. Qui myoparonem quæsierit, pirata erit. Ex III. quoque de rep. Ciceronis apud Aug. de ciuitat. DEI. *Alexandro sciscitanti ex pirata, quo scelere impulsus mare haberet infestum, vno myoparone, eodem,* inquit, *quo tu orbem terrarum* Lib. IV. C. IV. CANOBVM vero Menelai fuisse gubernatorem vel pueri norunt, à quo & CANOPVS, siue CANOBVS, (vtramque enim scripturam probat Quintilianus lib. I. C. IX.) insula maris mediterranei nomen inuenit, quæ Nili ostio, quod CANOPICVM vocant, est obuia. Sententia itaque hæc est Fortunati; se, Felice episcopo Canobum & gubernatorem agente, fretum artis poëticæ blandimentis & litterarum solatijs, vel Saxonum aut Cheruscorum vnum aliquem myoparonem conscensurum fuisse, tutumque medijs in periculis, vel ipsas enauigaturum SYMPHLEGADVM angustias: ex quo nauigandi casu denique sospes, cum plausu Pindaricon aliquod tanqum Soterion caneret; sicut ille princeps Lyricorum, Oëtam montem Herculeum siue Tyrinthium, inter Thessaliam & Macedoniam sepulchro Herculis cantatum melicis suis etiam magis extulit. TYRINS autem in Peloponneso natale solum Herculis est, vnde & passim ipse apud poëtas audit Tyrinthius, atque istuc est videlicet, quod corruptissimè sic in vulg. extabat. *Catanea Tyrincia.* Iam Symplegades etiam reposui pro eo quod MS. *Sympheras*, Calar. *Symphonias.* Induxit me eam in sententiam, quod in melioribus libris inueniebam, *Se mordentes*: ilico ergo regressus sum in memoriam, Symplegades insulas contra Bosphorum Thracium, à Plin. lib. IV. c. XIII. & Pomp. Mela. lib. II. describi: sicque appellatas, quod in fabulis esset, eas inter se aliquando concurrisse: quia paruo scilicet discretæ interuallo ex aduerso intrantibus geminarum, mox, acie paululum deflexa intuentibus, coëuntium, seque (vt Fortunatus loquitur) *mordentium*, speciem præbent.

PLAVSV CREPEREGICO.] Non facile alibi obuia vox. vulg. hic: *plausum peregisse.*

Locum deprauatum animaduertit Theodorus Pulmannus, qui nec hinc se facile expediebat; professus tamen ingenuè, in MS. G. legisse se Creperegico. in alijs, clauso crepereïco. Cœpi cogitare mecum

mecum, quia non mediocres in hac sylua tenebræ, an non ausu crepero rescribi possit, vel creperico, quandoquidem Fortunatum apparet vocibus antiquis, non vti magis cum Varrone, quam delectari. Crepera autem res priscis idem, quod dubia fuit, vt monet varro l b. 5. & Non. Marcell.

NEC SI VECISCI VENISSENT.] Hæc epistolæ intexta Felicis episcopi verba ad Cheruscos Saxonesue refero, qui tum iam Britannis citerioribus permisti crebrò in Aremorici oram commeabant; & apud quos Felix magnam autoritatem obtinebat, propter existimationem dignitatis & potentiæ, cum huius gentis plurimos ad baptismum aleret, Christianisque institutis erudiret.

LVDOS ITHYPHALLICOS AMPHIONIO BARBITO REBOASSE.] Vix ex hoc loco sententia exsculpi potuit. Phaliscos & phalicos ludos, cum plerique MSS. præ se ferrent, nec quidquam inde ad rem aptum eruere licuisset, ad phalæcios & Hendecasyllaborum, ingenij nempe lusum, confugimus. Ceterum, vbi in Theodori Pulmanni libro, ipsius manu Ithyphallicos, disertè expressos vidi, hærere cœpi, & facile ex vestigijs huius scripturæ id e phaliscos, id conflari nominis potuisse deprehendi; vnum tamen distinebat cunctantem, quod ad eam lectionem viris, testes Libros veteres, omnino nullos, vt solet, advocaret. Adij itaque Tiliobrogæ librum, quem præ cæteris vt egregium laudaui, in quo sic scriptum reperiebam. Attamen super illum, id est vos confiteor laudos Itifalicos amphyonio barbyto reboasse. Quo quidem scripturæ, licet vitiosæ, ductu, indicioque, rem me manifestam habere censui. Ithyphallicos autem ludos, & Ithyphallorum carmina temulenta lasciuaq; orgijs Liberi patris, imo in acroamatis & gelopęis Gręcanicarum mensarum, adhiberi solita, pudicum poëtam nostrum potius tenus, quã notionis recessu, hic vsurpasse, crediderim. Quanquam prohibet nihil, quin τὸ Ἰθυφαλλικὸν καλούμενον μέτρον, cuius Hermogenes priore de Ideis libro meminit, meminisse & ipse, legenq; agnoscere potuerit. Cuiusmodi Terentian⁹ Maur⁹ describit.

Ithyphallici ludi.

Ithyphallica porro dicarunt
Musici poëta.

Qui lu

Qui ludicra carmina Baccho
Versibus petulcis.
Graio cum cortice Phallo
Tres dabant trochaos.
Vt nomine fit sonus ipso
Bacche, Bacche, Bacche.

Sed de his adi, si vacat Athenæum lib. XIV. & in eum Animaduers. lib. VI. c. XV. Isaci Casauboni. L. Cœlium quoque Rhodeginum lib. VII. c. XVI. & interpretes Catulli XVIII. ad Hortorum Deum. Lyram vero Amphioniam, quæ hic barbiton, non ignorat grex imus Penulatorum. Atque diutius iam sanè, quàm volui, in hac mendorum vindicatione versatus sum, eo forte lubentius, quod viderem alias futurum, nè multi intelligere nollent, aliquid hisce maculis abstergendis operæ in commune conferri, quod qui dissimulare solent obtentu artium nobiliorum, quas se curare vnas inquiunt, mirum est, quàm paruis in rebus quam grauiter sæpe allucinentur.

V.

Felicis Nannetici fama defensa.

VEREOR ne ij, qui Gregorij Turon. historiam attentius legerunt, parum, in FELICE laudando, poëtam historicè id est fideliter ac vere versatum esse, censeant. Nam is lib. V. c. V. eum habuisse fine laude vix contentus, publicis item est de illo questus litterarum monumentis. *Si Massilia*, inquit, FELICEM *habuisset sacerdotem, futurum haud facile vnquam fuisse, vt oleum naues ceterasque merces, sed chartam istuc solum importarent, quo vel hinc Felici ad insectandum bonos maior etiam copia suppeteret, immensa enim fuisse cupiditatis ac iactantia.* Sed hæc est oratio, vt mihi iam quidem adhuc videtur, singulare in episcopo tunc erratum notantis, cuiusmodi non in hac vita vitantur à claris etiam fastigio ac magna cæteroquin ornatis morum perfectione, viris. Nec quidquam monebat aliud næuus ille in candida veste B. ANNONIS sanctitate celeberrimi Agrippinensium antistitis, quem obiecta manu frustrà occultare studebat, cum DEVS per visum in frequenti episcoporum cœtu, ceu humana assumpta voce, cuiusdam illum errati commonefacere-

Lib. 2. c. 25. vitæ apud Surium tom. 6.

nefaceret. Sed genus tamen Felix suum insolentius ostentauit, & altiores, quam pro episcopi conditione, spiritus gessit, quin & cupiditate prolapsus villam appetijt. Vt de hoc postremo taceam, quod iure bonoque fine & à quo oportebat, ab eo confieri potuit; primum omnium arbitror, rectè eum hoc natalium præsidio ad tranquillitatem salutemque publicam niti potuisse, id quod etiam ab eo factum, appello testem mihi B. Gregorium, qui lib. IV. Francor. histor. c. IV. *Felicem hunc*, meminit. *Chanaonis vim atque tyrannidem à capite Macliaui Britanniæ Comitis, cui Chanao frater erat, propulsasse, ac præsenti eripuisse neci*, quod fieri haud dubiè sine maxima autoritate, non potuit. Præterea quis scit, an idem euenerit Felici, quod Scipioni Africano accidisse memorant; *cui vt virtus gloriam, sic gloria mox æmulos, comparauerat*: atque huius rei publicam famam Gregorium misisse in litteras? Quę quidem à nobis eo dicta, non quod Felicis gloria nostro magnopere testimonio indigeat, sed quod hac vna via, Fortunatum effugere cernimus notam assentationis. Felicis autoritas.

QVI IVRA BRITANNICA VINCENS.] Iura Britannica ccipit dominatum & imperium aduenarum, qui trans mare ex ritanniæ insulis iam tum in Saxonico litore & Aremorici parte des domiciliaque fixerant, primo sub regibus; vnde & in regna terior hæc Britannia (quantula portio terrarum?) distributa *Greg. libr. IV. C. IV.* inde sub Comitibus, quo in titulo, Francorum mis edomiti acquiescere tunc sunt coacti. *Nam semper*, inquit em Gregorius *sub Francorum potestate post obitum regis Clodouei runt, & comites non reges appellati sunt.* Quanti vero apud hos itannos ad omnem Christianam pietatem effl·rescentes EPISCOPORVM nomen & dignitas extiterit, vel illa pontificum atio indicio est, quæ Britannorum motus in vicinos Nannetum os cum maximo pecorum hominumque damno prorumpen- Guntramo, Chlotario & Childeberto regibus, non modo re- Tit, sed ferocientes licet, huc etiam perpulit, vt suum cuique ex o bonoque redderent. *Gregor. libr. IX. C. XVIII.* His itaque ars & armis, puta RELIGIONIS, autoritate & opinione itis, Felicem, ait poëta, iura Britanniça vicisse: id quod clarius

Britannica iura.

Britanniæ minoris politia.

Felix episcopus magni apud Britannos nominis.

etiam de Felice Gregorius ipse lib. v.c. XXXI. testatus est, vbi Britannos Nannetum atque Rhedonum vrbes populatione diuexantes, legatione Felicis, ait, ad pacem solicitatos, etsi promissis negata fide, in irritum ea tum cecidisset legatio.

VI.

Dedicationes templorum, quo præsulum & populi concursu olim celebratæ.

QVOD in votis Felix episcopus iam dudum habuerat, id tandem assecutus, templum beatis Apostolis PETRO & PAVLO apud Nannetes suos erexit: ad eius dicandi ENCÆNIA vicinis quibusque, quorum nomen aliquod esset, accersitis episcopis, celeberrimum in ecclesia consecrandarum ædium ritum, ceremoniamque, retulit, solent quippe ad dedicationis pompam viciniores inuitari episcopi & præsertim intra eandem prouinciam constituti: sic B. Ambrosius epistola v. *se & vnà Felicem episcopum à Bassiano inuitatum* scribit. & Gaudentius Brixiæ præsul coæuus Ambrosij. in tractat. dedicat. basilicæ concilij SS. *Vt hanc*, inquit, *honori* (sanctorum) *fundare basilicam valeremus, ipse largitus est, & hodie, vt adepti summorum sacerdotum præsentiam, dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit. Conuenerunt enim sancti antistites & apostolici viri, ad persoluendum beatissimis patribus, & præceptoribus suis, debitæ deuotionis obsequium; licet oportunitas barbarorum maximam partem celebritatis diei hodiernæ subtraxerit, ne cæteri sancti antistites, quos interfuturos credidimus, aduenirent.* Templi verò huius figuram, quod passim hodieque fit, CRVCIS IN MOREM FVISSE EXPLICATAM, machina triplex, quam vocat, argumento est. vnde poëta.

Et Trinitatis opem machina trina sonet.

Consumitur autem præcipuè poëma in eorum pontificum laudibus, qui honoris & officij caussa in ENCÆNIIS apparuerunt. Cæterum quid sibi Christiani poëtæ in voce *Trinitatis* permiserint, non tacuit venerab. Beda lib. de arte Metrica.

INTER QVOS MEDIOS.] EVPHRONIVS hic Turonensis fuit episcopus, de quo ad primam epistolam diximus.

DOMITIANVS ITEM. VICTORIVS] DOMITIANVS Catalaunensis IX. Augusti etiam sanctitate venerandus. VICTOR Tricas-

Tricassinus magni in Gallia nominis episcopus. *Gregor. libr. V. c.XX.*

DOMNVLVS.] Ad XVI. Augusti memoriam habet in ecclesia perennem, S. DOMNVLVS CENOMANORVM EPISCOPVS. Atque hi omnes plerique synodo Turonensi II. circa annum Domini DLXX. interfuisse leguntur, vt à Baronio quoque diligenter obseruatum est.

MARACHARIVS INDE.] Sic contra vulg. exemplaria legendum, non puto, sed scio. Gemino itaque errato deformis erat lectio, quæ *Macharium* præferebat; prosodiæ scilicet & anistoresiæ. Prælucet hic nobis, vt solet, præclarè Gregor. lib. v.c.XXXVI. *vbi Maracharium* percenset. *Engolismensium fuisse Comitem, qui Nantino ex sorore cognato sibi suffecto, ecclesia sociatus, primo clericus, inde episcopus Engolismensium sit factus*; gloriosius etiam sibi longe ratus ex Comite vti fieret episcopus, quam vt ex episcopo Comes: id quod non sapientes modo in religione nostra, sed vulgus etiam Christianum, (Ambrosio teste) prædicare solet, cum prouerbio diceret. *Quod imperatores sacerdotium magis optauerint, quam imperium sacerdotes. epistola XXXIII.* Addit etiam Gregorius, summa illum vigilantia ecclesias earumque facultates auxisse & conseruasse; ac anno sacerdotij septimo ab æmulis in piscis capite præbito veneno, cum simpliciter & minimè cautè accepisset, præter omne meritum suum atroci morte vitam finijsse.

Maracharius Engolismensiū antistes.

RES SVBLIMIS ENIM TARDA SED AMPLA VENIT.] Non potuit accedere propius ad illud Homerium ὄψιμον ὀψιτέλεστον &c. quod eloquentiæ princeps conuerterat.

Tarda & sera nimis, sed fama & laude perenni.

VII.

ELEGANS hæc panegyris honori principum Apostolorum recitata, qua dignitatem ac munia vtriusq; feliciter exequitur. Est autem in topothesijs hic satis fortunatus poëta, planeq; seipse vincit, quoties loca describenda suscipit; ita venustè expingit illa, & eorum, quod poëticæ proprium munus est, naturam imitatur.

GALLIA PLAVDE LVBENS.] Reliquias SS. Apostolorum, quibus

condecorata Nannetum basilica, Romà significare vult istuc vsque perlatas.

Vertice sublimi patet aula forma triformis.

Templa spatiosa & capacissimas Basilicas hæc & superior ætas tot, tamque magnificas surrexisse vidit, vt structurarum magnitudini & frequentię nusquam cessisse crederes conditorum alacritatem. Nam cum Episcopi ex senatorio ordine, & illustrium auorum stirpe complures assumerentur, & Francici coloni religione neophyti, Latialium incolarum pulcherrimo facile ducerentur exemplo, operibus hisce nouis scilicet abunde suppetebant impensæ. Itaque, quod priscæ non minus facit illustrandæ religioni, quam discingendæ nouatorum imperitiæ, fastigia turrita basilicarum, in conum seu cristas vbi vbi sublata, crucis in effigiem diducta, lacunaria collucentia marmore, & ad lumen reuerberandum bracteatis vestita crustis, specularia & vitra versicoloribus illusa figuris, parietes picturis & emblemate diuerso solerter imaginatos, Paulinus, Sidonius & Fortunatus passim ingeminant. Et quia à radijs solaribus infusis, bonoque lumine hic noster templa sæpe collaudat, in eo Sidonium autorem habuisse crediderim, qui S. Patientis opera basilicam suo tempore Lugduni extructam lib. II. epist. X. eleganter descripsit.

Intus lux micat; atque bracteatum
Sol sic sollicitatur ad lacunar,
Fuluo vt concolor erret in metallo.
Distinctum varijs nitore marmor
Percurrit cameram, solum fenestras
Ac sub versiculoribus figuris
Vernans herbida crusta sapphiratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos.

ILLIC EXPOSITOS FVCIS ANIMANTIBVS.] Sic rectè Colo. MS. pro eo, quod vulg. *fusis* animatibus. valde autem id eleganter dixit colorum fucos animare expositos artus; quæ non tam verbis, quam ipsa quoque sententia à vulg. aberant.

S. Ferreolus. ALTERA FERREOLI.] Hic tribunitiæ potestatis in ordine militari, tandem martyrij lauream Christianæ fidei constantia promeruit

ruit

ruit Martyrol. Rom. ad XVIII. Septembris. consule ibid. Cl. Boronium. Viennæ verò & certasse & maximo in honore fuisse, testes; hic noster lib. VII.

Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.

Et Apollinaris. Sidon. ad Mamercum illum Diuum & Viennensis ecclesiæ solem. *Tibi soli concessa est, post auorum memoriam, vel confessorem Ambrosium, duorum martyrum repertorem, in partibus orbis occidui, martyris Ferreoli solida translatio. lib. VII. epist. I.* Apollinaris Sidon.

VIII.

FELICIS Nannetum episcopi eam hoc poëmate scribit fuisse dignitatis amplitudinem splendoremque virtutum, vt Aremoricę tanto ciue ornatæ cum Gręcia ipsa, adeoque toto oriente in certamen dignitatis venire possent. Præcipuè verò in Felice laudat nobilitatem generis, doctrinam pudicitiamque, liberalitatem in egenos, in tuendo aduersum errores grege constantiam; denique summam in homine fuisse ostendit integritatem & morum innocentiam. Felicis Nannetici pręconium.

REGIONIS ARMORICI.] AREMORICVS siue ARMORICVS in Gallia regio ista terrarum est, quę ciuitates olim & populos habuit quos è regione Britanniarum Cæsar lib. VII. ad Oceanum habitasse, perhibet. Aremorici descriptio.

Oceanum, inquit, *attingunt, & eorum consuetudine* AREMORICÆ *appellantur,* quo in numero erant Curiosolites, aut, vt Plinius, Cariosuelites, Rhedones, * Ambibarij * Cadetes, Osissimi, vel Osismij, * Venelli, quos plerosque Plinius in Gallię Lugdunensis partē eam compingit, quam peninsulam ipse vocat spectatiorem, atque excurrentem à fine Osissimorum in Oceanum; vltra quam peninsulam versus Aquitaniam & Ligerim, constituit Nannetes, (de quibus hic sermo.) lib. IV. nat. hist. c. XVIII. Pliniana itaque descriptione AREMORICVS magis vicinis Aquitanico Oceano populis, quàm Britannicum accolentibus conueniebat, cum diserte testetur ipse c. XVII *Aquitaniam Aremoricam ante fuisse dictam.* Ptolomæus quoq; Plinio in harum situ gentium, & si tacito Aremoricorum nomine, suffragatur: nam Venetos & Osismios peninsulæ

*Ambiliatrij vel Ambilates. *Calletes vel Gallesi. *Vnelli.

velut includit, cuius promontorium biceps, BRESTANO portu celebre, appellat GOBÆVM. At supra hos locat SAMNITAS, pro quibus ponendum equidem rear NAMNITAS: quandoquidem & Samnîtes ignoti hisce regionibus. quodque addit παρακιάζοντες τῷ λίγηρι ποταμῷ. Ligerim accolentes, in Nannetes vel maxime Plinij & Cæsaris descriptioni quadrat. Neque enim vllo modo ista locorum distortio ferenda videtur, qua submoti ab Oceani conspectu Nannetes, introrsum in Ligeris & Sequanæ velut Mesopotamiam retruduntur. Id quod tamen Ptolomęi corrector aut dissimulauit, aut animaduertere (vt pleraque) non curauit. Interea missis illis, id vnum ego iam studij habeo, ostendere, peninsulam illam Plinianam, etiam à Ptolomæo obseruatam; in eaque positos item ab illo Venetos, Osismios, qui scilicet à transmarinis & insulanis aduenis loco demum pulsi, aut suppressi, regionem cum nomine cessêre BRITONIBVS. Hi verò serius tandem stabilita, virtute ducum suorum, potentia, vicina quoque Aremorici loca traxerunt; ita vt Nannetes denique, Comitatus titulo, adscribi meruerint Ducis Britanniæ natu maximo filio. *Ioann. Tilius Raimund. Francic. rer.* Quare Nannetes hodieque numerantur Britanni. At sub Chlodouei liberis ac nepotibus haud paulo secus, quando Aremoricorum adhuc libertate & gloria viuebant. Quod autem ad Aremorici fines: illi sanè non ita stabiles fixique, quin interibi aut dominorum arbitrio, casibusque temporum, mutarint, alioque transierint. Quà, in veteri imperio, Romanis adhuc integris rebus, pertinuerint, ante delibatum est. Illud vero notabile, iam inde à Constantini & illius successorum ætate, aut paulo etiam supra illa tempora, ab Sequanæ ostijs ad Garumnam vsq;, quà patebat longè Saxonicum litus, duos surrexisse percelebres limites; alterum EBRVICANI; alterum AREMORICI TRACTVS. vtrique suus Dux ex disciplina militię Romanæ præerat: Per Ebruicanos Scaliger intelligit Aulercos, *comment. ad Auson. lib. II. c. VI.* fauet illi haud dubiè Ptolomæus, qui Aulircijs cognomen dat, voce corrupta Eburaicorum. Iam verò per Aremoricos accipit, hinc omnem tractum, qui excurrat vsque ad Ligerim. Colligit igitur ipse tractus Ebruicani & Aremorici limites per Lu-

Nannetes.

Saxonici litoris limites Ebruicanus. Armoricus.

per Lugdunensem II. & III. porrectos, & Aquitaniam II. Atque huius quidem descriptionis autorem habemus librum NOTITIÆ IMPERII cui⁹ exempla si dense proferri haud possint, nō iccirco tñ æstimandum est, minus fideliter hęc reconditiora mandari litteris sed propterea testimonijs ea destitui, quia in magna inopia veterũ librorum non huiusce generis exempla vsurparunt antiqui scriptores sæpe multi. Et hactenus ego quidem, cum me Belgicorum martyrũ noscitandis actis dederem studiosius, prorsus ita persuadebā mihi, quę pręter Belgas ora per Normanos hos recētiores & Britones mare versus patescit, nobilib⁹ sane portubus inclyta, hāc appellatam fuisse NERVICVM, aut, vt alij legunt, NERVICANVM limitem. Huc me ducebant S. QVINTINI martyris acta, scriptura Notitiæ imp. B. Paulinus ad Victricium, & in primis Petri Diuæi sētentia, cuius ego viri iudicium & eruditionem in Belgicis antiquitatibus non parui sane faciebam. In eo eram; cum re considerata mecum diligentius, animi anceps esse cœpi. Primum enim illas Neruicani aut Neruici voces ceu parum genuinas à doctis eijci, melioresque, vt volebant, substitui, nec temere ab ijs rebar fieri, nec sine veterum librorun autoritate. Videbam adhæc facillimā huius, in Ebruicanum deflexionem. Obseruabam præterea limites eos Ebruicanum puta & Aremoricum, confines iunctosque sic extitisse; vt alterum alter mox exciperet; atqui si Neruios coniungerem cum Aremoricis, excedi omnino, & confundi prouidam illam Romanorum διοίκησιν facile intelligebam, comprehensis in vno Neruiorum populo tot ciuitatibus ac prouincijs, quod olim numerabantur ijs in sedibus, vbi hodie Picardi, Normanni, Brittanniq; degunt, Sed quod caput rei, inueniebam deniq; in Lugdunensi II. ciuitatem EBROICORVM fuisse nobilem; eiusque agrum vicinum Aremoricis apud Æthicum & Vibium Sequestrum, describi. Quo minus cunctari me posse iam cernebam, quare non ad priorem eam descriptionem accederem, eamq; lectionem quoque mutandam ducerem, qua in actis SS. QVINTINI, CHRISPINIANI ET MACRÆ Rictius Varus scribitur *Neruici limitis* præfectus, quod de *Ebruici limite* accipiendum mallebam, qui ad Belgas quoq; pertinuit. Illustrior lōgè est *Aremorici tractus limitisue* testatio,

Neruicus limes an aliquis? an idem cum Ebruicano

Aremorici tractus situs & vicissitudo.

testatio, etsi difficultatem penè propriam habeat, quomodo Fortunatus eam regionem terrarum, quæ Nannetum & Felicis episcopi patria erat, ex sui temporis vsu *Aremoricum* vocet, An enim Aremorici in eas forte tum coacti angustias, vt quos vastam illam Peninsulam Britanniæ, ex ijs, quæ diximus, occupasse olim constat, hos rectè iam Fortunatus cis & paulo forsan vltra Ligerim flumen collocet? Rursum, si vertere solum & contrahere fines suos Aremorici compulsi, ecquando, & quo iure iniuriaue, quibusque causis malum passi tantum? Sane, qui SS. VNDECIM MILLIVM VIRGINVM historiam ex *Gaufrido Asaphensi* restituendam putant, Aremorici cladem & amissionem patriæ Maximo imperatori tribuunt, hocque subsidio Gaufridus, vt apparet, narrationem suam probabiliorem quoque facit.

Gaufridus Asaphensis.

Equidem inficias ire non possum, vehementer me, cum Guilhelmo Neubrigensi, qui scriptor Anglicarum rerum & ferme σύγχρονος, ab Gaufrido dissentire; neque facere tamen id, quod clarissimorum hominum, queis incipit adlubescere, iudicio postulem anteponi meum, sed quod nemini nocere me sciam, etiam profuturum sperem multis, si liberè & apertè tradam hic, quod sentiam. Profiteri enim in primis haud vereor, Gaufridum illum historiæ tam remotæ testem parum esse posse idoneum, tum quod anno demum post Christum natum MCLI. hominem vixisse constet, tum quod fides eius, æqualibus posterisque minimè probata sit.

Matthæus Paris Angl. hist. Guilhelm. Neubrig. præfat Angl. hist. Genebrard. ad annum 449.

Deinde feror in eam quoque partem, vt illam Gaufridi orationem, qua Aremorici reip. interitum & deductas è Britannia istuc è Maximo tum virorum, tum fœminarum colonias exponit, parum credam fidei historiæ, & veterum monumentis consentaneam. Ea porro, quod quidem ad præsens negotium, sic habet: *Cum Maximus proximas Gallias inuasisset, ac vicinos Armoricos sedibus expulisset, vacuam prouinciam, vberes glebas Britannicis militibus noua colonia tribuit ac diuisit: vnde & eidem prouincia comparatum est nomen, vt minor Britannia diceretur. Quo verò eorum etiam posteritati consuleret ex magna Britannia insula singulis vxores quæri iussit, singulis militibus singulæ virgines ex gentilibus suis sunt in matrimonium postulatæ.* In hac quidem oratione cum visa multa mihi alia iure refellenda, tum vel illud ante omnia, quod

Aremoricus an sub Maximo Imp. Britanniç nomen acceperit. SS. XI mille virgines an desponsæ militibus vxores ijs

quod de aremoricis promit. Tacebo enim hic, quam alienum istuc á rationibus Maximi sit excogitatum, tyrannum medio videlicet in procinctu armorum, crudis adhuc & acerbis rebus suis, irritare fortissimos Aremorici populos, & iuuentæ Britanniæ robora, quibus aduersus Gratianum eiusque vindices opus vel maxime tum erat, curis illigare vxorijs, contra militiæ Romanæ disciplinam. Neque dicam, quam ea ridicula fingatur & intempestiua, & priscis omnium tacita litteris Maximi cura posteritatis propagandæ, &, ceu Galliæ Hispaniæque fœminas procreare desijssent, petere eum, adeoque cogere trans mare legionarijs suis vxores. Quodque cogitationem meam superat, hæc tot vndique à parentum & natalis soli complexu auulsa quidem, vt fit, puellarum agmina, in thalamorum & connubij spe consilioue, tueri, non martyrij modo decus, sed & pudicitiæ propositum, & τὸ τῆς παρθενίας ἀνλιχειδὲς? Hæc, inquam, quia in alium fortasse locum reseruo, silebo cuncta; illud autem de Maximo tacere non possum nimirum Aremoricos eum sedibus suis expulisse; & exhausta tanquam sentina regione, in vacuam illico possessionem milites misisse Britannici generis, qui nomen cum gente nouum item in Gallias afferrent. Age verò, putemus tempora, rationes ineamus annalium, litemque vniuersam contestemur, siquidem aliter quæstio hæc explicari non potest. Principio quidem Maximum constat, quo tempore imperium inuasit, secundis ferme Galliarum animis, leuique motu, in Belgicam receptum, & Treuiris sedem locasse imperij. Rursum perinde liquet, classe ex Britannia venientem cum exercitu, ea parte traiecisse, quà portus Gessoriacus obiacet, longè infra Gobæum, vocemus enim iam ita illud Aremorici promontorium. *Zosim. lib. IV.* Hæc illi tyrannidis primordia, hæc auspicia regnandi fuêre; quæ ferme ab anno CHRISTI CCCLXXXIII. in ann. CCCLXXXVIII. protulit, & Treuiris exegit. ***Sulpit. Seu. vit. Sanct. Martini. Latin. Pacat. Auson. Chronic. Euseb. Gildas.*** Nullæ produntur interibi caussæ Aremoricos lacessendi, nedum finibus extorres prorsus eliminandi. Quin antiquorum documenta litteræque suppetunt, &

qui Aremorico Britanniæ nomen dederint.

Maximi imperium & aduentus in Galliam.

Aremorici diu post Maximum incolumes & florentes.

hoc tempore, & in posterum quoque, Aremoricos sanè integros intactosque, pristina sua libertate vixisse, quando barbarorum illuuies Gallijs infusa, perniciem populis eam attulerat fermè cunctis. Vixit sub Honorio, Theodosio iuniore, & Valentiniano III. in Gallijs admirabili sanctitate, GERMANVS Antisiodorensis episcopus. hic scriptorem vitæ nactus est Constantium virum planè egregium, raraque doctrina, quem & Apollinaris Sidon. libr. IX. præsertim epistol. XVI. & Isidorus in viris illustribus celebrat. hic tanto post Maximum interuallo, Ætio patricio rerum in Gallijs sub Valentiniano potiente, cum prouincias iam omnes peruagati Gothi, sedes etiam in Aquitania, prope ab Aremoricis, posuissent, Aremoricos adhuc testatur sedium suarum & auitæ libertatis prope degisse securos, adeo; vt altitudo animi & rerum secundarum nimia copia, ijs sanè tum obesset; atque in periculum etiam adduxisset, ni Germanus id sanctitatis opinione auertisset. Nam cum ceteræ Galliarum prouinciæ, iam crebris externorum irruptionibus solicitatæ vnum ferme Ætium respicerent, in eiusque tutelã volentes se conferrent, ausi illum repudiare sunt Aremorici, paruique imperium ducis pendere calamitosi. Qua sui contemptione vsque adeò exarsisse fertur Ætius, vt accersito in intimam Galliam Alemanorum, siue vt alij corrigũt, Alanorum agmine sub *Eocharico fortissimo rege, prorsus iam pararet Aremoricum inclinandum obijcere barbaris, ni conciliata vtrinque pace, sanctus Dei Germanus, & aduentum Alemanorum mirabiliter repressisset, & motus sedasset intestinos. Hæc circa annum Domini CCCCXXXIV. gesta, postquam B. Germanus iam gemina pro Britannis legatione perfunctus à Pelagiana insulam hæresi repurgauerat. Sed recruduisse mox illam ciuilis discordię cicatricem apparet, Aremoricis seruire, & alienis obsequijs se dedere nescijs. Quo quidem illud spectare alijs frustra dissentientibus vix ambigo, quod Sidonius in Auito de Aremoricis prodit, eos nimirum à Littorio Romano duce Scythicorum seu Hunnicorum equitum auxilijs, denique ad obsequium traductos; id quod Carol. Sigon. memorat accidisse Ætio iterum & Sigeuulte Coss.

Sub Ætio.

* Eocharic. c. Eoric. Ennod. in Epiphanij vita.

Littorio.

Littorius Scythicos equites, tum forte subacto

Celsus

Celsus Aremorico, Geticum rapiebat in agmen
Per terras Aruerne tuas; qui proxima quæque
Discursu, flammis, ferro, feritate, rapinis,
Delebant, pacis fallentes nomen inane.

Rectè monuit etiam Sirmondus noster in Panegyrico Sidoniano Maioriani non vnâ expeditione, sed crebris Aremoricos ob rebellionem à Romanis appetitos. Quare subacti tandem, non, vt cederent Britannis, sed vt honestè in communi Galliarum fœdere aduersus externam vim parerent suis, incolumi tamen patria; quæ prius etiam à Gothis vicinis violanda erat, quam ab vltimis occupanda Britannis. Scripsit non tam Christianè, quam eleganter itinerarium suum Rutilius Claudius natione Gallus, consularis ille quidem & Præfectus prætorio, sed religioni Christianæ hostiliter infensus. Scripsit autem post vrbem captam à Gothis. nam librum secundum postquam Stiliconem liuido dente fixisset.

Proditor arcani quod fuit imperij.

Tandem de Roma capta verba faciens, subijcit.

Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat.
Et captiua prius, quàm caperetur, erat.

Tempus quoque, cum hæc scripsit, disertè notauit, de Roma loquens:

Quamuis sedecies denis & mille peractis,
Annus præterea iam tibi nonus eat.

Id est v. c MCLXIX. qui Christi circiter fuit CCCCXVII. posterior vtique Maximi imperio ætas. Hic tamen, vt cæperam, Rutilius, vbi Palladium adolescentem è Gallia nobilem ac facundum laudat, ita de Aremoricis loquitur.

Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras Exuperantius.
Nunc postliminium pacis amore docet.
Leges restituit, libertatemque reducit,
Et seruos famulis non sinit esse suis.

Fuisse tum in Aremoricis, per tantas barbarorum offensiones; aliquid de eorum libertate, & finibus detritum, aut delibatum, hinc sanè perspicimus; at sine tamen detrimento summæ rei,

quandoquidem ipsorum resp. etiam cum Præfecturæ dignitate, in Exuperantio ftetit. Quos autem hic famulos Aremoricorum scribat, haud difficulter is intelligit, qui ex Saluiano & Prospero repetit, *Honorio iam IX. & Theodosio V. Coss. Gothos sub Ataulfo ex Italia reduces, fessis tum vltimorum malorum experimentis Galliis, in Aquitaniam receptos, non sine maxima vicinarum regionum iactura.* Vnde Sidonius ad Mamertum lib. VII. epistol. I. de Gothis in Romanum solum cogitantibus, cum se Ligeris alueo non continerent. *Circumiectarum*, inquit, *spacia tractumque regionum iampridem regni minacis importuna deuorauit impressio.* Atque hic immunes quis tam rudis vt existimet perstitisse Aremoricos? Ex ijs iam verò, quæ diximus, manifestum relinqui putamus, ijs etiam annis, qui Maximi tyrannidem longè consecuti sunt, Aremoricos suis adhuc inhæsisse sedibus, & multò minimè cum nomine patriam ipsam amisisse.

Aremorici inclinatio.

ALTERA de AREMORICIS, nunc quæstio superest, quâ explicandum erat, quo modo angustius habitare tandem, & parte finium multatos, auito solo demigrare contigerit: Est illud ita certè, Aremoricis non esse semper beatis licuisse: & successisse tempus, quo diuina prouidentia circumlatus chorus, eorumque prouinciam lustrans, quod Ætius nuper cogitarat, externis denique inclinandam eam daret. Neque enim adeo obtuso sumus pectore, vt sæculo CHRISTI quarto exeunte, diffiteamur, BRITANNOS omni iam malorum genere attritos, in obuiam sibi maris oram confugisse, Armoricisque partim sponte cedentibus, partim debilitatis iam animis, vim opponere non valentibus, aduenis olim amicis & legum iurisque Romani societate deuinctis, aliquid concessisse loci. Non potuit itaque fieri secus, quin magna tandem Britannorum superueniente multitudine nouumque istic moliente imperium, his inde prementibus, illinc instantibus Gothis, Armorici paulatim res limitesque fierent deteriores. Nec quicquam hic me terret I. Gallus homo eruditus, cum audio ita decernere; *Armorica cur tandem Britannia minor dici cœperit, nondum esse cuiquam adhuc compertum*: is enim, vt huius nostræ deprimendæ sententiæ pondus non affert, ita nec stabiliendæ suæ. quo minus

nus

nus etiam ab eo prohibemur, vltrà & quousque saltem possumus, in hoc inuestigandi studio progredi. Res verò non habet aliter. Iam inde à Pelagij errore in Britannia disseminato, PICTI SCOTIQVE solito grauiores in Britannos incubuêre. Quæsita omnia erant, & consumpta aduersus æternos hostes remedia: testes illæ querelis, & lacrymis oppletæ Britannorum ad Ætium litteræ, quæ apud *Bedam histor. Angl. lib. I. C. X.* leguntur: Desperatis verò Ætij auxilijs, insani illo operis muro, cuius hodieque in Scotia ferunt extare ruinas, se protexêre aliquandiu. At vbi nec ista munimenta ad vim faciendam Scotis Pictisque esse impedimento potuerunt, placuit SAXONVM armis, virisque ex Germania accersitis & oppositis, tanquam clauum clauo pellere. Verùm id futuri improuidis consilium euenit pessimum, vt qui metuerent, ne prædam auerteret hostis, præda mox ipsi fierent socijs. Enimuerò sub annum Domini CCCCXXX. cum sanctus Germanus in insulam venit, iam tum Saxones sociati Pictis fidem & signa mutarant, & atrociter in Christianos Britannos inuecti, *illa notissima & cœlesti voce,* ALLELVIA, *in fugam acti, & Germano præsente, victi fuerant. Miscell. lib. XIII. Paul. diac. lib. V. histor. Rom. Beda lib. I. histor. Angl. C. X.* Exitus is ergo Britannorum fuit denique, vt alij se Pictis superantibus Scotisque dederent, alij Saxonibus & Anglis victi parerent, *pars demum haud minima aduersum & vicinum Armoricorum litus appeterent.* Hinc igitur illa minor citeriorue Britannia nata est, cuius sub Clodoueo initia regnandi cœperunt. Principio namque regum insignia principes traductæ gentis tulerunt; inde mox Francis obnoxij tanquam potentioribus, regium nomen ponere & COMITVM honore contenti esse iussi. *Gregor. lib. V. c. XVI.* Sed crescente paulatim BRITONVM potentia, & in arma ciuilia Clodouei posteris sæpe coorientibus, facti iniuriæ oportuni veteres Romano sanguine vel iure Galli, præsertim Armorici: vnde & noui limites terminique à Francorum regibus constituti, quorum ipsi in tutela ac imperio erant. *Gregor. lib. II. C. XXXV. lib. V. C. XXVI. & C. XXIX. C. XXXI.* Retracti itaque pristinis è sedibus propius à Ligere flumine, quod nuper Britanni raptim accolebant, occupauere solum. At *limitum,* quos memini, duo apud Gregorium clari sunt;

Saxonum in Britanniam aduentus.

Britannorum in Armoricum migratio.

Successus.

Nanneticus & Rhedonicus limites nouæ Britanniæ.

alter *Nanneticus*; alter dictus *Rhedonicus*, in quibus crebræ cum Britannis præliorum ijs certamina extitere. Occupabatur ergo ab Armoricis hoc iam sæculo Christi quinto, quantum erat inter Aquitanos & Britannos aduenas intermissi in Rhedonum & Nannetum agris spacij. Eamq; regionem terrarum Gregorius modo *territorium* appellat, modo *terminum Nanneticum Rhedonicumque. lib. IX. C. XVIII. & XXIV.* Conuersionis & orbis Armorici mutati caussas itaque iam prompsimus & manifestas, &, vt in hoc genere, valde probabiles; &, ne de summa rei ac tempore, quo BRITANNICVM nomē in Gallijs & imperium vsurpari cœpit, satis adhuc Gaufridum coarguisse videar, illustri geminoque testimonio hunc totum concludam. Apollinaris, Sidonius vbi Aruandi præfectura prima Galliarum spectatissimi viri casum & accusationem memorat, inter arcana eius consilia id ponit, quod litteris ad regem Gothorum missis, pacem cum græco imperatore dissuasisse argueretur, *Britannos super Ligerim sitos impugnari oportere; cum Burgundionibus iure gentium Gallias diuidi debere lib. I. epist. VII.* quæ scripta ANTHEMIO imperante, & RICIMERE patricio Romæ florescente videtur sub annum Christi c. DLXXIII. vt epistola ix indicat. Hic autem clarissimè Sidonius, Britannos testatur necdum Aremorici penetralibus receptos incertas ad Ligeris fluuij ripas, habuisse sedes, etsi ex fœdere, non ita tamen firmato, quin Aruando, cum aliquo forsan etiam Galliarum detrimento, submouendi à Ligere, alioue auertendi tunc viderentur: idque planius etiam ex BVRGVNDIONVM conditione, quos cum Britannis hic iungit, perspicitur; vt qui perinde fluctuantes, vagique, domicilia per id tempus noua quærebant. Nec obscura, aut à præsenti instituto aliena apud Iornandem, Riothami Britannorum ducis, siue regis expeditio, quem & Sidonius epist. IX. libri III. agnoscere videtur; qui XII. millium exercitum, classe in in Biturigum fines adduxit, vt Romanis aduersum Gothos auxilia ferret. Is licet ab Eotharige Visigothorum rege, longe viribus inferior, apud Dolensem vicum clade accepta, Biturgum finibus excedere coactus sit, Gallia tamen vicina demigrasse, nec probabile est, nec litteris proditur. ALTERVM est testimonium peruetusti Scriptoris apud Ai-

pud Aimoinum libr. IV. C. LXXVIII. *Cum ab anglis & Saxonibus Britannia insula fuisset inuasa, magna pars incolarum eius mare trayciens in vltimis Galliæ finibus Venetorum & Corosolitarum regiones occuparunt. Is populus à regibus Francorum subactus, & tributarius factus impositum sibi vectigal licet inuitus soluere solebat*: Hæc auctor primæ partis historiæ Francorum Aimoino inscriptæ, quam studio tamen diuersorum contextam, ipsa satis methodus docet, & styli scriptionisque varietas. Porrò Venetorum ciuitas mansit inter Britones *episcopi sede & priscorum Comitum domicilio clara*; si quidem MACLIANVM legibus Britannorum Comitem vrbis Venetiæ factum episcopum, Gregor. lib. IV. c. IV. & WAROCHVM Macliani F. hanc vrbem attribuisse cum fructu & vectigalibus regi Chilperico, vno sibi relicto DOMINATVS titulo, *lib.* V. c. V. narrat: mox oblitum fœderis ac sacramentorum, irrupisse in Nannetas; prædasque omnes transtulisse in Veneticum. *lib. IX. C. XVIII.* VENETI autem in Gallijs sunt, quos hodie VANNES appellitant, in Britannia minore. *Raimund. Marl.* Habes commentarium, mi lector de Aremoricis longiorem vtique, quam pro huius loci necessitate, sed qui tamen cotis instar exacuat eruditorum ingenia, vt cum in alias Britannorum res gestas inuestigandas, tum præsertim in sanctarum XI. MILLIVM VIRGINVM historiam, quod vehementer opto, diligentius incumbant.

Britanniæ nomen Aremorico datum

Fateor, postquam hæc scripsi, Disquisitionem ab exquisitæ doctrinæ viro Auberto Miræo hac de re propositam: & de societate nostra erudite in disputatione sua historica Ægidium Bucherium nostrum in XI. millium acta inquisijsse, sed de Maximi ætate quia consciscunt, vltra ceu minus liquida caussa, in loco differendum mihi putaui ad Treaciensium annalium libros.

VLTIMA QVAMVIS SIS REGIO ARMORICVS.] Vtitur ea loquendi forma qua Virg. VII. Æneid.

Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.

nam MORINI in eodem tractu litoris. Ita & hic in epist. ad Felicem cum B. Hieron. epist. XI. ad Ageruchiam. & Paulino epist.

Aremorici etymon.

epist. II. ad Victricium maritimam hanc Galliarum oram vocat vltimum orbis angulum, quo modo prisci *Britannos* aiebant à Romanis *orbe toto diuisos*. Armoricus autem hic cum Apollinare Fortunatus vsurpauit, quod veteres alioqui per omnia genera flexerunt: cumque mediam & penultimam extenderit, quam vtranque corripiebat Rutilius, spectasse originationem septentrionalium videtur, quam hodieque esse testantur ex vsu Britonun. Obseruatum id etiam à diligentissimo historico Gallo, Ioanne Tilio libr. I. commentar. memini, *Aremorici* vocem scilicet esse prisci Gallorum idiomatis, idemque signare, quod *maritimum, & ante mare positum*. Confirmat & Lelandus apud Ortelium in Synonymis, *Ar* esse idem, quod *supra* siue *ante*: Moerreich autem siue Moerrik satis aptè dicitur de locis portuosis, & ἐπιθαλάσσιος cuiusmodi compositio manet in Schiff-reich vel ric. Attestari non dubitauit idem rara prudentia ac fide Iacobus Marchandus libro I. FLANDRIC. cum MORG, ait vetustissimis Gallorum fuisse mare: indeque *Armoricos Britannia*, *quasi ad mare sitos* à Iulio Cæsare, eiusque interprete Strabone ἐπωκεανίτας nuncupari. quo etiam ex fonte Morinos videri trahere nomen.

Felix Romæ consul.

MAXIMA PROGENIES.] Illustrauit hunc locum Cardinalis Baronius, cum ad annum DXI. de Felicis consulatu meminit, de quo item apud Cassiodorum inueniuntur epistolæ à Theodorico Gothorum rege missæ lib. II. Variar. prima quidem de Felice iuniore loquens, *Agnoscat*, inquit, *curia transalpini sanguinis decus, qua non semel coronam suam nobilitatis flore vestiuit.* At in tertia epistola eundem Theodoricus senatui Romano commendat, *vt virum eruditionis litterariæ ac doctrinarum naturalium sapientiaque plenissimum.* Quin & Apollinaris Sidonius Magnum Consulem & Præfectum Prætorio varijs locis, & vnà Magnum Felicem filium, proprio extulit poëmate, inscriptione eiuscemodi.

AD MAGNVM FELICEM CONSVLEM.

Largam Sollius hanc Apollinaris,
FELICI *domino, pioque fratri*

Dicit

Dicit Sidonius suus salutem.
Dic, dic, quod peto Magne, dic amabo
Felix nomine, mente, honore, fama,
Natis, coniuge, fratribus, parente,
Germanis, genitoris atque matris
Et summo patruelium Camillo.

Cæterum ex Fausti Regiensis epistola ad Felicem hunc, & recensione Gennadij cap. 65. Iuniorem Felicem constat & Præfectura & Patricia dignitate item fuisse ornatum, tandemque sacris initiatum. Hanc ad familiam Felicem hunc rectè deduci satis rerum omnium affinitas peruincit; generis perenne nomen Felicium; eorum super Aquitanos eminens potentia, & quod hic á Fortunato dicitur, *progenies titulis ornata vetustis*.

INGENIVM AD CVIVS HVC NOVA ROMA VENIT.] Aut Romam illam orbis oculum reuiuiscere in Gallia, Felicis artibus, multiplici tum clade exsanguem, aut potius Constantinopolim æmulam alterius, commigrare dicit in Galliam, quod doctus Græcis in litteris Felix episcopus id vnus ciuibus suis præstaret, quod per plures Constantinopolis, quam *nouam* appellitare *Romam* mos fuit, docere solet. Ea quidem sententia nunc haud valde cogitanti occurrit, sed haud scio an simplicius de legatione Græcorum ad Felicem accipi possit, quod per litterarum tamen vlla monumenta neque dum comperi. Callentem fuisse Græci sermonis Felicem indicio versiculus est. Felicis Nannetici fama doctrinæ.

Si veniant lingua pariter Græca atque Latina, &c.

Et gentilitiam fuisse Felicibus, ex Theodorici Gothorum regis epistola ad Rom. Senatum cognosci potest; vbi Felix ille magnus, Cecropij dogmatis Attico se melle dicitur saginasse.

CVIVS AD ARATRVM.] vulg. *odoratum* al. *ornatum*. prius & si obest arti, prodest tamen sententiæ.

ALTERA NEC MVLIER CORDE RECEPTA FVIT.] Eximium in episcopo *castitatis præconium*; nimirum qualem requirebat Apostolus ἐγκρατῆ & *continentem I. ad Tit. I.* Quantum ab hoc abeunt, quibus parum est, fœminam cordis recepisse penetralibus, ni thoro pariter associetur: & quorum in synagogis sine Baccho & Vene-

re omne friget ministerium. Iis autem verbis, NVPSISTI ECCLESIÆ, spiritales eas nuptias commendat, quas, exemplo Christi D. N. Sponsi, & principis pastorum, *cum ecclesia ineunt episcopi Catholici*, quando *pronubo anulo* velut arrabone se despondent *ipsi virginem castam exhibere Christo.*

ILLA TIBI PROLEM PEPERIT.] De hac fœcundissima sterilitate prorsus, vt solet, diuinè libr. VIII. confess. cap. XI. & libr. de Virginit. Beatus Augustinus. & verè canebat ille vates. *Lætare sterilis, quæ non paris, multi filij deserta magis, quam eius quæ habet virum, Isai. C. LIV.*

Britonum seu Britannorum errores; conuersio.

INSIDIATORES REPRIMIS.] In nouis his Armorici colonis Pelagianæ sementis apparet succreuisse zizania, cum iactura viciniæ. quo Felici impensius gregi inuigilandum suo fuit. Etsi verò iam inde à Celestini pontificatu, qui, *vt Prosper libr. aduersus Collatorem loquitur*, à Pelagiano morbo Britannias liberarat, pestilentis eius veneni vis hominum animis erepta esset, relapsos subinde tamen crebræ arguunt deinceps in insulam missæ sanctorum legationes. *Constant. vit. S. Germani. Beda lib. I. C. XVII.* Adhæc mira Britannorum fuit in hæresi obstinatio, eo quoque tempore, quo Gregorij magni iussu AVGVSTINVS in Britanniam venit; quare & ab Edilberto Anglorum rege Christianæ & Catholicæ fidei neophyto grauiter attriti afflictique bellis, magno errorum suorum detrimenta mercati sunt. Ceterum *Pelagium* fuisse *Brittonem* genere, etsi Scoticæ originis B. Hier. præfat. in lib. I. & III. comment. ad Hierem. asserit: eiusque pestifera doctrina, vt Prosper ait, Australem Borealemque Britanniam ante peruasit, quam in Hiberniam, quæ Scotorum erat, penetraret, quo promptiùs eiusce doctrinæ semina illorum animis hærere, qui ex ijs insulæ partibus Aremorico superuenerant. Britonum verò & Britannorum, etsi promiscuè nomen vsurpatum inuenio; Ausonianus tamen ille lusus aliquod innuit extitisse discrimen, quando cum Britanno bonum & amantem patriæ ciuem iungit, at Britonem bono iungi posse negat. Vnde & simpliciter pronunciat. *Nemo bonus Britto est.* & rursum. *Nec se quit iungere Britto bono.* Epigramma est hoc.

Pelagius Hæreticus

Britonis & Britanni discrimen.

Silaius

Siluius ille bonus, qui carmina nostra lacessit.
Nostra magis meruit disticha Britto bonus.
Siluius hic bonus est. quis Siluius iste? Britannus.
Aut Britto hic non est Siluius, aut malus est.

Insulæ Romanæ indigenis nomen vetus relinquere videtur Britannorum, at Scotis Pictisq; progenitoribus & Britannica gente natis dare Britonum. idque ipsum B. Hieronymi loco, quem antea retuli, posse videor confirmare, cum Britonem fuisse tradit Pelagium, & Scoticæ gentis è Britannorum vicinia habuisse progeniem. quasi diceret, maiorum à Scotis obstare genus, cur Britannus omnino dici censeriq; non posset. Beda quoque lib. I. cap. I. historiæ respiciens vltimas origines, *Britones*, ait, *ex Armoricano tractu in Britanniam aduectos, Australes sibi partes insulæ vindicasse.* Sed incolis Britanniæ vtrumque tamen conuenisse nomen, docemur exemplis. *Iuuenalis satyr. XV.*

Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones vnquam, &c.

Et Gregor. Tur. Vinnochum è Britannia aduenam transmare, Britonem nuncupat. *lib. V. C. XXC.* vnde Ausonius ad aliquod gentis idioma, vel transmarinum vel patrium allusisse potuit. Quod autem S. Hieronymus ait se in Gallia vidisse Scotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus, id de Britannia interpretantur, vt etiam Hiberniam, vsurpatione veterum, comprehendebat. Quanquam Scotos proprij nominis, quos Albianos dicunt, consentiant Boreali tandem Britanniæ, parte receptos. Ij vero populi, qui Valliam seu Cambriam incolunt, & lingua, & alijs indicijs, veterum Britonum seu Britannorum se testantur esse reliquias. Ceterum Hiberniâ, quæ postea dicta maior Scotia, contineri tradunt gentis Scoticæ veram progeniem. Vnde & Sancti, Kilianus, Columbanus, Gallus Scoti, vt ita loquar, Hibernenses, extiterunt. Qua de re consule veterem Scriptorem Siluestrum, Giraldum Cambrensem, in rerum Hibernicarum appendice, à Richardo Stanihursto illustrata, & in lucem edita.

IX.

POEMA quod in CANTICVM euasit ECCLESIÆ notissimum, gloriosæ CHRISTI anastasis memoriam extollit: & ad illius diei

lætitiam efficiendam in animis maiorem, vernantis anni gratiam & venustatem insigniter commendat, ostendens eius temporis vicissitudine, sidera, elementa, stirpes, animalia cæterasque partes Vniuersitatis, cum CHRISTO resurgente, noua quadam facie velut renasci ac reparari. Inde CHRISTI parem cum patre maiestatem, mortem descensumque ad limbum, & reditum eius ab inferis triumphalem, denique Saxonum baptisma ex veteri ecclesiæ instituto paschatis festo frequentari solitum, enarrat: ex omnibus contra huius & præteritorum temporum errores remedia pariter & documenta relinquens. Detraximus autem de titulo glossema, quo Calar. exemplar rectè monebat, *elegiam hanc falsò hucusque Lactantio Firmiano adscriptam*; Quare & intempestiuè Sixtus Betuleius suis scholijs apud Lactantium, hoc poëma suscepit illustrandum; quod Victor Giselinus ad Prudentium, meritò laudauit, FORTVNATI PVLCHERRIMVM HYMNVM APPELLANS.

Paschalis hymnus Fortunati.

Altius igniuomum Solem cæli orbita ducit,
Qui vagus Oceanas exit & intrat aquas.

Vbi iam veterum notariorum autoritas me commouet, culpare desino Greg. Fabricium, & cum antiquis probo, solem exire & intrare Oceanas aquas. Sed absoluere tamen eum ita non possum, quin vapulet, qui tredecim prorsus ex hoc poëmate disticha sustulit, in quibus *de Saxonum regeneratione, baptismi ceremonijs & candidatorum vestitu agitur*. Quod sanè si sponte peccauit, peius non de Catholica religione, quam Saxonum vniuersa natione meritus est. Sic & in seq.

G. Fabricius malæ fidei & falsi reus.

HORARVM SPLENDOR SCRVPVLA, PVNCTA FOVENS.] dum contra exemplaria vetera substituit *scriptula*, sano quidem, non ægro medetur. Calar. legebat, *Scrupula cuncta*. Colon. *scrup. puncta*. Sed prior lectio videatur præferenda, nisi ille ex horis ad scrupula punctosq; descensus magis arrideat. SCRVPVLA autē in mensuris poni, ex Varrone liquet l. de re rust. c. x. Martial. li. IV. epigr. XXXV.

Ergo nec argenti sex scrupula, Septitiane,
Missa, &c.

Tota res ex Q. Remnij Fannij versibus liquet, qui vtriq; lectioni faueat, seu scriptula, seu scripula, scrupulaue legas.

Semio-

Semioboli duplum est, obolus quem pondere duplo
Gramma vocant, Scripulum nostri dixere priores.

Si tamen ad illud Ouidij respexisset,

Est genus in totidem tenui ratione redactum
Scrupula, quot menses lubricus annus habet.

Poterat videri *scrupula aut scriptula*, ex duodecim *scriptorum*, vel, vt Muretus, *scriptorum* ludo sumpsisse; sed reconditius hoc forte, quam pro Fortunati sæculo.

NEC VOLVISTI ETENIM.] Mutatus erat hic versus & sententia & verborum traiectu. Calar.

Nec nostro tantum voluisti è corpore nasci,

Qui sensus cum & expositus ad calumniam & veterum exemplarium fide careat, nostro posthabendus est. Neque enim propriè ita vniuersè dixerimus *ex nostro corpore Christum nasci*; sicut ex Abrahami semine, *quod* clementissime *apprehendit. Hebr.* 11.

Non decet vt humili tumulo tua membra tegantur.

Restitutus hic melior versus, pro deteriore & spurio.

Non decet vt humili iaceant tua membra sepulchra.

CANDIDVS EGREDITVR.] Vsus CANDIDI AMICTVS ad animi puritatem signandam hoc etiam sæculo, vt antegressis omnibus, in ecclesia frequentatus à recens ablutis Christianis neophytis. In pentametro autem.

Atque vetus vitium purgat in amne nouo.

Giselinus alluisse putat, ad illud Aurelij Prudentij de Baptisterio, hymn. 8. peri stephan.

Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
Ac veteres maculas diluit amne nouo.

ASPERA GENS SAXO.] Mendosissime hic vulg. *Asper agens saxo.* Hæsitet quispiam ecquid tantis locorum interuallis extiterit hic negotij Saxonum genti, adeoque in oram hanc maritimam quomodo traducta peruenerit ad Nannetes. Memineris velim, quæ antea ad epistolam hac de re notaui, quibus etiam propinquiora iam adijcere placet. Francico surgente in Gallijs imperio Alemani, Saxones & Thuringi validissimi gentium à tergo trans Rhenum relicti non sine formidine armorum, quibus florentes in Saxonum baptismus qua occa-

sione in vltima Gallia celebratus.

Gallia vicinoque Rheno Francorum res interpellarent. Franci itaq; ne id sibi eueniret ab his, quod Gallis fecerant ipsi, crebris expeditionibus Saxonum feritatem domare aggressi sunt, & tandem Thuringiæ exciso regno, eos fecere tributarios. *Gregor. lib.* III. c. VII. & *lib.* IV. c. X. & . XIV. Inde cum mox fœderum pœnitentia, & seruitij impatientia, arma rebelles in Chlotariū regem sumpsissent, is *comportato trans Rhenum exercitu*, verba Gregorij sunt, *maximam eorum partem deleuit*, vastata amplius etiam Thuringia, quod Saxonibus aduersum se suppetias tulisset. In tātis ergo cladibus fidei proximum est, magnam vim captiuorum tota Gallia fuisse dispersam. *Fortun. vita S. Germani* c. VII. VI. & *Greg. li.* VII. c XLVI. Fuit hinc etiam tempus, quando ipsi Gallias infesti vltro lacessiuere. Sed infelicior eorum extitit aduentus, Guntramo rege, sub an. Domini DLXIX. cum Alboini regis auspicijs Longobardorum copijs immixti parumque felices ex Italia reuersi Mummuli Ducis virtute magnam in Gallia cladem acceperunt. *Gregor. lib.* IV. c. XXXVII. Repositi quoque Sigeberti Mediomatricem regis misericordia in Aruernis. & ibi quia noxij, incolis negotium facessebant, tandem locis, vnde egressi erant, sunt restituti. Quæ quidem Guntramo & Sigeberto regibus sub Christi annum DLXX. & quod excurrit, ita gesta; quo tempore Felix apud Nannetes maximè floruit. vt satis vel hinc etiam caussæ suppetat, cur Saxones ad Felicem putemus vsque in Armoricum peruenisse, salutis eorum amantissimum. Addo, in more etiam tunc fuisse optimorum antistitum, vt Gregorij magni exemplo docetur, ORBOS CAPTIVOSQVE PVEROS ANGLOS & SAXONES PRETIO COEMERE, ET CHRISTIANÆ FIDEI ELEMENTIS IMBVTOS, ADDVCERE DONVM DOMINO, vt Isaias loquitur & offerre Deo victimas in odorem suauitatis.

Saxonum in Gallia varij casus.

X.

Felicis Nannetici magnificentia.

FELIX quo colonis ac ciuibus suis aquarum oportunitate copiaque prodesset, opus immensum aggressus fluuium prȩcipiti cursu euntem aliorsum auertit, flexitq; quo voluit: nam mōte perfosso alueum eo fecit loco, vbi antea collis erat, atq; inde agere pristinum

ſtinum alueum explens culturæ ſic aptauit, vt *qua naues ante ferebantur, iſtac cum oneribus iam plauſtra commearent*. Magnitudo operum & artis, ipſaque naualis rei mentio, mihi pene perſuadent de ipſo hæc omnia Ligere fluuio accipi poſſe, etſi vt de minoris famæ Cariaco interpreteris, nihil impedio; nam abeſt ille à Nannetum vrbe prope, & celebratur verſibus libr. v. huic eidem Felici inſcriptis:

Qua tua rura lauat vitrea Liger algidus vnda.
Cariaci ſpecioſus ager deuexus in amnem.

Quod ſi de Ligere, vt velim, accipias, erit vnde diſcas, huius æui pontificibus nec opes defuiſſe, nec operas, inſtrumenta munificentiæ ac liberalitatis, adeoque oportuna ſæpe fræna contumacibus. ſcio iſtuc maximè diſplicere ijs, qui hæc minimè didicerunt contemnere, eccleſiaſque mallent, quo ruerent facilius, eſſe pauperrimas; ſed meminerint iam olim illis promiſſum: SVGES LAC GENTIVM, ET MAMMILLA REGVM LACTABERIS. ISA. LX.

ET QVO PRORA PRIVS.] Ad cetera huius poëmatis menda, illud acceſſerat inſigne, vt in editis legeretur.

Pro rabidis vndis huc modo plauſtra meant.

Sed Colon. M. S. reddebat verbis ſententiam, verſui concinnitatem: & *proram* fuiſſe ſcriptum, ne librarij quidem occultare potuerunt, cum in hiſce comprehenſionibus. *Pro--- rabidis* emineat ſponte, nedum eruatur. Atque hæc fermè Felicis Nannetum memoriæ gratiæque data à Fortunato. Is autem anno Childeberti regis VII. inguinaria correptus, quod luis genus olim in Gallijs fuit formidabile, anno epiſcopatus ſui XXXIII. Septuagenarius ex hac vita migrauit, MONNICHIO conſobrino relicto ſucceſſore. *Greg. lib. VI. C. XV.*

XI.

NICETIVS Lemouici apud Aruernos ingenuis ortus parentibus lux & ſidus TREVERICI ſoli & gemma quædam ſacerdotum illius eccleſiæ quondam extitit. Eius vitam Gregor. Turon. proprio commentario ex Aredij narratione pertexuit, qui & apud Surium Octobri menſe legitur. Sunt autē non pauca, vnde conijciam

B. Nicetius Treuirorum antiſtes.

Pontificum caput hic appellari, quia nobilissimæ præfectus esset ecclesiæ TREVIRENSI,*cui complures subiacerent episcopi.* Addo vetus etiam & solenne esse ecclesiæ TREVERICÆ primatum adeo Galliarum omnium ab antiquo sibi vendicare, eamque in rem, cum Arelatensi certamen dignitatis, domesticæ laudis studio, haud defugere. Id quod olim ex Athanasij non vno loco peruinci posse mihi persuadebam, qui MAXIMINVM & PAVLINVM celeberrimos TREVIRORVM episcopos simpliciter GALLIARVM appellare solet metropolitas. Eosdem quoque satis liquet, prærogatiua loci, & inclytæ vrbis, præ ceteris Galliæ clarissimis ecclesijs, in caussa religionis ferme vnos extitisse duces, & in Pannonia Græciaque legationis aduersus Arrianos susceptæ principes. Accedebant tam luculenta egregieque à varijs PONTIFICIBVS testata diplomata, quibus primatus hic confirmabatur ecclesiæ Treuericæ, vt fidem haud difficile facerent homini non valde pertinaci. Omninoque hanc primatus dignitatem à S. EVCHARIO D. Petri discipulo ad se allatam postea que Helenæ & Constantini fauore AGRICIO de nouo, Siluestri pontificis autoritate sancitam posteri gloriantur omnes, perantiquis etiam versiculis Siluestri beneficium & verba referentes.

B. Nicetius quomodo pontificũ caput.

An primas omnium Galliarum

Accipe primatum post alpes TREVIR *vbique.*
Quem tibi ROMA *noua, lege dat, & veteri.*

Hæc in illa parte erant, quę rem prorsus efficerent probabilem neque vlla me de primatus excellentia tot inspectis diplomatis ratio fugere poterat, cum scrupulus interea haud omnis eximeretur, quod eam primatus amplitudinem Gallia transalpina tota diffusam, etsi iure traditam, possessam tamen, exemplis ostendi vix posse cernerem. Singulę namque Metropoles in Gallia ius diœceseos quæq; suum ordinarium; retinuere mordicus. Et sicui ecclesię munus vicarium, vt Arelatensi, verbi gratia, summa sedes delegauit, id extra ordinem, & salua semel inita partitione diœceseon, cōtigit. Neque vero ad alteram sententiam probandam satis mihi habere momenti visa sunt, quod *Treuerici episcopi eidem & Galliarũ,* tam amplo interdum nomine appellentur. Nam & Gelasius papa, epist. ad Dardanos, quę numero XI. eam TREVIRIS laudem con-

Episcopi certorum locorum aliquando nationum nomen

pliorem antiquitus Treuericæ sedi dœcesin attributam, multaque extra ordinem, vt solet, eidem vel Cęsarum gratia, vel Romanę sedis indulgentia contigisse, quæ vti nec perpetua, ita genere quodã suo, dicere ausim, extitisse restrictiora. Pandam nunc etiam, quid hac in re teneam comperti & explorati. Florenti quidem istic & incolumi imperio Romano, TREVIRORVM EPISCOPVM pro certo affirmamus fuisse PATRIARCHAM, & Belgicæ vtriusque tenuisse primas. Id quia exhibitis pontificum Romanorum tabulis, & exemplis ab antiquitate repetitis in Metropoli Treuerica cap. v. & annal Treuerens. lib. IV. demonstrare conatus sum, illud solum in prę sentia afferam, eo de iure Rhemorum præsuli adeo nihil Treuirensem Archiepiscopum voluisse concedere vnquam, vt inclinatis etiam rebus, cum iam Franci potirentur Galliarum, Rhemosq; B. REMIGII sanctitas vehementer attolleret, eo vtrinq; sit descensum, vt ęqualiter inter se partita dignitate, in Synodis & ordinationib⁹ vna ius dicerent, ipsęq; ecclesię se tanquã sorores agnoscerẽt, quo nomine B. Remigi⁹ ipse suo in testamento, quod legitur apud Barnabã Brissoniũ, Treuericã dignatus est. At enim vero vt rarum, nedũ diuturnũ in sũmo fastigio est cõsortiũ, subinde cõmutata hac specie gubernationis, ita vtrinq; ius tẽperare placuit, vt quis quem ordinationis ætate superasset, is alterũ publicis in cœtib. & cõuentibus anteiret; quod ius vetus scriptor apud Amoinũ lib. v. c. XXI. disertè quoq; in regis cõsecratione, præsente Hincmaro, obseruatũ, ãnotauit. Meminimus etiã nos sub Eugenio põtifice in cõcilio Rhemẽsi hac ipsa de caussa ab Adelberone Treuirẽsi archiepiscopo, qui tũ ibi præsẽs aderat, acre fuisse susceptũ certamẽ, quod nec sine vulneribus & pugna, adeo nõ sine rixa abijt & iurgijs. Iam vero cum Belgicæ II. attributę fuerunt vrbes episcopis in primis clarę, vt Suessiones. vbi regia Francorũ, Catalaunũ, Belluacũ, Ambianum, Augusta Veromanduorum, aliæque complures, hisque accederẽt nonnullę Germaniæ I. & Belgicæ I. quæ solæ in obsequio perstiterũt, facile apparet non abs re dictũ à Fortunato, Nicetiũ fuisse *summũ quendã pastorem & caput tot pontificum*, quot ecclesiæ Belgicæ tũ egregios episcopos numerabant. Hancque opinionem nostrã ea deniq; Pontificum priuilegia stabiliunt, quibus etiam inferioribus

Treuirorum archiepiscopus olim Galliæ Belgicæ primas.

Rhemensi superior, ei tandem æquatur.

Belgicæ II. prouinciales ecclesię

 sæculis

sæculis *episcopo Treuirorum* non Galliarum vniuersè, sed *Galliæ Belgicæ primatus conceditur.*

XII.

REDIT ad ingenium poëta, cumque se in huius castelli descriptione præstat, quem solet in omni loco, nimirum satis fortunatum. Nihil itaque huius argumenti attingam, quod tam peritè ornatèque ab eo tractatum est. De situ nihilominus huius castelli alia occasione olim à me quæsitum est, ac dum inibi sanè res esset, vt eum quasi manibus tenerem, tum duo me à præsenti quasi spe remouebant. Primum erat, quod in vulg. legebam. *Rhodanus maximus*, & *Mediolanum*, quorum percunctando ne vestigia quidem indagare poteram; alterum erat autoritas Reuerendi ac nobilis Guilielmi Quadi à Landstron Treuericæ Ecclesiæ Archidiaconi excellenti doctrina & magnis ornamentis animi fortunæque viri, qui qua facilitate in omnes erat honestarum artium ac doctrinarum amantes, cum me ita de huius loci situ differentem audisset, vt in ipsius Archidiaconiæ titulo, infra Caradunum, haud longè Confluentibus, ea regione ponerem, vbi hodieque arx visitur, quam vulg. Bischoffstein id est, episcopi rupem siue saxum idiomate suo nuncupant: ægrè mihi assensus est, tum quia huiusce rei documenta clariora non suppeterent, tum quia priscæ artis ac molis opera tam præclara, cuiusmodi hic poëta describit, ibi nulla iam agnosceret. Ceterum quia illo tempore (officij enim causa illi aderam) ita tum ad viuum resecari lis ea non poterat, vbi ego in pristinas me cogitationes postea abdidi, oblatum denique peruetusta & semilacera in sceda idem hoc poëma cum hac epigrapha. DE CASTELLO Bischoffstein SVPER MVSELLAM A B. NICETIO EXSTRVCTO, planè mihi fidem fecit, indidem loci, quo dixeram, reponendum. Accesserunt ea quoque inde indicia, vt dubitare iam amplius me non sinerent. Postquam enim ex Metropolitanæ ædis bibliotheca Fortunati operum exemplar egregium Treuiris nactus sum, vbi *Rhodanum maximum* antea legebam, ibi sic reperiebam scriptum.

B. Nicetij castellum.

Castelli situs.

Quem Musella tumens, Rhodanus quoque paruulus ambit.

Inueneram interea quoq; lustrando, propè abesse à colle, in quo hoc

hoc situm castellum, riuulum; hodieq; truncato nomine RHON dici ab accolis. RHODANO igitur tandem apud MOSELLAM reperto ad hunc facilè erat tanquam ad lydium lapidem exigere ignoti nuper castelli situm. Alibi vero ostendero, lusum hunc quo grandia locorum ac fluminum ad minuta veteres transferebant, vsitatum quoque fuisse in Treuiris. Et in MEDIOLANI voce suspicatus non raro sum vsu id venisse. Eximiæ fertilitatis ager est, qui inter arcem hanc & Mosellam interiacet. Hîc autem pagus est MAGNIACENSIS, cuius vicus AMBITARINVS in quo natus C. Caligula: pagum enim hunc nos alibi descripsimus, triquetram regionem illam, in qua olim RIPANI, siue RIPVARII sedes habuerunt, cuius manet in vulgari lingua nomen Meinfeldt/ seu dicas campum Meyn aut MAGNIACI, quod & eiusdem regionis oppido hæret vocabulum. Fortunatum igitur, arbitror, otiosius hoc excepto nomine, quod incolas audiebat dicere, MEYNFELDT, aut Meyenlandt/ transtulisse Mediolanum. Et verò non aliter in Teutonum lingua MEDIOLANVM hodieq; sonare, quam Meylandt/ sciunt mecum omnes, quotquot Germanicè sciunt. Atque hæc mea coniectura, si cui probari per omnia non potest, is, per me licet, aliud sibi MEDIOLANVM istic ali bi quærat; aut vetus etiam, si ita placet, in ipso Nicetij castello resuscitet, siquidem Mediolanum appellatum eum ibi collem velit, qui veterem aulam sustentabat, quemque muro deinde facto, B Nicetius triginta in orbem turribus, ita vt medius esset, incinxit. Extra Insubres autem, Mediolani nomina, locaque, olim reperta, ne dubita; nam & in Aquitania celebre fuit Mediolanum Santonum, & Mediolanum etiam Ptolomæus memorat in Britannia: apud Ammianum Marcellinum lib. xv. TVRINI ITEM MEDIOLANVM OSTENDVNT: similique originatione celeberrimum in Treuiris nouimus monasterium apud Sarauum fluuium, MEDIOLACVS à lacu cui adiacet, ita dictum, quia lacus is montibus vndique medius includitur. Neque in MEDIOMATRICVM notione, dispar ratio. Quod vero temporum iniuria prisci cultus & magnificentiæ arx hodie parum retineat, id, qui in longe maioris famæ & molis operibus euenire quotidie cernit, hic item accidisse, mirari nequit. Merito igitur vsurpem illa Rutilij.

Rhodanus riuulus.

Antiq. Treu. libro sing.

Magniacũ C. Caligulæ patria Ambitarinus Vicus.

Mediolanum variũ

Agnosci nequeunt aui monumenta prioris,
Grandia consumpsit mœnia tempus edax.
Sola manent interceptis vestigia muris,
Ruderibus latis tecta sepulta iacent.
Non indignemur mortalia corpora solui;
Cernimus exemplis oppida posse mori.

Moſellæ prætoriorum & arcium ruinæ.

Et ſi quis vrgere pergat, eadem opera poſtulem exhiberi mihi veſtigia fabricarum, & prætoriorum multiplici forma blandientium, quæ paſſim Moſellæ ripas vtrinque magnifico iuxtà ac amœno aſpectu obſediſſe, Cygnus ille Moſellanus in eidyllio ſuo cecinit.

Quis potis innumeros cultusq́, habitusq́, retexens
Pandere tectonicas per ſingula prædia formas?

Inde poſt mirificam ſitus domorum, & arcium BVRGORVMQVE, varietatem.

Atria quid memorem viridantibus aſſita pratis,
Innumeriſque ſuper nutantia tecta columnis?

Treuericæ & aliarum eccleſiarũ patrimonia haud nuperæ beneficentiæ.

Vnum hic animaduerti velim ab ijs, qui cuncta eccleſiarum patrimonia nuper ijs obueniſſe effutiunt, à quibus neſcio Ducibus ac Comitibus: &, ceu in vltima quadam egeſtate vixiſſent, ſic imperitiſſimè traducunt. At verò, vt iam alia taceam, hæc tanta fabricæ magnificentia, marmoris & columnarum ac turrium decus, baliſtarum item vſus, an non ſatis habent lucis & argumenti, non minus opum fuiſſe ac potentiæ, quam ſanctitatis ac virtutis illorum etiam temporum epiſcopis?

QVEM MVSELLA TVMENS.] ſic vetus ſcriptura in omnibus habebat exemplaribus: & manet ea pronunciatio in accolis. ex qua & relucet ſtirpis affinitas; cum Moſa, Moſella & id genus alia ab Hebraica matrice lingua, in qua מים eſt aqua, ortũm habere videantur, id quod olim à peritis magiſtris meis ego didici; qui vel in vno nomine משה prophetæ, compoſito ex MEM vel MIN præpoſitione, verboque שיה illud oſtendebant, *Tumens*, quia & celeriter & altiſſime, tot in ſe receptis riuis & torrentibus, inflatur, de quibus nos ſuo loco.

GEMINO BALLISTA VOLATV.] Rectè veterum more, L. in balliſta

liſta geminauit. quum ἀπὸ τοῦ βάλλειν eruditiores deducant. *Gemino* vero, ait, *volatu*, an quia cum machinæ olim eſſent hæ diſtinctæ. ὀξυβελεῖς ſcilicet catapultæ, quibus ſpicula & haſtæ, & πετροβόλοι ſeu λιθοβόλοι balliſtæ quibus ſaxa mitterentur, tandem eadem machina *gemino* fungens *munere* vtrumque telum mitteret? Ita verò Silius lib.I.

Balliſta caſtelli Niceriani.

Phocais effudit vaſtos balliſta molares,
Atque eadem, ingentis mutato pondere teli.
Ferratum excutiens ornum media agmina rumpit.

An potius autem, quia inferior ætas vſum mutauit, vt eruditè in Poliorceticon 3. dialog. tradidit I. Lipſius. hic *gemino volatu* ſignificat alas, quibus vtrinque ſpiculum ſeu haſtile inſtar ſagittæ communiri, & ad ſecandum aërem iuuari ſolet? Illud vtiq; præ altero arridet. Vidi equidem in armamentario CONFLVENTIVM, quod oppidum laude militaris diſciplinæ olim excelluit. balliſtæ ſpecimen non ita multum ab illarum formis, quæ extant in Notitia imperij diuerſum: nam ſpiculum ſeu haſtile habebat circiter tricubitale, craſſitie nouellæ quercus, in cetero retenta ſagittæ forma, ingenti præfixa cuſpide: rotiſq; inſtructa erat machina, & tortilibus illigata neruis, vt his contentis & reductis euibrari fortius telum, & tanquam ictu verberis excuti poſſet. Itaque facile hic mihi cernere erat, quod in Iſidoro legitur, *Balliſtam verbere neruorum torqueri, & magna vi iacere aut haſtas aut ſaxa.* Sed legere hac de re te mallem, CL. V. quæ dixi, Poliorcetica, cum intra opera pacis ego me contineam.

XIII.

VETVS hoc poëma, ſed ἀνέκδοτον hucuſque, & nouum damus ex ipſius D. MAGNERICI vita ab Ebervvino abbate conſcripta depromptum. Reperiebatur à me in bibliotheca monaſterij S. MARTINI, quod apud Treuiros proximè Moſellam, ex nobiliſſimi ſenatoris TETRADII domo ſurrexiſſe, conſtans maiorum traditio eſt. Et quieſcit ibidem S. Magnericus magnis vtique clarus miraculis, Gregorio Turonenſi perquam familiaris (teſtatur ipſe lib. IX. c. X.) apud Childebertum regem gratioſus, cuius & filium Theodobertum de ſacro fonte ſuſcepit. *lib. VIII. hiſtor. Franc. C. XXXVII.* Quod autem

B. Magnerici Treuirorum epiſcopi elogium.

autem in Notis ad martyrol. Rom. ad xxv. Iulij quo die publice ei honos habetur, vixisse dicitur circa annum Domini DV. nisi mendum est apertum, haud satis intelligo; floruit namque potissimum hoc sæçulo exeunte.

XIV.

Villicus Mettensis episcopus

IN VILLICO Mettensi prçsule ardens precandi studium, vigilem assiduamque gregis curam, misericordiæ ac liberalitatis in pauperes & egenos, ornamenta episcopis propria, laudat. Extat apud Mediomatrices Episcoporum index à Paulo Cassinensi monacho inceptus, & à Sigeberto Gemblacensi continuatus, quem olim sua manu descriptum, R. D. Nicolaus Matthæi ædis primariæ canonicus, vir prisci moris ac regulæ, communicarat. huius autographum membraneum ibi postea in lectissima sua bibliotheca mihi domi suæ exhibebat R. D Ioannes Anethus P. M. Collegij eiusdem Decanus, Columen auitæ religionis & cleri decus, cui patiere lector, vt breuiculo hoc sermone parentem. Sorbona certè vetus illa tantum eum fecerat, quantus in omni liberalium doctrinarum scientia apud omnes erat, πολύγλωττον scilicet multi-scium, & Theologum denique haud actione minus, quam θεωρίᾳ præstantem. Postquam vero in NICOLAI PSALMÆI Virdunensium excellenti virtute sapientiaque Præsulis familiam venit, sua eum altius doctrina religioque prouexit; nam & sempiterna memoria dignorum operum Nicolao consultor & autor extitit, eique opportunè affuit, quo illum orbis terrarum clarissimum TRIDENTI consessum ingenij ac doctrinæ fama condecoraret, laterique Præsulis comes assiduus hæreret. Hçc ipse de se tum ibi; sed mira modestia; cum inter alia, graui ac diserta oratione poneret nobis ante oculos illius reipub. suæ pereuntis imaginem, & longè tristiorem Ecclesiæ faciem, orbis inclinationem quandam monstrans, quem breui in melius tandem conuersum istic vidimus. In hoc itaque, quod apud absolutissimum hunc virum extabat, MS. exemplari, VILLICVS numerabatur XXV. Episcopus. Sedisse notabatur, annis item xxv. sub Apostolicis Pelagio I. Ioanne III. Benedicto I. Impp. Iustino & Tiberio Constantino. Obijsse verò diem suum Calendis Maij

Ioannes Anethus Mediomatricum Decanus.

Metensiũ episcoporum index. Villici ætas.

dis Maij. Quæ certè descriptio temporis, ad fidem veterum optimè congruit, vt aliquantò copiosius alibi nos ostendimus. Ceterum vix risum tenui, cum ante hosce annos in Calar. exemplar incidens titulum huius poëmatis legebam: *Ad Villicum Episcopum Melitensem.*

QVA SALIA FERTVR.] Vulg. Sallia. Mirè Mediomatricum vrbem fluuius hic & munit & ornat. Affluit ab occasu placidissimus è summo labens, admirabilem præbens naturæ lusum è longinquo vel alto prospectantibus, prius quam intra vrbis se mœnia insinuat, parallelo ferme cum Mosella gradiens, cordis imaginem, acto gyro, sparsior efficit; inde rursum coalescens, appetit arcem; & mox largior, in varia scissus, partim vrbem interfusus obit, partim mœnia foris alluit; donec ad extremum se condat in Mosellam Magis eum lib. VII. poëta expressit, versu à nobis restituto. Salia vel Sella fluuius.

Seu qui Mettin adit de sale nomen habens.

Longè igitur á prisco sono vox hodierna desciuit, quæ SELLA; deditque occasionem non nemini, cur Mosellæ appellationem vellet coalescere ex Mosa & Sella. Capitalior is, qui legem Salicam ab hoc fluuio deriuat. Enimuero huius originis controuersia nullo modo scirpus est, vt sine nodo sit, quemadmodum nonnulli putarunt. Nam si à riuis ea sanè repetenda est, Salæ Franconicæ siue Thuringicæ Belgicus ille non concedit, si etymi proprietate certandum, commodius è Salia Salicam quam è Sala efficias. Iam historia verò magis etiam huic sententiæ fauet: Francorum namque gentem varijs sub regibus, certis necdum sedibus, probabile non sit, legibus ijs vixisse, quæ SALLICARVM vniuersitate comprehenduntur, potiusque cum imperio ipsorum nouo, dixerim nouas eas quoque emersisse leges, vita illa priore vagâ, leges & ciuilem excludente societatem. Atqui verò Francica dominatio Belgicis primum finibus nasci, atque inde, regulis sublatis, maiora etiam in vicina Gallia incrementa sumere cœpit: quem successum Sidonius obseruans, in panegyrico, quem Auito dixit, Francorum expeditiones vno verbo clarissimè depinxit. Pap. Maff. annal. Francor. in childeberto. Salicæ legis an á Salia origo.

Francus Germanum primum, Belgamque secundum
Sternebat, Rhenumque ferox Alemane bibebas.

Romanis ripis, & vtroque superbus in agro
Vel ciuis, vel victor eras.

Leges Francicæ.

Prima itaq; præda Francis obuenere Germaniæ I. ciuitates, è quibus Ficœlia, Bingium, Maguntiacum Argentoratus, & Belgicæ II. quas olim recensui. Ceterum duplex genus legum frequentant Galliæ; alterum appellant SALICÆ, quod restringunt multi, vt solum hæreditates Francorum vetet transferri ad fœminas; alterum GVMBETTÆ, vel GVNDIBETÆ à Gundibaldo & Sigismundo veteris Burgundiæ regibus, quæ lex iuri Romano propinquior. Io. Til. lib. I. com. de reb. Franc. Io. Marian. l. v. hist. Hisp. Quæ igitur iustæ caussæ extiterunt, vt illæ Burgundicæ, domitis regibus, etiam à Francis sancirentur, eædem verò iustissimæ tunc suppetebant in nouo regno condendi nouas, & ab euentu loci, & populi, aut quod magis arridet, à rei natura dicēdi SALICAS. Atqui dubium, inquis, non est, Francos Salios à Sala flumine magnæ Germaniæ nuncupatos, vt Marcellinus autor est, ab ijs verò legem manasse Salicam. Equidem à Francis Salijs, quicunq; tandem illi, legem eam ita dictam, haud magnopere contendam, neq; ita sentientibus omnino velim refragari: valdè enim in huiusmodi ἐπέχω, meque sustineo, haud nescius interim quibus copijs Adrian. Iun. in Batauiæ suæ c. IX. pugnet in eos, qui Francorum non ἀπογόνους tantum, quod fatetur, sed genitalem sedem apud Mœnum collocāt, vel à Sala etiam fluuio Albis aduena Salios deriuant, cum peruicisse quoq; se putet, Saxonum & Francorum gentem, cuius meminere veteres, vtranque siue maritimam fuisse, siue littoralem, vt excellentem & nauigandi & natandi vsum haberet consensu omnium. Et Sidonius Panegyrico Auiti, Francum natatu, Salium pede, valuisse scribit. vnde interpres Salios non à Salia, Salo, Sale, sed á saliendo dictum putat; nisi pedem pro peditatu malis accipere. Sed audire tamen iuuet Ammianum Marcellin. de Francis Salijs, alterum enim Francorum genus sub communi Germanorum natione delituisse perhibent; quo modo B. Hieron. in vita Hilarionis, *apud historicos*, ait, *vocatam Germaniam, quæ sua ætate Francia dici cœperat*, eique consentiunt Procopius & Agathias. Iulianus itaque, qui Apostata nostræ religionis, per Rheni oram tendens, comperto, Francos Germaniæ

Franci Salij.

maniæ II. in qua erat Tungrorum ciuitas, infestos imminere. *Petit primo omnium*, inquit lib. XVII. Ammian. *Francos eos videlicet, quos consuetudo Salios appellauit, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum, habitacula sibi figere prælicenter.* & lib. XXVII. *Gallicanos tractus Franci & Saxones iisdem confines, quo quisq; erumpere potuit terra vel mari, prædis acerbis incendiisq; & captiuorum funeribus violabant.* Signatè nimirum vtrobiq; præbentur indicia locorum, è quibus eruperint, quæ eadem ferme loca armis Constantij, Constantini, Valentiniani & ceterorum peragrata, quoties Francorum motus, limite malè pacato, essent reprimendi. Testes Panegyrici, qui sæpius hæc iterant. *Terram Batauiam à diuersis Francorum regibus occupatam*, &. *Multa Francorum millia qui Batauiam aliaq; cis Rhenum loca inuaserant*: &. *Treuirorum ac Neruiorum arua receptum in leges excoluisse Francum.* Sed, redeo ad Iulianũ. Is vbi in Tungros cum exercitu accessit, mox habuit Francos Salios missa legatione supplices, vt in vicina Toxiandria degentes: nam Toxiandria, vel, vt posteri appellarunt, Taxandria Leodicensibus & Brabantiæ finitima olim fuit regio, cuius appellationis etiamnũ vestigia manent. Sunt qui S. Trudonis oppidũ vicinumq; solum pro ipso Taxandriæ capite vsurpant: sed minime fallũt, qui in Tessenderlo pago Leodicæ ditionis extremo, haud procul Diesta, nõ obscuro Brabantiæ oppido, ostendũt imaginẽ priscarũ sedium; aptèq; *Lo* particula quadrat, quę loca alta ac in palude sita notat, ceu diceres Taxandrorum palustria, cuiusmodi cõpositio est in Venelo Gelriæ, Borkelo, Beuerlo. Illud quoq; certissimũ: Traiectensi olim diœcesi, & Austrasię Lotharijue regno Taxandriã fuisse contributã. Taxandriæ namq; disertim B. Lãbertus celebratur Apostolus, & cum Brachbãto veteres scriptores eã ferme coniungũt; sic Notgerus antistes Leod. in S. Landobaldi vitæ lib. I. *Testis est Taxandria post multos hinc annos à B. Lãberto idolorũ culturis stirpitus liberata. Brachbãtum quoq;, &c.* In S. Huberti vita scriptor ferè σύγχρονος & coęu°, cũ Arduennã idolomania quoq; repurgatã ab eo scribit, *illũ*, ait, *deniq; extitisse opera fructũ, vt Taxãdria, & Brachbãte Deos falsos penitus aboleret.* Ad extremũ li. V. c. XXV. apud Aimoinũ, vbi partitio regni Lotharij accuratè describitur, studiosis cũ primis obseruãda, numerañ in Caroli portione,

Franci Bataniæ incolæ.

Taxandria.

Taxandriæ priscæ situs.

Comitatus Taxandriæ; & ſuccedunt mox. *In Brachbanto Comitatus IV. In Hiſpanio Comitatus IV.* vna tanquam ſerie continuata finitimorum locorum. Cùm ergo hæc de Toxiandria vel Taxandria tam perſpicua ſint, facile intelligi ab omnibus reor, quam parum ſibi ex iſto Ammiani loco præſidij comparent, qui Francos hoſce Salios Germanicis ijs iungunt, quos totis à Taxandria regionibus diſcerni videmus, coluiſſeq; *non litora & penitiſſimas*, vt ad Conſentium ſcribit Sidonius, *paludes*, ſed terram bene firmam & ſolidam aſperitate montium: multò minimè verò ex Ammiani loco, Salios ad Salam fluuium reuocari, cum Salam neq; expreſſerit ipſe, neque iſtic locorum fuerit rectè aſſignaturus. Nec minus obſcuritatis habet locus Gregorij Turonenſis cum, incerto rumore, tradit. *Francos primum littora Rheni incoluiſſe; dehinc tranſacto Rheno Thoringiam tranſmeaſſe; hinc Reges crinitos ſuper ſe creaſſe.* An enim de Francis non conſentiunt omnes, antequam vel ad Rhenum venirent, vel Thuringiam tranſmearent, crinitos habuiſſe reges? & quis dicat, hoc primum in Germania cisrhenana & Belgica didiciſſe, quod Germanis & Celtis priſcè vſitatum, vt crinem barbamque ſubmitterent? Sed de Salijs agebatur. An ergo refractarius ego impetraturum me ſperem, vt ad Auſtraſiæ Saliam vel SICAMBRORVM ISALAM iſti rem patiantur deduci? Iam dixeram id me poſtulare nequaquam; minus etiam ſperare, ſed id ſaltem cum ſcepticis agere, vt ne hic decretis & axiomatis certandum, ſed anxiè & maturè ſibi pronunciandum, intelligant. Atque, vt iudicium quoque interponam meum, fateor certè me nullas omnino rationes in veteri hiſtoria diſpicere, quo minus LEX olim dicta SALICA ſic cenſeri poſſit, quomodo in vetuſtiſſimis diplomatis legim⁹, TERRAM vſurpari SALICAM, quam I. Conſulti quidam interpretantur FISCALEM, & REGIAM, & nos etiam appellari cognouimus Dominicam, vel exemptam. Obſeruauit id ante nos B. Rhenanus; *Salicas*, nimirum *terras vocari ſolere, principum libera prædia atq; immunia*; vt Paulo Volzio, *Salicum* idem quoque ſit, quod *immune & liberum*. Quod ſi Salicum Francis idem fuiſſe ex huius vſu vocis oſtendimus, quod regis aut principis iure ac autoritate comprehenſum, aut immune & libertate donatum, ſanè quam ob rem adri-

Franci Germanici qui in Franconci

Lib. 2. hiſt. cap. 9.

Salicæ legis originatio fluctuans.

ad riuos,& ignotas origines confugiamus,nihil vtique necesse est, nisi coniecturis,vt in re dubia,insistere semper iuuet. Adi ipsa cap. leg. Salic. Papirium, & Iunium cit. R. P. Serar. notas ad S. Kilianum. V. C. Marcum Velserum in Fragment.tab.antiq.

HOC METTIS FVNDATA LOCO.] Vlcerosus in vulg. ille locus erat,cum legeretur: *Hos metis fundata locos.* Sæpe venit in mentem mirari, quomodo essent MEDIOMATRICES nomine passi tantam imminutionem,vt ex sesquipedali vix retinerent dissyllabon. Sed non proprium id est huius,verùm commune vrbium, & locorum malum. Superesse itaque aliquando suspicatus sum compositæ vocis vnum modo membrum, scilicet MEDIO, quod geminato delta ac dein in cognatam litteram versum, tandem extitisset METTIS, quam vtiq; scripturam veteres libri, scriptoresque Francici referunt. At alij à METIO legato quopiam, quem bello Gallico interfuisse aiunt cum Cæsare, Mediomatricos, siue Mediomatrices hoc ferre nomen contendunt. Sic Paulus Cassinensis aut Sigebertus; quisquis horum, procemij, quod MS. Metensis ecclesiæ episcoporum catalogo præfigitur, autor est. Huius etiam rei testimonio lapidem afferunt suo tempore istic repertum cum huius inscriptione distichi.

Mediomatrices vnde iam Mettis,vel Metis.

An à Metio.

Tempore quo Cæsar sua Gallis intulit arma.
Tunc Mediomatricum deuicit Metius vrbem.

Adduntque lemniscum fabulosæ coronæ.

Suffetius dederat nomen cui Metius vrbi.

Etiam ab Euandri matre, & Metio Suffetio vrbis repetentes originem. Sed vt Metius quispiam ex illo grege militari vrbem eam adierit, huius in Cæsare tamen, aut idoneo quo veteri scriptore nullum hæret vestigium. Nec ante Francorum imperium, vt mihi quidem videtur, Mettis nomen apud latinos auditum est. Ipse ergo Paulus sibi similior, quando sic tradidit, inter alias etymi caussas, Mediomatricum nuncupari quoque à circumpositarum vrbium situ. *Habet namque Treuiros*, inquit, *Metropolin ab aquilone, Tullum à meridie; Virdunum ab occidente, inter quas floret quasi media mater.* Sed in magna linguarum confusione res etymologica, vt sentio, lubrica est. Situs enim hic, etsi in vrbe manet, in

An quia in medio prouincialium vrbium.

ciuitate olim tamen non obtinuit; cum Mediomatricum populus & Resp. (vocemus quippe iam ita ciuitatem) ex Cæsaris descriptione Rheno tenus imperitarit. *lib.* IV. *comment. Gall.* nomenque id ante extiterit, quam gens Romana ibi vinceret, quæ Cicerone orat. de prouinc. Consul. teste, deuictarum nationum nomina plerumque retinuit, nec deuictis noua semper imposuit. Maneat igitur, istam Pauli seu Sigeberti originationem ex vsu esse Latinorum, qui vt infinitis doceri potest exemplis prisca domitarum gentium vt iura, sic & nomina, leui inflexione, sua fecerunt & ex agnominatione Gallicæ vocis Mitmethe aut Mitmathe/ vel quæcunque demum alia fuerit, aptum loco vocabulum dederunt, vt qui & medius Belgicæ I. & ob rerum vberrimam fertilitatem à matre vel matrice, quæ indices fecunditatis, nomen haud immeritò gereret. Id, si quis est, cui minus probari potest, facilè tamen arbitror mihi hoc iudices æqui assentientur, vbi ostendero in prisca Gallorum, aut etiam, si vis Francigenarum lingua, METHE, idem fuisse, quod mater: id me scriptor, qui iam in manibus est, docuit; cum in B. Germani Parisiensis vita testatur, matrem ecclesiam, quam hodie dicimus & matricem, fuisse METHE nuncupatam. verba eius sunt. c. XLII. *Cum aliquando ad possessionem matris ecclesiæ, quæ* METHE, *dicitur, sacerdos Christi accederet*: mansit & huius vocis & significati affinitas in illa præclara Leontij basilica, quæ lib. I. poëma. IX. dicta VERNEMETIS, seu magna matrix ecclesia: nam & vern idem hodieque Germanis est, quod longum ac protensum: Quod si, vt mihi plane persuadeo METHE Gallis erat mater, recte, extrita prima parte nominis Mediomatricum, consuetudo suscepit, vt à posteris etiam Mettis, id est, matrix ciuitas aut mater diceretur. Inuenio quoque multorum sententia huic vrbi DIVODVRO antiquitus fuisse nomen, cui sententiæ quam Itineraria Rom. non fauent, tam Ptolomæus adstipulatur, qui disertè in Belgica μεσημβρινώτεροι δὲ, inquit, μεδιομάτρικες ὧν πόλις Διουόδουρον. Australiores sunt Mediomatrices, quorum ciuitas Diuodurum Hac facit quoque Tacitus lib. I. histor. cum Diuodurum. Mediomatricorum oppidum memorans, inuisum tunc discordia Romanis mox addit militem raptis armis

Methe vox prisca.

Diuodurum vetus

tis armis

tis armis ad cædem prosilijsse *innoxiæ ciuitatis*, & temperasse ab *excidio ciuitatis*. Ceterum huius ne vmbra quidem in posteris mansit Atque haud scio, an rectius Diuodurum ab ipsa Metti paullulum retrahitur THEODONIS VILLAM versus, aut circiter, sicut quibusdam apud Abr. Ortelium in synon. placuisse reperio. Nam iter secundum Romanos indices è Treuiris Argentoratum erat; Diuoduro ad pontem Sarræ. At si quis Argentoratum petens iam Metim prius adeat, vt inde ad Sarræ pontem redeat, nulla alia interueniente causa, eum insanire potius, quam proficisci horum periti locorum dicerent. Sin autem ob nemorum densitatem, & asperitates montium, paulo viam militarem Theodonis villam versus olim detortam concesserimus, aliqua saltem moderatione vtemur, quæ inueniri in priore ista assignatione non potest. Extabat nuper Maguntiaci elegans epigraphe priscæ memoriæ.

P. M.

PRIMNIÆ COMITILLÆ, QVÆ VIXIT ANNIS XX. CIVES *MEDIOMATRICA MATERNVS NEMAVSVS STRATOR COS. ET LVCIVS LVCINVS MENSOR FRVMENTI NVMER. *ciuis.

SPECIOSA CORVSCAT.] Habet etiam hodie pulcherrimam hæc vrbs sane speciem; nobilisque in primis B. STEPHANI, & totius TRANSALPINÆ regionis ornatissima basilica, varijsque templis fastigio turrium visendis, habetur inclita; multumque retinet splendoris & magnificentiæ veteris, vt haud immerito Barthol. Cassanæus p. XII. catalogi gloriæ mundi, Galliam cum Italia contendens, Metim ausus sit ædium adparatu ac turritorum mœnium pulchritudine, facere æmulam vel ipsi Hetruriæ ocello FLORENTIÆ. At si pomœrium vetus spectes, extra fertilitatem, & arridentium vndique vitium, lætitiam, qua omnia loca vicina mire gaudent, magna iam ibi sacrorum culminum, templorumque vastitas, præsertim ad occasum & meridiem, vbi regijs monumentis veterum antistitum religione ac sanctitate visenda templa, monasteriaque SANCTI CLEMENTIS & DIVI ARNVLPHI hac memoria nostra steterunt, quorum cum mihi vix inter vineta extantia rudera sacrasque cryptas, R. & optimus se-

Metensis vrbis pulchritudo.

Damna bellorum.

mus ſenex Nicolaus Matthæi oſtenderet, illud non ſine iuſto zelo mecum animo repetebam.

ἇς δὲ θεῶν τεμένη καὶ τείχεα καὶ ναετῆρας
ζηλήμον δηῶν ἐξεκένωσεν ἄρης.

XIX

Charentinus Agrippinenſis antiſtes.

CHARENTINI Agrippinenſium præſulis rara & mirifica quædam extitit in omnes caritas, propenſumque de exteris bene merendi ſtudium. Maximè vero vigilantia in paſtoris tuendo munere antiſtitem hunc commendauit, nam & populum ſuam aduerſus errores diligenter protexit, & morum exemplis ac Chriſtianæ diſciplinæ præceptis, ſedulo item inſtruxit: Denique ſacris ædibus inſtaurandis, ijſque ornamentorum acceſſione noua cumulandis, laudem gratiamque apud poſteros, Fortunati ſtudio, promeruit. Qui vulgati extant mendoſiſſime præſulum huius ECCLESIÆ CATALOGI, ij nimirum CHARENTINVM numerant VI. eius ſedis Epiſcopum; ſed vel me tacente, norunt eruditi iſtic præteritos eos non modo, quorum hic in terris obſoleuêre forſan nomina, ſed quorum etiam clariſſima priſcorum è monumentis erui memoria poterat.

Eius vitæ commendatio.

AGRIPPINA COLONIA PRÆFERT.] Forte quomodo Flaccus dixit, *Metaurum flumen & Stertinium acumen*, cum antiquitas *Agrippinenſem* quàm *Agrippinam Coloniam* dici mallet. Sed vſu prius id etiam inualuit. Non ſine cauſa olim tamen, rectè Agrippina Colonia nec ne diceretur, quaſi ab Agrippina Germanici coniuge, Tacito autore, deducta mecum dubitaui; quod alterum mihi ex vtroque ſtatuendum neceſſariò colligerem, vel Tacitum á ſeipſo diſſidere, & parum conſentanea loqui, aut lectionem quæ in libello de Germaniç moribus adhuc manebat, mutandam fuiſſe, quod cum ab eruditiſſimo LIPSIO in commentarijs ijs, quos ad Tacitum accuratè ſcripſit, prætermiſſum intelligerem, eius rei cauſam vt diſcerem, pro amicitia, quæ cum illo mihi apud Confluentes interceſſerat, inter alias hanc ei quæſtionem hiſtoricam ferre placuit, ad quam poſtridie kalend. Decemb. an. M. D. XCI. Leodici degens ea reſcripſit, quæ tum ad hunc locum, illuſtrandum tum

Coloniæ Agrippinenſis origo.

adintel-

ad intelligenda quædam alia, momenti quidpiam adferre potuerunt.

Commemini, inquit, *de* COLONIA AGRIPPINA *te quæsisse, & nodum haud frustra nexuisse, vtrum Agrippa eam deduxerit, an neptis eius Agrippina. De ista quidem*, ni fallor, *omnes historia: tamen de illo Tacitus videtur autor De moribus Germanorum:* QVANQVAM ROMANA COLONIA ESSE MERVERINT, AC LIBENTIVS AGRIPPINENSES CONDITORIS SVI NOMINE VOCENTVR. *Num ecce*, inquis, *conditorem appellat? Respondeo censere me eo loci legendum.* CONDITORIS SVÆ, *& ad* AGRIPPINAM *referendum? Primum, quia Tacitus ipse annalibus, vt scis, diserte sic tradidit, deinde quia* AGRIPPINENSES *hic scriptum, quod ἀναλόγως ab* AGRIPPA *nunquam deriues, sed* AGRIPPENSES. CONDITORIS *terminatio non te moueat, quia certum est veteres plerumq; hac verbalia de vtroq; genere protulisse.* Virg. Auctor ego audendi. Ouid. Sponsor coniugij stat dea. *& passim exempla. Quod si tamen ad Agrippam referre omnino placet, tum conditio non de oppido aut Colonia, sed de traductione accipienda est, & quia sedem patriamque nouam iis*, CIS RHENVM *condidit. Nec enim vltra Agrippa fecit, quod ego quidem obseruarim.*

Ab Agrippa, an Agrippina sitne deducta.

VOCIS APOSTOLICÆ SECTATOR.] Locus is expressus ex S. Paulo, vbi fidē ac spem postponit caritati. Persistit autem in allusione nominis CHARENTINI: vnde & charos animos accepit caritate præditos, adeoque ipsam caritatem: nam quæ à Deo diliguntur animæ, eique caræ sunt, in ijs bonum aliquod diuinum existat oportet, in quod cœlestis amoris vis, quem efficacem esse nouimus, feratur, ne si eas diuinorum munerum cogitemus expertes, & sine virtutum cœlestium insito bono caras, eadem opera, (quod scelus hæreticorum est) fateamur amicas & inimicas.

Caritatis inhærens donum.

XX.

IGIDIVS, vel) vt Greg. Turon. & M. S.) Egidius Rhemorum archiepiscopus præcipuum in Austrasiæ regno locum gratiæ & auctoritatis consecutus est ijs virtutibus & ingenij ornamentis, quę hic magnopere celebrat Fortunatus. Princeps ille fermè legationum pro Childeberto ad Chilpericum regem, illi pacem amplissimamq;

Egidij Rhemorum Episcopi calamitosus exitus.

ſimæque cernendæ hæreditatis ſpem, circa annum Domini D. LXXXIV. confecit. *Turon. lib. VI. C. III. & XXXI.* Sed cum inani ſucceſſuum blandimento, curam ſacrorum aulæ negotijs poſthabet, volucribus deditus huius vitæ bonis, apud reges pro gratia collegit inuidiam, apud populum gratiam collectam effudit. Multorum ergo, quæ contra leges & canones, ipſamque adeò Regum maieſtatem ab eo eſſent geſta, accuſatus; & tandem ad eum condemnandum à Childeberto Metin accerſiti Epiſcopi: vbi, cum in iudicio argueretur, ac diligenter in omnem eius vitam ab epiſcopis inquireretur, deniq; peractus reus eorum, quorum ſe affinem haud negabat, ARGENTORATVM, cuius tunc nomen SRATABVRGVM erat, in exilium relegatus eſt. *Greg. libr. X. C. XIX.* documento futurus poſteris, quam regum aulæ præſertim Epiſcopis ſint perniciabiles: nam ſcitum illud:

Paucos beauit aula, plures perdidit;
Sed & hos quoque ipſos, quos beauit, perdidit.

Eius rectè facta merito laudata.

Neque interea debuerunt hæc Ægidij perperam facta, ea, quæ ante geſſit laudabiliter, obliterare, cum pro bonis viris eos etiam par eſt habeamus, non qui peccarint nunquam, quod humanarum virium excedit modum, ſed qui honeſtè plurima egerint, qualis erat Ægidius, dum eum Fortunatus laudabat. Idem & anno Sigeberti XII. Gregorium ad Eccleſiæ Turonenſis gubernacula renitentem licet admotum conſecraſſe quoque hic lib. v. legitur.

Quem patris Aegidii Domino manus alma ſacrauit,
Vt populum recreet quem Rhadegundes amet.

XXI.

Hilarius Gabalitanus præſul

SALVTATIO hæc ſcribitur ad HILARIVM Gabalitanum inſigni morum ſanctitate Epiſcopum, qui Aruernenſi concilio, quod poſt conſulatum Paulini anno Domini DXLI. celebratum, ſcribendo adfuit; eiuſque memoria ad XXV. Octobris ſolenni in Eccleſia Diuorum cultu frequentatur.

XXII.

Berteramnus Burdegalenſis Epiſcopus

BERTERAMNVS ſiue Bertechramnus, & Bertramus, (hanc enim varietatem vox apud antiquos recipit) Burdegalenſis fuit Epiſcopus

ſcopus, Matiſconenſis concilij euentu & ingenij laude non obſcurus. *Greg. libr. VII. C. XXXI.* ipſe in Fauſtiniani Aquenſis cauſſa cum Palladio damnatus iuſſuſque, centenis in annos præbitis aureis, pſeudoepiſcopum paſcere. *lib. VIII. C. XX.* Porro laudem ingenij Fortunatus illi in ſequenti poëmate tribuit. Oſtendit enim poëticæ non fuiſſe ignarum, eiuſque grandiloquentiam in carmine commendat. Prouocatus autem ab ipſo carminum certamine, poëma hoc.

XXIII.

PRo verſibus ad ſe miſſis repoſuit: elegans in eo deſcriptio Gallicanæ rhedæ: in quam beneuolentiæ cauſſa Fortunatus aſſumptus. Illud autem:

Atque cothurnato verba rotata ſopho.

ne dictum ab eo nouè putes, vſurparat id ſuperiore ſæculo reconditus ille Sidonius, Aruernorum decus lib. I. Ep. XI. *Cui* (Epiſtolæ) *ſi examinis tui quoque puncta tribuantur, aque gratum mihi, ac ſi me in Comitio, vel inter Roſtra concionante ad* SOPHOS *meum non modo laticlaui, ſed tribulium quoque fragor concitaretur*; & idem præfat. panegyrici Anthemio dicti. Sophos.

Diſparibuſque modis par cecinere SOPHOS.

Ad Conſenſium quoque, vbi Narbonem ſalutat.

O Sodes quotiens tibi loquenti
Byzantina SOPHOS *dedere regna*!

SOPHOS enim in acclamantium fuit adulatione apud antiquiores etiam; vnde Martialis.

Quod tam grande SOPHOS *clamet tibi turba togata*:

&,

Mercetur alius grande & inſanum SOPHOS:

quod in recitationibus maximè locum habuit.

VIX MODO TAM NITIDO.] Nempe manſit ad hæc etiam tempora Romæ carminum recitandorum mos; in quo teſtificando multi; Plinius ſecundus in ſuis epiſtolis; Dialogus Taciti, an Quinctiliani de Baſſo, & ex recentioribus, qui enarrant; Ioſephus Scalig. ad Auſon. Commentar. libr. I. c. X. doctiſſimus Faber Agoniſt. I. Conſultus XXVI. Alexander Genial. libr. VI. cap. XIX. ad- Poëmatũ ſeu carminum recitandorum mos.

 dit.

dit. Tiraquelli. & in ſacris poëtis apud eccleſiaſticos etiam cœtus vſurpatum, præclare Baronius, vt aſſolet Tom. VII. ad annum DXLIV. in ARATORE docuit, luculentiſſimo eam in rem ex bibliotheca Vaticana deprompto teſtimonio, quo Aratorem Subdiaconum tunc eccleſiæ Romanæ opus ACTVVM APOSTOLICORVM metris illigatum, obtuliſſe memorat VIGILIO PAPÆ: indeque publicæ cleri ac hominum doctiſſimorum rogatu recitaſſe; & mox in *Eccleſiam S. Petri coeunte religioſorum agmine, ſeptenis vicibus auditum, cum operis interea dimidium vix abſolueretur, ob repetitiones aſſiduas, quas cum fauore multiplici adſtantes poſtu*[illegible]*t.* Ad ſimilem audiendi ſitim, fauoriſque copiam, ſpectant omnia, quæ hîc à Fortunato ſubijciuntur. *Strauiſſent plantis aurea fila,* id eſt, auro intertexta periſtromata.

AVDIT TRAIANO ROMA VERENDA FORO.] in vulg. inepte legebatur, *Troiano.* Recitationes TRAIANI foro, (quod rariſſimę obſeruationis eſt,) ſuo tempore commiſſas addocet: nec facile me repeto id alibi notaſſe, in moribus fuiſſe antiquis. COMMISSIONIS enim CARMINVM & CAPITOLINOS AGONES conſenſu autores referunt ad DOMITIANVM; locum vero hunc non exprimunt: de quo cur minus ambigeres, iterare Fortunatus alibi morem voluit, prorſuſque eo in loco recitatum, oſtendere. Lib. VII. ad Lupum Ducem.

Traiani foro carminum certamina commiſſa.

Si tibi forte fuit bene notus Homerus Athenis,
Aut Maro Traiano lectus in vrbe foro.

Erit ergo vel ex hoc ſcriptore quod promant, quibus iſte mos arridebit; quem ex eo affirmare me poſſe quoque putem, quod ante hoc ſæculum Fortunati, ſciã eruditiſſimis ingenijs eodem in foro erectas eſſe ſtatuas, tamquam in ampliſſimi honoris & gymnicæ coronæ theatro. Nam vt illa vetera huius loci ornamenta prætermeam, ſimulacra nempe inaurata equorum atq; ſignorũ militarium, quæ Gellio teſte lib. XIII. c. XXIV. in fori Traiani ſita erant faſtigijs; inuenio in B. Hieronymi Chronico VICTORINI laudatiſſimi Chriſtiſtiani Rhetoris ſtatuam, quam is OB INSIGNE PRÆCLARI MAGISTERII Romæ meruerat, in Traiani foro conſpectam; etſi teſtis huius hiſtoriæ B. Auguſtinus VIII. Confeſſionum

Traiano foro ſtatuas meruere poëtæ celebres & oratores.

Victorinus

cap. I

cap. II. FORI ROMANI tantum meminit. Non absimile de CLAVDIANO prodidit Volaterranus, argumento veteris inscriptionis sua memoria repertæ, fidem meritus; qua Claudiano scriptis licet suis commendatissimo, ATTAMEN TESTIMONII GRATIA, OB IVDICII FIDEM, DD. NN. ARCADIVS ET HONORIVS FELICISSIMI ET DOCTISSIMI IMPP. STATVAM IN FORO DIVI TRAIANI ERIGI COLLOCARIQVE IVSSERVNT. Certiora apud Sidonium huiusce rei documenta sunt; primum de patrum suorum memoriæ N. Hispano poëta.

Bætin qui patrium solum relinquens
Vndosæ petiit sitim Rauennæ;
Plosores cui fulgidam Quirites,
Et charus popularitate Princeps,
Traiano statuam foro locarunt.

Quod qui de Ausonio Burdegalensi acceperunt, ne quidem audiendi mihi videntur. Alterum, de sollenni poëtarum sui temporis encomio, scribens ad Priscum Valerianum virum Pręfectorium quo gloriatur se ad eius honoris peruenisse consortium.

Nil vatum prodest adiectum laudibus illud;
Vlpia quod rutilat porticus are meo.
Vel quod adhuc, populo simul & plaudente senatu,
— *Ad nostrum reboat concaua Roma sophos.*

Libro quoque IX. epist. XVI. in sapphicis, geminæ meminit statuæ, qua à duobus A. A. Maioriano & Anthemio in Traiani foro donatus sit: & dè priore quidem Apollinea canit. inter autores vtriusque fixam Bibliothecæ. Bene itaque Sirmondus noster ex Fortunato forum quoque Traianum celebrauit. Addidit & Martis; & Athenęum ex Lampridio Romę certum auditorium, quod Alexander Imperator audiendorum & Græcorum & latinorum Rhetorum vel poetarum causa frequenter adierit; cuius loci Capitolinus in Pertinace & Gordiano quoque meminit. Athenęum Romanum.

XXIV.

AGRICOLA seu AGRÆCOLA Cabillone fuit Episcopus: quod oppidum in prima Lugdunēsi, iam Burgundici tractus.

ad Araris fluuij ſegniſſimi ripas ſitum eſt. Eius non ſemel apud Gregorium Turon. lib. v. c. xx. & xlv. at inter Sanctos crebrior & annua quoque recordatio ad xvii. Martij. Interfuit, ſubſcripſitque iv. & v. Synodis Aureliæ. Quarum poſterior in annum Chriſti dlii. incidit. Vir ſenatorij ordinis, & in diuinarum litterarum ſtudijs condiſcipulatu Fortunato iunctus. Doctor vtriuſque, pater huius Agricolæ fuit; cui & Agricolæ nomen ex hoc Pentaſticho ſumpta coniecturâ, nonnulli tribuunt. Sed ſenioris Agricolæ parum mihi ſanè comperta memoria. Inuenio ſub initium regni Guntrami AGRICOLAM patricium, quem Guntramus rex, ſuffecto Celſo, officio ac dignitate ſubmouit. De hoc conijciat, qui volet, vter, an neuter horum ſit. Minime ambiguum eſt, quod apud Gregor. lib. v. c. xlv. huius inſigne extat præconium. AGRÆCOLA HOMO VALDE ELEGANS AC PRVDENS, GENERE SENATORIO, MVLTA IN CIVITATE (Cabillonenſi) ÆDIFICIA FECIT &c. Obijt epiſcopatus anno xlviii, æui autem lxxxiii, qui annus in Chriſti circiter D. cadit xxciii. Denique de gloria Confeſſorum c. lxxxvi. Cabillonenſis vi bis ſanctos memorans, celebrat BENEDICTVM AGRÆCOLAM ILLIVS VRBIS EPISCOPVM. Et Fortunatus quoque in vita S. Germani, illius meminit. c. vii. vbi *eius cubicularium ope S. Germani, miraculo curatum* narrat.

Fortunati condiſcipulus.

Eius virtutes ac animi dotes.

XXV.

HOc ad Felicem Epiſcopum carmen, quod intento legatur animo, digniſſimum eſt. Quippe illuſtre profert teſtimonium ASSERVATI etiam PROPATVLO hac ætate CORPORIS DOMINI, eoque VASIS genere, quod plurimum in Francia Germaniæque prouincijs hodie perdurat, *turris* ſcilicet IN MOREM FABREFACTI. Atque, vt ne calicem S. Bonifacij ligneum hæretici ſemper nobis obijciant, vel hinc etiam bono & perantiquo more diſcant laudatum,

Corporis Domini hierotheca, quæ vulgo Monſtrantia.

——— *Sacrati vt corporis agni*
Margaritum ingens aurea dona ferant.

Hanc

Hanc porro verſiculi partem, *ex nobiliſſimi*, vt Beda loquitur, *Hiſpanorum ſcholaſtici Aurelij Prudentij Pſychomachia* mutuatum, facile mihi perſuadeo, vbi ille,

————quod mille talentis
Margaritum ingens opibuſque & cenſibus haſta
Addictis, animoſa Fides mercata, pararat.

Vnde & eâdem hic licentia ſecundam in Margarito produxit. Valde autem oportunè hanc Felicis HIEROTHECAM ſcriptor celebrat: quia ſynodus Turon. II. C. III. paulo ante hoc tempus decreuerat; VT CORPVS DOMINI IN ALTARI NON IN IMAGINARIO ORDINE, SED SVB CRVCIS TITVLO COMPONERETVR; cui ſynodo cum B. Germano Pariſienſi, à quo ordinatus olim fuerat Felix, hic etiam interfuit, anno DLXX. Videtur autem compoſitionem ſane eandem B. PAVLINVS probaſſe, cum ad Sulpitium Seuerum, hoc ſuum carmen miſit. Corpus Domini olim etiã extra vſum aſſeruatũ in templis.

Diuinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compoſitisque ſacra cum cruce martyribus.
Cuncta ſalutiferi coeunt inſignia Christi,

CRVX, CORPVS, SANGVIS, MARTYRIS IPSE DEVS.

SARAPTÆ MERITO.] peſſime vulgo, *vt rapta merito.* Baron. appendice VII. tomi. *Par vidua merito.* Sed Treuir. C. Lectio abſque dubio præſtat, in quo SARAPTÆ diſertim, cui propinquus S. Galli MS. SIRAPTE, & veſtigia Calaritani... RAPTÆ. Ceterum quo cunctantius hæc lectio recipiatur, illud fortè faciet, quod viduam illam SAREPTANAM fuiſſe Marcus cap. XII. & Lucas XXI. taceant, nec eius mulieris genus, aut patriam exprimant; parum ad hæc priſcorum litteris extet comperti SAREPTANE SIDONIORVM fuerit oriunda. Verum, qui poëtam vti myſtica quadam alluſione, & ob rerum cognationem, quam in illa priſca SAREPTANA vatis hoſpita, & hac Euangelica reperiebat, commune vtrique cogitat dediſſe nomen, aptiſſimè id ab illo factum, ſcio, fatebitur; tam multa ſunt, in quibus conueniunt. In hac quippe noſtra emphaticôs notantur, Vidua Euangelica an Sareptana.

tur, quod VNA, quod PAVPER, quod VIDVA, *B. Ambrosius libro de viduis. Beda ad XII. Marci & Lucæ XXI.* Talis autem erat prorsus illa SIDONIA: Quamobrem vtraque Ecclesiæ typum & monade sua, & orbitate, & fœcunda quadam sterilitate gessit. Rursum hæc saluatoris meruit præconium, quia de penuria sua totum victum suum, omnia etiam quæ haberet, misisset in gazaphylacium, qua liberalitate dites illius vrbis ciues facilè cunctos anteibat. Ista Christi ore similiter laudata, quod egentissima cum esset, ob promptum tamen & misericordiæ expositum animum, ex mille Sidoniarum meruerit vna, vt prophetam ELIAM reficeret. Denique vt illa duo minuta mittens suum honorat Dominum in munere; perinde & hæc ligna duo colligens Dominum item suum honorat in reficiendo vate. Vbi itaque similia tam multa concurrunt, vt velut eandem personam postliminio referant, haud sine mysterio, ibi commodum arbitror, & idem retineri nomen & patriæ appellationem; quomodo de Ioanne Christus aiebat. *Ipse est Elias.* Et in genesi Iacob. *Ego*, inquit, *sum Esau*, scilicet prærogatiua & dignitate primogeniti.

XXVI.

Auitus Aruernorum episcopus.

EVCHARISTICON hoc ad AVITVM egregio animarum zelo ARVERNORVM Episcopum pro munere misso in Pictauos, ad communes amicos. Genus muneris non exprimit; sed excitandæ pietati fuisse volumen orationum, nec pretij exigui, ex hisce dinoscis. MVNERIBVS VESTRIS. AVITVS autem hic diuersus ab illo ALCIMO AVITO clarissimo ANICIANI sanguinis, & nobiliore doctrina & sanctitate VIENNENSIVM EPISCOPO, qui patre natus Isicio senatore, fratrem habuit APOLLINAREM sanctum item Episcopum Valentiæ, vixitque sub Zenone & Anastasio Impp. *Greg. libr. II. C. XXIV. Chron. Adonis vien.* At AVITVS hic Aruernorum præsul sub annum Domini DLXXX. Chilperico Francorum rege, floruit: vt Turon. testatur lib V. C. XI. AGNES autem, quæ hîc B. RHADEGVNDI iungitur, illa nimirum est, quam apud Pictauos, erecto iam tum monasterio & S. CÆSARII disciplina ab vsque Arelate accersita, RHADEGVNDES magistram sibi, cui vice Christi morem gereret,

Diuersus ab Alcimo Auito.

Agnes B. Rhadegundis comes & antistita.

gereret, cooptarat: & de qua in illa veneranda epistola, cuius exemplar extat apud Greg. lib. IX. c. XLII. sic ipsa scribit. CONSENTIENTIBVS BEATISSIMIS ET HVIVS CIVITATIS ET RELIQVIS PONTIFICIBVS, ELECTIONE ETIAM NOSTRÆ CONGREGATIONIS, DOMNAM ET SORОREM MEAM *Agnetem*, QVAM AB INEVNTE ÆTATE LOCO FILIÆ COLVI, ET EDVXI, ABBATISSAM INSTITVI, AC ME, POST DEVM, EIVS ORDINATIONI REGVLARITER OBEDITVRAM, PROMISI.

AVLICE PRÆSVL.] Num quia COELESTIS REGIS Aulæ, templiue *cultor* assiduus? an vero, vt ἄγραυλον Græci dicunt, sic *aulicum* hunc AVITVM appellat, quasi in grege tuendo peruigilem? Vtrumque placet præ cæteris, cum αὐλικὸς interim ab αὐλὸς sit idem etiam quod celebris & cantatus.

XXIX & XXX.

AGERICVS Viroduni, cuius vrbis ipse ciuis, in locum DESIDERATI creatus erat Episcopus. *Greg. lib. III. C. XXXV.* eius doctrinam, iuxta morumq; raram integritatem, & munificentiam, hoc vtroq; poëmate collaudat; id simul testificans, virtutis eximiæ merito prouectum in beatorum cœtum: vnde & ipsius honori festæ kalendæ Decembris. Childebertum regem, ex sacro fonte suscepit, eiusq; in primis gratia & amicitia floruit. *Gregor. lib. IX. C. VIII* vixit à Theodoberti regno in XIV. annum regni Childeberti, inedia & mœrore, ob necem Bosoni clienti allatam, quem vindicare non poterat, exitu maturato. *Gregor. lib. IX. C. XXIII.*

Agerici virodunensis episcopi encomium.

VRBS VEREDVNA.] Fastidio sim, si varietatem, quam huius vrbis nomen accipit, omnem hic incipiam proferre. Vsitatissimum Ptolomæo, & Antonini Itinerario VERODVNVM & VIRODVNVM. Notatio quasi ξένων δῦνον. collis hospitum. Notum enim in pluribus vrbibus, teste quoque Strabone, quid DVNVM sibi velit. In capite verò non displicebat interpretatio, quam in VIRODVMARO Celtico duce, Scaliger ad Propertium attulit. Est autem VIRODVNVM vrbs Belgicæ I. peramœno ad Mosam situ, basilicis, monasterijs, templisque egregie instructa, prouincialis

Virduni etymon & vrbis nobilitas.

Treuericę Metropoli, olim in Lotharij regno clara, nuper etiam in imperio Germanico Comitatus titulo, qui penes episcopum loci, non obſura: de qua copioſius alio nos loco. Interea qui huius generis ſitit plura, is ſeſe expleat bene prolixo commentario, quem pius idemque pereruditus Richardus Waſſebourgius eiuſdem Eccleſiæ archidiaconus ante complures annos idiomate gentis in lucem edidit. Extat apud Surium B. AGERICI vita contexta ex vtriuſque huius poëmatis ſententia. Sigebertus verò ad annum D. XLIX. *Agericus*, inquit, *Virdunenſis epiſcopus claret*.

Virodunenſis vrbis varius ſucceſſus

BREVI QVAMVIS CLAVDARIS IN ORBE.] Non ita breui quidem modo, cum ad maiuſculas iam eius amplitudo accedat. Sed olim tamen communem Belgicæ tempeſtatem pertulit, ex qua non in anguſtias magis tectorum mœniumque quam fortunarum ſic redacta fuit, vt parum abeſſet, quin cenſeretur miſerrima. Sanè Francos irruptione eam domuiſſe conſtat; ſiquidem Clodoueo parum fida, bis perierat, ni regis irati conſilium AVSPICII archipreſbyteri ſanctitas diſcuſſiſſet. Iam enim de nouo vrbs obſidio vallabatur, & incuſſi arietes alta murorum pulſabant. *Armoinus lib.* I. C. XVII. Porro DESIDERATVS Agerici deceſſor, quomodo afflictos inopia, & merſos ære ciues, nummaria re & induſtria fenebri leuarit, atque à Theodoberto Auſtraſiæ rege ad ciuium vſus argenti ſubſidia confecerit, prolixe narrat Gregor. libr. III. C. XXXIV. qui ſuo etiam tempore eius induſtriæ incrementa manſiſſe, ac diuites ea ex re magnoſque euaſiſſe Virodunenſes, memorat. Cuius vtinam beneficij fructus viueret in poſterorum animis; efficeret enim fortaſſe, vt epiſcopis ſe plus adhuc debere intelligerent.

Deſideratus Virodunenſis Antiſtes.

XXXI.

Amphion presbyter.

AMPHION presbyter veneranda ſenecta, mira fuit in amicis colendis parandiſque facilitate, & hoſpitalitatis quoque ſtudioſus. Quæ ornamenta virtutum illuſtrat hic Fortunatus. Indicio autem eſt Leontij commendatio, Amphionem presbyterum fuiſſe Burdegalenſis eccleſiæ.

PATER-

XXXII.

PATERNVS hic Pictauis nobilibus ortus parentibus EX ABBATE SEPTVAGENARIO tandem ABRINCI factus episcopus SCISCIACI fani celeberrimi euersione, & gentilium iuxta degentium conuersione clarus. Eum Illust. Baronius ABRIGENSIS episcopi nomine annal. Tom. VII. ad an. DLIX. celebrat inter illos, *qui sanctitate ac virtutibus conspicui, parisiensi concilio vna cum B. Germano interfuerunt.* Extat eius vita apud Surium die XVI. Aprilis, qua die in Ecclesia pro sancto colitur. ABRINCVM veró, seu AFRINCATVM, minime fuit olim obscurum Lugdunensis II. hodie Nortmaniæ vel Neustriæ oppidum, in quo & CONSTANTIA vicinaque Britanniæ ora tractus Ebroicani, quam monasterijs & monachorum colonijs S. PATERNVS frequentauit. Rectius ergo in Surio legetur ABRINCENSIS episcopus; quo modo Tom. conciliorum II. plerisque Gallicanis Synodis subscripserunt. Paternus Abrinci Episcopus Abrincum oppidum.

XXXIII.

QVÆ salutatoria hinc sequuntur, vt in priuata memoria, languente testium fide, enarrationem haud longam requirunt. Ad Druconem Parisiensem diaconum ex Britannia alicunde, vel, vt appellabant, Nannetico, scriptum apparet.

TE QVOQ. PARISIVS.] Aliquid notauimus ad 15. P. li. 1. Quare intempestiuè scioli sunt, qui hanc vocem è scholis cum risu explodunt. Audiant ij nunc vel ipsum Criticorum Aristarchum in illud Ausonij, quod ad Paulinum scribit. Parisius recte dici.

Santonus vt sibi Burdegalam, mox iungit Aginnum.

Dictum, inquit, *Sanctonus Mediolanum* vt *Lutetia Parisius*; *Augusta Vindelicus, quod minime barbarum, vt* B. *Rhenanus voluit.*

XXXIV.

EVCHARISTICON pro musto Meldis ad se transmisso. Sunt autẽ Meldę in Lugdunensi IV. sub Senonensi archiepiscopo, quarum hodieque, teste Orontio Finęo, sedes, Meaulx, ad Matronam amnem: celebris MELDENSI CONCILIO istic aliquando præside HINCMARO Rhemensi archiepiscopo, sub CHRISTI annum DCCCXL. coacto. Meldæ.

XXXV. XXXVI.

VTRVMQVE hoc ἀνεπίγραφον est, quod scripsit officij causa Rauenna forte, adeoque ex Italia in Galliam digrediens. Posterius aliquot versibus expleuimus.

XXXVIII.

PROTREPTICON hoc ad patientiam, aberat à quibusdam vulgatis; inter syllogas tamen Fabricij repositum, sed mendaci titulo. *De vita hominum lib. III. adhortatio ad patientiam.* Mirabar tam male illi esse cum diaconis, vt nomen officiumque Sindulphi tacitum vellet, cum istæ tamen ecclesiæ non omnino spernant Diaconos, præsertim, qui cum Nicolao etiã mulieribus, non tantum conuiuijs ministrent, & mensis. Genus autem carminis hic vsurpat, in quo hexametri præcedens hemistichium recurrit cum fine pentametri, rarissimi apud veteres exempli. OPHITES, vel SERPENTINVM vocant, quia, tanquam in spiram, eodem finis reuoluitur, vnde venerat. Ouid: de arte.

Sindulphus diaconus.

Ophites vel serpentinum carmen.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido;
Attice. crede mihi, militat omnis amans.

Et Martialis cum alibi sæpiusculè, tum lib. VIII. ad Luciferum.

Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phosphore redde diem.

Atque hoc genus etiam à Lampridio Oratore frequentatum meminit Sidonius Apollinaris lib. VIII. epist. XI. cum Elegos eum ait fecisse, nunc stoichos, nunc recurrentes, nunc per anadiplosin fine principioque connexos. Lusit in hoc genere haud inscitè, posterior licet ætate, Paulus Diaconus Longebard. histor. lib. I. c. III. vbi singulis distichis singula S. BENEDICTI miracula describit.

AD VE-



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI LIB. IV.

QVARTVS hic liber tristibus constat Elegis, & Epitaphijs hominum illius sæculi plenus est, quorum vt in obsoleta memora, gestæ res, historiaque parum comperta. Eminent autem passim hic parænešes demonstrationesque, & alloquia luctusque solatia, quæ huius generis propria sunt, impensius etiam scripta; geminaque in ijs haud pauca ulterioris æui poëtarũ ingenijs. Et quia nullę hic causę nobis morandi, compendio titulos percurrimus: argumenta quippe se sponte prodent, notatis & expressis in margine summę rei capitibus.

I.

EVEMERI sedes, conditio & ętas ex Felicis Nannetum Episcopi rebus, qui eius successor fuit, facilè intelliguntur.

II.

S. GREGORIVS Lingonum episcopus illustre nomen habuit in vita sanctitatis, eiusque apud Gregorium cum alibi sępè, tum lib. III. Francor. histor. c. XIX. perhonorifica mentio. *Erat tunc,* (inquit Beatus Gregorius) *apud vrbem Lingonicam magnus Dei sacerdos, signis & virtutibus clarus.* Ita sanè: pro eo namque colit eum ecclesia IV. Ianuarij. Vixit sub Theodorico Clodouei F. Interfuisse scribitur Epaunensi, Aruernensi, & III. Aurelianensi Synodis. Porrò LINGONES in Vogesi olim extrema versus Sequanos finitimosque Leucos se porrigebant, Mosę quoque fontibus cele- S. Gregorius Lingonũ Episcopus. Lingones.

O 3 bres.

bres. *Cæsar. IV. bell. Gall.* & statiuis Romanorum, quæ adposita illorum custodiæ, vnde & Lucanus.

Castraque quæ Vogesi curuam super ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Episcopus Lingonũ Par. Franciæ.

Est etiamnum in Gallijs Lingonum, qui vulgo *Langres*, clarissimum nomen ob Episcopi dignitatem eminentem in regno, vt qui inter XII. Franciæ PARES Ducis titulo censetur. *Til. lib. 2. Mercator Tab. Gall.*

Gregorij anni vitæ.

TRIGINTA ET GEMINOS.] Nil potuit disertiùs. Accuratè igitur hinc putat Baronius anno Domini D. IX. creatum antistitem, siquidem eodem Concilium Epaunense frequentasse reperitur, rursumque D. XLI. mortali vitæ donatum, quo postremùm Aruerni synodo episcoporum affuit, inter quæ duo nempè concilia totidem anni, quot eius episcopatui tribuuntur, interfluxerunt.

III.

Tetrici Lingonensis Episcopi sanctitas.

TETRICVS itaque huius Gregorij successor quando sedem inierit, ex ista iam chronologia liquet, annisque, quibus præfuit, accrescentibus, facilis ostenditur ad eius discessum via: rexit enim Lingonicam, vt hic Fortunatus ait, annis circiter triginta tribus; desijt ergo ad annum Domini DLXXIV. esse in humanis. Locum autem inter episcopos obtinuit, qui vita innocenter acta gloriam æquauêre cœlo. Sanciuit acta synodi v. Aurelianensis ann. DLII. Post mortem non in supplicibus adiutandis, quam vindicandis improbis, apud Dei maiestatem pollentior: cuius rei id memorabile narrat exemplum Gregorius PAPPOLVM *nactus erat successorem, parum bonæ rei ac frugis episcopum. Huic per quietem sese offerens vultu minaci Tetricus: quid tu,* inquit, *hic Pappole? vt quid sedem meam polluis? vt quid ecclesiam peruadis? vt quid oues olim mihi creditas sic dispergis? Apage ilico istinc, hacque relicta sede iam longiùs te proripe. Dixerat; & simul ictu valido pedum seu virgam pectori iacentis incutit; ad cuius sensum plaga Pappolus euigilans cum rei admiratione noua quid esset obstupescit simul eo se loco defixum, & dolore cruciari maximo animaduertit. Cuius etiam doloris magnitudine triduo post, reiecto sanguine, expirauit.*

Pappolum successorem mortuus vlciscitur.

SOLEM

IV.

SOLEM hunc accendam, si B. GALLI Aruernorum episcopi Galliis omnibus totaque Europa celeberrimi nomen illustrare aggrediar. Extant eius acta IV. Tom. Surij numeratur XXVII. inter Aruernos antistites; & prolixè apud Greg. Turon. præsertim in Patrum actis c. VI & ad annum DLXXIII. à Baronio laudatur, qui & hoc præsens epitaphium annalibus suis intexuit. S. Gallus Aruernorum episcopus.

NOBILIS IN TERRIS.] Magno vtique bonoque genere. Nam & senatoria familia patre GREGORIO & matre LEVCADIA; genus trahebat à VECTIO EPAGATO, Lugduni olim non minus martyrij laude, quam maiorum imaginibus claro. *Greg. cit. c. III. Euseb. Eccl. hist. lib. V. C. I.* S. Galli genus.

QVI MONACHVM REGERET.] Fuit isti monasterio, in quo rudimenta perfectioris vitæ posuit, CRÆMONÆ nomen, VI. ab Aruernorum vrbe milliario. Cremonæ monachus.

QVINTIANO DEMVM.] Aruernorum is magna sanctitate morum fuit Episcopus. *Greg. Franc. hist. lib. IV. C. V.* Quintiani Aruernorum Episcopi discipulus.

INDE PALATINAM.] Treuiros ob affluentes alios atq; alios barbarorum populos pronis in solitudinem ecclesijs, cleri supplementa Theodoricus Rex ex Aruernis miserat. In his NICETIVS erat, & GALLVS, qui tamen in aula regis aliquantisper retentus: donec subinde in Treuirorum Agrippinensiumque senta rursus idololatria & errorum lolijs arua impetu facto, haud pœnitendos in horreum Domini gentilium manipulos intulit. Gallus Treuirorum & Agrippinensium Apostolus.

PRÆSCIVIT DONA FVTVRI.] Cùm ex alijs, teste Gregorio, tum ex hac præcipuè re Vaticinij laudem meritus, quod suis clarè prædixit, se superstite, Aruernorum neminem inguinaria lue, quod malum tunc orbem diuexabat, periturum. Propheta.

ECCLESIAM REGIT IN QVINQVENNIA QVINQVE.] Discrepat à Fortunato Gregorius in annis duobus: nam eius episcopæ tribuit septem & viginti, nisi quis casus interuenerit, quo ne illo biennio sedisse à Fortunato rectè tradatur. Quamdiu sederit.

BIS TERDENA TAMEN.] Exprimuntur anni vitæ, in quo rursum illi cum Gregorio dissensio. Verba Gregorij sunt. *Transiit autem*

natus

ætatis suæ anno sexagesimo quinto; quem interpretantur CHRISTI DLXXIII. at ex lustris, siue bis terdenis annis, (sic enim LVSTRI nomen hic vsurpatur) anni modo conficiuntur sexaginta, vt probabile sit vtrobique numerum ἀόριστον pro definito esse positum: nam in Galli annis, patrueli Gregorio de patruo scribenti, equidem magis auscultandum, arbitror.

V.

Ruritiorũ nobilium Lemouici præsulum epitaphia.

TITVLVM mutauimus admonitu veterum exempl. RVRITIOS exprimentes numero multitudinis. Vterque verò diuersâ, non eâdem omnino ætate, floruerunt. Senior, qui auus hic dicitur, coæuus fuit C. Solij Sidonij, qui suis aliquot eum epistolis, liberalium disciplinarum sacrarumque studijs deditum & eloquentiæ laudibus prestantem, descripsit. Libro namque VIII. epist. X. cùm impensiùs se laudatum Sidonius, tum recens factus episcopus à Ruritio commeminit. *Stylum*, inquit, *vestrum quanta comitetur vel flamma sensuum, vel vnda sermonum, liberius assererem, nisi dum me laudare non parum studes, laudari primum te vetares.* Et rursum. *Quin potius supplicando nostris medere languoribus, neque per decipulam malè blandientis eloquij, ægrotantis adhuc animæ fragilitatem gloriæ falsæ pondere premas.* Exquisiti certè pretij thesaurus est, quem clarissimus IC. Henricus Canisius antiquarum lectionum exprompsit; in quarum V. Tomo gratulabar, Senioris Roricij me rediuiuam cernere imaginem. Sanè epistolis duabus primi libri, nempe VIII. & IX. Sidonij se æqualem fuisse, imo discipulum scribit, antequam á pascuis sæculi, ad caulas fuisset dominicas errans ouis reportata. Et lib. II. XXV. Apollinari Sidonij filio inscripta, eundem Sollij nomine, domnum patremq; communem salutat, questus de obscuritate dictorum patris. Quid enim iustius, inquit, quam, vt ipse sis paterni interpres eloquij, qui vniuersa, quæ ille conscripsit, non tam de codicis membrana, quam de cordis potes pagina proferre; cuius vos esse filios, non solum generositate prosapiæ, verum & eloquentiæ flore, & omni virtutum genere comprobatis. Itaque huic Roricio parilis æuo & amicitia Sidonius. Extat apud eundem Sidonium Epithalamium, quod huic Ruricio & Ibe-

Ruricius senior.

& Iberiæ nobilissimæ coniugi dicatum, interpretor. *Iberia* autem patrem habuit clarissimum virum Ommatium, de quo canit Apollinaris.

——— dum festa parat celeberrima Gallis,
Qua socer Ommatius maiorum maior auorum,
Patriciaque nepos gentis nata, generoque
Excolit auspicius faustis.

Idem attestari liceat ex epistolis Roricij, quæ ad Ommatium extant duę, quem ad cœlibatum, imo ad sacerdotium quoq; traduxisse tandem videtur. Nam XVIII. lib. I. quia animum iam tum Deo dicatum habebat Ommatius, monet; ne stiuam tenens contra domini sententiam retrospiciat, vt directum lineæ sulcus amittat. XXVII. libr. II. vbi ad amicitiæ piam integritatem & constantiam eum exstimulat. *Quod si*, inquit, *amicus relinquendus non est, quanto magis pater, qui erudijt, qui nutriuit, qui ad sacerdotium vsque perduxit; cui fortasse etiam, iuxta diuinam misericordiam, lucis istius debetur vsura?* Quæ quidem oratio, etsi ad Ommatium filium forte, ex Iberia susceptum, trahi possit, ad socerum tamen ego retulero, quia se vt veterem amicum illi hærere, & nouo haud postponendum, contendit. deinde si à natura pater, haud dubiè lucis vsura ipsi in acceptis erat ferenda. Sed huius, quicquid sit, Ommatij propinquitatem satis ei conciliamus. Animaduerto in Lemouiceno ecclesiæ præsulum catalogo, quem Demochares in lucem dedit, Ruricios seniorem & iuniorem, proximo interuallo iungi, semel Rusticorum, iterum hoc proprio suo nomine, sed eosdem vbique, nec discriminandos.

Iunior autem, qui hic nepos maioris, ad an. DXLI. in episcopatu Lemouicino sedit, quando Aruernis synodus illa iam sæpius nobis memorata coijt. Vterque amplissimis pro Christo patrimonijs relictis, abdicato sæculo, in ordinem cleri se volens redegit; ANICIANIQVE generis propriam pietatem & munificentiam tanto temporis interuallo retulit. Est autem LEMOVICVM vrbs, quæ hodie LIMOGES, prouincialis Archiepiscopo Bituricensi, in Aquitania I. haud longè à Vigennæ riui fontibus. Ruritius iunior. Lemouicū

QVIBVS ANNICIORVM.] Multa posteritas doctissimo Cardinali

 dinali

dinali Baronio debebit, qui cũ innumerabilia antiqua ſepulta, vetuſtas quæ fecerat, in vitã reduxit, eaque re ſacram hiſtoriam maiorem in modum illuſtrauit; tum hanc ANICIORVM clariſſimam Chriſtianamque proſapiam litteris etiam ſuis ornauit. de cuius item ſtirpis capite, cum conſulatum vrbis gentium dominæ gereret, gloriatur Prudentius. lib. I. aduerſus Symmachum, faſces ſubmiſiſſe Chriſto.

Annicio-rum Pro-ſapia.

Fertur enim ante alios generoſus ANICIVS *vrbis*
Illuſtraſſe caput &c.

Et B. Hieron. epiſ. VIII. *Nunc mihi* PROBORVM *&* OLYBRIORVM *clara repetenda ſunt nomina, & illuſtre* ANICII *ſanguinis genus, in quo aut nullus, aut rarus eſt, qui non meruerit conſulatum.* Similia B. Ambroſius epiſt. LXXXIV. ad DEMETRIADEM *Aniciorum ſanguinis virginem*, & Notæ Petri Nannij in eam epiſtolam, itemque Baronij ad XXXI. Maij, de CANTIANIS Aquilæi claris.

ACTV. MENTE. GRADV.

Perierant huius verſiculi cœſa interualla, cum corruptè legeretur.
Accumulante gradu.

VI.

Exotius Ruritij ſucceſſor.

EXOTIVM aut ESOCIVM iunioris Ruritij ſucceſſorem, vti reor Fortunato debemus. Magna fuiſſe morum præſtantia indicat; & ei cum vrbis Lemouicinæ magiſtratu parum aliquando conueniſſe; eaque re docet pertuliſſe aut voraſſe potius multorum iniurias: Fontem harum iniuriarum aperit Gregor. lib. VI. c. XII & XXII. bellum ciuile, quod inter Guntramum regem & Childericum fratres nuper exarſerat, cum Childebertum nepotem paternis exuere poſſeſſionibus ambo contenderent. Illius belli fax Lemouices etiam attigit, quorum Comes Terentiolus loco pulſus, magiſtratu ceſſit; impoſituſque Nonnichius tyrannus, qui, quo eſſet in epiſcopos animo, Charterius Petragoricum antiſtes expertus eſt, quem delatorum criminationibus oppreſſum, coram Chilperico rege, maieſtatis cauſſam dicere coëgit: ſed corruente accuſatione, epiſcopus abſolutus eſt. Nonnichius bimeſtre, non amplius, ſuperſtes, inde percuſſus interijt.

Iactatus ciuili bello

Charterius Petragoricum antiſtes.

SPES

SPES CONSVLAT.] Magnum aduersus pastorem suum populus desiderium ostenderat, ita vt, si res ferret, suam cum episcopi vita salutem pacisci cuperet. Id tamen desiderium, poëta ait, hac facile spe leniri, quod viuere iam illum adhuc meritis suis nossent in cœlis, pro quo mori optarent, vt diutius ille viueret. CONSVLAT, itaque hic rarissimo significatu, idem est, quod *consoletur*, retinetque notionem alibi ferme perpetuo. vnde & 26. poëm. in VILITHVTA *Consultum* dixit pro Solatio.

VII.

CHALACTERICVS anno Christi DLIX. concilio Parisiensi interfuit vna cum B. Germano. Sedes eius in Francia, CARNVTVM, vulgo *Chartres*, Ligerim inter & Sequanum clarum est oppidum, ad Auduram metropoli subiectum Senonensi. eius ditio olim pagus vocata CARNOTENVS, vt in exemplo fœderis inter Childebertum & Guntramum reges legitur apud Greg. libr. IX. c. XX. Nec Chalacterici vsquam temere memoria extat illustrior, quā in hoc epitaphio. In catalogo apud Democharem, dicitur S. Caletricus, vbi & interfuisse meminit Concil. Turonensi II. & Parisiensi. I.

Chalactericus Carnutensis episcopus.

SEX QVI LVSTRA GERENS.] In ambiguo relinquit, de episcopatus an ætatis tempore anni capiendi, de isto malim; etsi sententia ætatem magis exprimat.

VIII.

DIv quæsita mihi CHRONOPII excellentis episcopi fama, quam satis intelligere non poteram, tam relictam fuisse in obscuro, veterumque litteris destitutam. Comperiebam sane tres Petragoricum, qui propè à Pictauis & Santonibus siti in prouincia Burdegalensi, extitisse per hæc tempora illustri nomine episcopos, nec in ijs Chronopium inueniebam: quæ res mihi curā exaugebat. Gnarus interea poëmatum epigraphas haud fallere, eum deniq; fructum inuestigationis retuli, vt prorsus mihi liqueret, quantum in re historica, subductis rationibus & annis, Chronopium hunc Petragorici sedisse & ante Charterium quidem illū, quem dixi, & Saffarium, qui anno XIV. Childeberti, vel Christi circiter DXCIII. floruit

Chronopius.

Saffarius

ruit. *Greg. lib. IX. C. XLI.* Tertium, qui ſupererat, ad ſuperiora relegandum tempora, apertis mihi indicijs conſtabat. Ergo poſt Chriſtum anni CCCC finem & initia ſequentis Chronopio danda, ſtetit. Et quia præter nobilitatem generis illi poëta tribuit, quod in ordinem ſacerdotum, eccleſiæ veteris more vſitatiſſimo, ex caſto coniugio celebs vterque eius parens, id eſt auus & pater fuerit cooptatus; omnino Pegaſium illum nota virtute ac integritate pontificem, vel auum ei fuiſſe, vel patrem, interpreter, qui tertius ille Petragoricus antiſtes extiterit. de quo apud Gregor. lib. II. c. XIII. Paulinus cuius ætate vixit. *Si enim hos*, inquit, *videas dignos domino ſacerdotes, vel* EXVPERIVM *Toloſæ, vel* SIMPICIVM *Viennæ &c. vel nunc* PEGASIVM *Petragoriis, vtcunque ſe habent ſæculi mala, videbis profectò digniſſimos fidei religioniſque cuſtodes.* Atque ita Pontificatus illius ſanctitas velut hereditate in Chronopij familiam tranſfuſa ad ipſum quoque peruenit. Nequis autem ſine teſte me tam vetera de Chronopij ætate loqui putet, primum omnium inuenio eum concilio Aurelianenſi I. quod Clodoueo rege, à XXXIII. epiſcopis, celebratum eſt interfuiſſe. Iterum vt ad XXII. Childeberti, id eſt Chriſti DXXV. ætatem extendiſſe ne dubites, Aurelianenſi etiam II. affuiſſe reperies Tom. II. concil. Nec dubitem huic Chronopio epiſtolam eam adſcribere, quæ lib. II. numero ſexta apud Ruricium legitur, qua leuis etiam diſſenſionis damnato ſtudio, pro diœceſi Gemiliacenſi presbyterum ad eum legatum mittit. Ceterum vita Chronopio, ne res abeſſet à nomine vt apparet, contigit longæua, ſiquidem annis LXXX. Fortunato teſte, vixit.

Pegaſius Petragoriorum Epiſcopus.

Chronopij genus & ætas.

IMPLESTI PROPRIIS.] Hæc ipſa ciuium & templorum damna refero ad Gothorum iniurias & hoſtiles irruptiones, quibus Catholicum nomen mire exagitabant olim ipſi, dum Aquitaniam vicinaque loca tyrannide premebant. Teſtis B. Sidonius multifariam, ſed quod ad præſentem locum, maximè lib. VII. Epiſt. VI. ad Baſilium, vbi cum EVARICIS Gothorum regis in Catholicos hoſtilem animum memorat. *Burdegala, Petragorij*, inquit, *Ruteni, Lemouices, Gabalitani, Heluſani, Vaſates, Conuenæ, Auſcenſes, multoque iam maior numerus ciuitatum, ſummis ſacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec vllis deinceps epiſcopis in defunctorum officia, ſuffectis per quos vtique*

Aquitaniæ Eccleſiæ quid à Gothis paſſæ.

vtique minorum ordinum ministeria subrogabantur, latum spiritalis ruina limitem traxit. & mox: *Videas in ecclesiis, aut putres culminum lapsus aut valuarum cardinibus auulsis basilicarum aditus hispidorum veprium fruticibus obstructos.*

IX. X.

DVos habuit Burdegalis LEONTII nomine pręcellentes episcopos, quibus hæc epithaphia Fortunatus inscripsit. Iuniorem, quem iam hic sequentis seu posterioris vocabulo notat, vbertim libro primo descripsit. Anteriorem autem appellat alterum, quod ætate anteiſſet: quare nec Sidonio Apollinari incognitus *lib. VI. Epist. III. lib. VII. Epist. VI.* Vtriusque profectò magna generis nobilitas, & apud populares auctoritas, &, quod vtrumque superat, eximia fuit vitæ integritas. Leontius iunior Burdegalensis episcopus.

PRINCIPIBVS CARVS]qui inclinante imperio cum Gothis in Gallia dubium certamen habuerunt. Constat enim Valentinianum, Anthemium, Auitum Impp. tantum episcopis, quorum aliquod præsertim esset, in Gallia nomen, indulsisse, vt, quod Sidonius apertè loquitur, per ipsos plerumque legationes ad barbaros mearent, ipsisque primùm non solum tractata pax referaretur, verum etiam tractanda committeretur. Hinc ad Basilium episcopum scribens, de Leontio eiusque collegis nominatim dixit. *Per vos mala fœderum currunt, per vos regni vtriusque pacta conditionesque portantur. Agite quatenus hæc sit amicitia, concordia principalis, vt episcopali ordinatione permissa, populos Galliarum, quos limes Gothicæ sortis incluserit, teneamus ex fide, etsi non tenemus ex fœdere.* Ceterum ex his epicedijs pleraque à vulgatis aberant, quæ locis hic suis restituimus. Leontius senior magnæ item autoritatis in Roman. Imp. Episcoporum dignitas & apud barbaros existimatio.

XI.

AGAVNENSIS monasterij, cuius Victorianus hic abbas, varijs in locis meminit Greg. *de glor. martyr. C. LXXV. & LXXVI. Franc. hist. lib. III. C. V. & Ado in Chron. disertissime.* Eius autor fundatorque SIGISMVNDVS fuit Burgundiæ rex. Loci successus & vicissitudines ostenduntur in B. Mauritij vita ad diem XXII. Septembris. Victorianus Agaunensis abbas.

XII.

HILARIVS presbyter honesto nobilique apud suos loco fuit. Euentia socrus, postquam morte filia decessit, vt in ordine sacerdotum Hilarium deinde venerata est, sic & defuncti memoriam piè prosecuta.

SIC FVRIT IRA NECIS. Totus hic versus de nouo accessit.

XIII. XIV. XVII.

Archadius

SERVILIONIS, Præsidij, Archadij, vt & in 18. Basilij inter alia erant omissa in vulg. quæ tamen ope M. S. præsertim Treuirensis restituimus. Archadium autem hunc filium Archadij fuisse Aruerni senatoris, opinari, quam credere malim. Quod enim & iuuenem & senatorio ortum genere tradit, ad opinandum satis argumenti & assensionis affert. At Basilij splendidissimi viri laus ab eo lib. 10. cantata. Lego apud Gregorium libr. IV. Histor. Franc. c. XL. Basilium potentem & magni nominis Pictauum ciuem affuisse Chilperico regi contra Sigebertum in bello ciuili, quo Turones & Pictauium Sigeberti imperio detracta. Hunc quippe, dum Mummulo legato, qui res repetitum venerat, collecta popularium multitudine resistere parasset, circumuentum narrat, veterani ducis astu; & ibi tum cum Syagrio alijsque ciuibus oppressum. Nomen loci, temporisque conditio suadent poëtam, fortissimum illum hic celebrare ciuem; sed vnum mortis videtur obstare genus, quo minus id audacter pronuntiem. Basilius interim, quam præstanti religione, quamque domi ac foris reipublicæ sapienter ac præclarè opera nauata vir fuerit excellens, vel ex hoc epitaphio discas, in quo Baudegundes eius quoque coniux, matrona clarissima laudatur.

Basilius apud Pictauos senator & Baudegundes coniux.

XX.

BRVMACHIO iam vxorem damus, quæ in FRIGIDA voce latuerat, hanc probatiores libri FRIGIAM, seu Phrygiam indigetabant.

XXI.

Auolus Cabillonis presbyter.

ANNO XXVI. regni Childeberti, qui Christi DXL. synodus est celebrata Aurelianensis III. vbi inter alios, qui scribendo affuêre,

affuêre, reperitur in hanc sententiam subscribens. *Auolus presbyter directus à domino meo Agricola Episcopo Ecclesia Cabillonensis, subscripsi.* Intercessisse verò cum Agricola atque familiaribus eius, intimam quandam Fortunato amicitiam ac necessitudinem, ex ijs, quæ diximus, manifestum est.

XXII.

IOANNIS ET PATRICII.] puerorum innocentum discessum luget. PATRICIVM quimulum ait, seu quadrimulum ereptum; ad Ioannem, si Fortunati vulgata lectio proba foret, in ipso matris vtero: nam hanc cum vulgo reddideramus.

Prior ille recessit in aluo?

in quo illustre suppetere monebamus Pædobaptismi documentum, & ex eodem crescere illam scholæ controuersiam, qua de applicatione materiæ Baptismi quæri solet, id est, de modo opitulandi per salutare lauacrum abstrusis in aluo, & necdum enatis infantibus. Ceterum quæstionis huius nodum sine vindice facile discussit, meliorum codicum inspectio, qui clarissimo ad intelligendum sensu, & fide ad vsum æquè probabili subijciebant hunc versum.

Lotus fonte sacro prius ille recessit in albis.

XXIII. XXIV.

IVLIANI hoc epitaphium passim in MS. & annal. Baron. Tom. VII. ad ann. DXXCV. etsi in vulgatis prætermissum. ORENTIVM verò primo libro actorum Sancti Martini inter poëtas celebrat Christianos:

Paucaque perstrinxit florente Orentius ore.

Idemne ergo is cum hoc Orentio? nihil vetat, nisi quod hic poëticæ laus suppressa, quæ, vbi minora non tacentur, forsan emicuisset.

XXV.

THEODECHILDEM, seu THEODICHILDEM florentissimam regali stirpe, regiaque sobole fœminam, & eximijs alijs ornamẽtis virtutum animi, misericordiæq; præsertim in pauperes, pietatis in Deum, Theodechildis regali sanguine fœmina.

in Deum, munificentiæ in sacrata Deo templa, adhuc quærunt historici. Ita magnis quoque nominibus vetustas & obliuio, quo, ne propagentur, intercedit. Id minimè obscurum, diuersam esse ab illa Theodechilde Opilionis filia, quæ Chariberto regi iuncta, tandem, eo defuncto, à Guntramo rege iussa est Arelatensem inire parthenona, inglorium istic æuum, vitamque sibi insuauem actura. *Greg. lib. IV. C. XXVI.* Hæc enim fœcunditate laudabili, & opibus famaque integra septuaginta quinque superstes annis, deniq; ingenti relicto sui desiderio, è vita abijt. Ceterum de gloria confessorum scribens Gregor. Theodechildem meminit in Francia rerum potitam, & solita quoque ab Aruernis tributa accepisse, quæ caussa me mouet, vt Theodorici regis fuisse coniugem statuā: adeoque Theodoberti matrem; qui adolescens regni gubernacula in Austrasia tractare cœpit. Portio verò ex Aruernis Austrasiæ reges diu secuta. *Franc. histor. lib. III. C. IX. XII. XXIII. XXV.* Optime ergo quadrat Aruernos pendendi tributi caussa inde vsque in Mediomatricum fines profectos, eiusque partem creuisse Theodechildem marito superstite.

Theodorici fortè, Mediomatricum regis vxor.

XXVI.

Vilithutæ genus.

ELEGANS hęc in paucis Fortunati elegia, varietate sententiarum, & colore quodam tincta poëtico. VILITHVTA verò illustri fuit prosapia & decore non formæ magis, quàm Christianæ virtutis pulchritudine commendata, Getici sanguinis. Hæc Parisijs nata, & ab auia optimis pietatis & religionis artibus instituta, primo ætatis flore, Dagulfo prænobili Francici generis adolescenti connubio iuncta fuit. At vix illa florentium coniugum gaudia tenuere triennium, quando, vt sunt humanæ res, ilicò auolarunt, ingenti relicto doloris aculeo: puellam quippe, quæ mater futura sperabatur, amissa prole, partus abstulit; vnaque dies funus pariter & luctum geminauit. Quia verò Christiani ex vitæ præteritæ rectè factis magnum capiunt solatij fructum, quo παραμυθίαν adhibeat Dagulfo, & in futuræ vitæ spem erigat, egregio hic schemate Christum iudicem inducit supplicia sontibus, bonisque præmia constituentem. Quod cùm G. Fabr. animaduertisset, sublata poëmatis epigra-

Educatio.

Ætas breuis.

Dagulphus coniux.

epigraphe,& multis versibus detractis, DE EXTREMO IVDICIO carmen inscripsit, serò exorsus ab illo. *Felices quos nulla grauant.*

INTORVA DE GENTE.] Sic M. S. Treuir. pro quo alij, *torua,* vitiantes ipsum versum. INTORVA autem illa gens haud dubiè GOTHI, qui Francis in Gallia iam tunc permisti, regum etiam exemplo, per mutua coniugia coalescebant. Manifestius etiam id ex eo colligitur, quod præcesserat. BARBARA PROLE, id est, progenie, ita namque prolis vocem alibi quoque vsurpat; quod de Francis haud temerè diceret. Accedit deniq; quod Vilithutam, in qua viuebat regione, etsi alias nobilem, nullis admodum affirmet floruisse propinquitatibus. Iam etiam toruitas illa Scythicis, Geticis, & Hyperboreis velut natalitia; vt merito Sollius, iam sæpè noster, in anthemio. Gothi torui.

——————— *Iacet axe sub vrsa*
Gens animis membrisque minax, ita vultibus ipsis
Infantum suus horror inest. &c.

OMNIA PRÆTEREVNT, PRÆTER AMARE DEVM.] Aureus iste versiculus, antè olim mihi, quàm autor obseruatus, cùm in sanctissimi CARTHVSIANORVM ordinis hospitali mensa vsu frequens esset pro antelogio gratiarum actionis. Porro diuini amoris æternitas, charitatis ipsius duratione æstimari potest; quæ prætereuntibus natura sua non solum caducis rebus, sed laudatissimis etiam animi ingenijque dotibus, vt magnus Apostolus loquitur, NVNQVAM EXCIDIT *ad Chorinth. I. C. XIII.* Caritas æuiterna.

RES EST VNA QVIDEM, DVPLICI SED FINDITVR ACTV.] De IGNE loqui videtur INFERNI, qui non corporum modo tortor, sed paratus etiam diabolo, & angelis eius, siue spiritibus *Matthæi XXV.* Vno itaque ictu hic geminam det plagam hæreticis. Enimuero ignem inferni damnatos verè vrere, at pios eundem, maculæ tamen haud expertes, ait probare: duplici ei functione attributa, vt ibi vindex, pœna sensibus; hic emaculans animam, sit purgatorius; quo, haud scio, quid ex vetustate clarius à quopiam, aut subtilius afferri posset. At penitus introspicienti mihi, aliud ma- Ignis inferni duplex actus

gis abditum occurrit; quod prorſus in animo fuiſſe poëtæ, dum hæc ſcripſit, nihil ambigo. Ignem quempiam ſenſilem mundi die nouiſſimo appariturum CHRISTO irato iudici, ceu pœnæ miniſtrum & exequutorem, Theologi conſentiunt omnes, in 4. diſtinct. 47. & 48. freti præcipuè B. Petri teſtimonio epiſt. II. c. III. Hinc autem elemento, quam propriè tribuant actionem, quidque relinquat operis effecti, haud inter ſe pari conſenſu ſtatuunt. Exiſtimauit Lactantius eorum, qui è mortuis reſuſcitati, nonnullos ad purum, ceu metallum ſolet, purgatum iri huius attactu flammæ, atque ita pios licet & iuſtos, ignis tamen examen illius non euaſuros. Id quod Orig. homil XIV. in Lucam probaſſe quoque viſus eſt, Affine huic quippiam ſenſiſſe tradunt Hilarium in pſalmum CXVIII. & Ambroſium in pſalmum XXXVI. qui aut Chriſti prodromum, aut comitem IGNEM agnoſcunt, ſed hactenus, vt CORRIPIAT & mox CRVCIET IMPIOS, & PROBET modo IVSTOS; id quod expreſſiſſe Dauid videtur IGNIS ANTE IPSVM PRÆCEDET, ET INFLAMMABIT IN CIRCVITV INIMICOS EIVS. *Pſalm XCIX.* Huius hic omnino ſententiæ, video, ſectatorem fuiſſe poëtam: quippe CHRISTVM, quo igne cremat indignos gratia clementiaque ſua, eodem, ait, probare pios. geminum itaque effectum vel actum, ex veteris academiæ ſententia huic igni tribuit, VRENDI ſcilicet & PROBANDI, purgationis omni mentione prǽterita: ſiquidem inter vtrunque intereſt id multo maximum, vt PVRGATIO ferme poſtulet labem vel antegreſſam maculam; PROBATIO vero ibi quoque reperiatur; vbi omnis eſt maculæ ſeu culpæ vacuitas. Ignis ergo hoc ſanè ſenſu pios verè probat, vt cum inuoluit, vnoſque corripit impios & affligit, & pios tangere metuit, claro ſui argumento, bonos quales omnino ſunt, tales eſſe redarguat. Quam acutam ſanè & huic vtique loco accomodatiſſimam expoſitionem debeo R. P. Franciſco Suarez præſtanti Theologo. cuius adi *LVII. diſputationem de aduentu iudicis.* Etſi ante eum R. P. Ioſephum Acoſtam lib. IV. de temporibus nouiſſ. de hoc eodem igne, accurate quidem diſſeruiſſe, non agam neſcius.

Ignis Chriſti iudicis prodromus.

Quę huius ignis futura ſit actio.

Probabit & vret.

Carminis venuſta cōpoſitio.

LILIA, NARCISSVS, VIOLÆ, ROSA, NARDVS, AMOMVM.]

Laudat

Laudat hoc carminis specimen venerabilis Beda ceu venustissimum & optimum, quo versus interdum nominibus, etiam proprijs perficere, interdum verbis, gratum esse ait: ex Fortunato, tum hunc ipsum, tum alios quoque versus, exempli causa, proferens. Nec, scio, an vllis à Beda prolatis iste cedat lib. III. poëm. VII.

Myrta, salix, abies, corylus, siler, vlmus, acer, nux,
Plaudit quæque suis arbor amœna comis.

Delectatum verò Fortunatum hoc orationis genere, multifariam, in proprijs hominum, animantium, arborum, florum, lapidum, fluminum nominibus, haud otiosè cum Beda obserues. Sed excellit hic profectò Sidonij Narbo.

XXVII.

EVPHRASIA claritudine generis insignis Viennæ in Gallijs matrona, cum iuncta pari splendore familiæ marito citius è vita abijsset, eum ecclesiæ Viennensis futurum aliquando Episcopum reliquit in vita. Fuit is NAMMATIVS Pantagathi successor, de quo in Chronico suo Ado Viennensis sub Childerico. *Hoc tempore* NAMMATIVS, prauè enim ibi legitur, MAMATVS, *Viennensis Ecclesiæ episcopus floruit, nobilis stemmate, sed nobilior vita & eloquio.* Magnus etiam inter alios Nammatius in Gallia fuit, qui, vt Sidonius loquitur, victoris populi (Aremorici) signa comitatus, in ora maritima contra Saxonum pandos myoparones excubauit. Dispiciant etiam eruditi, an hic sit ille Namacius, Ceauniæ illustri matronæ iunctus, quem Roricius Lemouix in epistolis suis colit & ornat.

Euphrasia Viennensis matrona.

Nammatius Viennensis episcopus.

Nammatius. Saxonum domitor.

SED ROGO PER REGEM.] Euphrasiam sanctitatis ac virtutum eius memor inuocare defunctam non dubitat, eamque cœli incolam sibi conciliare precibus adiutricem.

CLAVE PETRI.] Piè id dixit. pro CLAVE REGNI COELORVM; quomodo in animarum commendatione rogari solet, *vt suscipiat eam* BEATVS PETRVS APOSTOLVS, *cui à Deo claues regni cœlestis traditæ sunt.* Etsi & hoc significasse non malè conijcias, vt Euphrasiæ patrocinio criminum condonatio ante mortem

B. Petri claues.

ei contingeret, quæ non sine CLAVIVM VSV à PETRO tanquam capite fluit. Atque sic religiosâ loquendi forma, dicantur CLAVE B. PETRI claudi, qui impetrato in hac vita à sacerdotibus absolutionis beneficio, hinc confessione abeunt ritè expiati.

XXVIII.

EVSEBIÆ virgunculæ decennali EVSEBIO adolescenti desponsæ epitaphio scripto hunc claudit librum, quem sublatis plurimis hac etiam posteriore collatione mendis, & nouis additis versibus expolijsse, diuidiæ non fuit, modo priorem operam secuta sedulitas tantum subleuet.




AD



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI LIB. V.

I.



ACEPHALVS hic erat liber, epistola omissa, quæ est ad B. MARTINVM GALLICIÆ APOSTOLVM scripta. Stylus epistolę insolenti constat verborum traiectu, & distorti sermonis ambitiosa affectatione horret. Ita namque tulit horum conditio temporum; vt amisso prisci sermonis semel colore, & florescentis maiorum eloquentiæ lætitia repressa, vitiosa imitatione, & in breuitate posteri quærerent acumen, & in laciniosо verborum ambitu copiam & nitorem. Ita & hic præceps hyperbatis Fortunatus, dum per aspera scandit liberius, anhelus & hians, sero redditur animo lectoris.

POST DVCEM PAVLVM PRIMIPILO.] B. Paulo primordia deberi conuersionis Hispaniarum satis omnium veterum illorum PP. litteris exploratum est, qui S. Paulum Romæ laxatum vinculis, inde in Hispaniam profectum asserunt. Discussit eam rem accuratè Tom. I. annal. circa Domini annum LXI. Clarissimus Baronius. & quia ex vetustioribus Latinis vnus B. Hieronymus promitur, & magnus Gregorius, accedere ad illos iam quoq; Fortunatus debet, qui B. PAVLVM, recepta suo tunc sæculo opinione, ILLATI IN HISPANIAS DVCEM appellat EVANGELII. Ceterum MARTINVS hic, cur ei primipilus, ipse mox aperiet. Primipili vero centurionis, & eius, qui πρῶτος ἐν δόγματι, spectata militiæ officia. S. Lupum Tricassinum Sidonius lib. VI. epist. I. nuncupat. Vtriusque sanctorum ordinis conclamatissimum Primipilarem.

B. Paulus Hispaniarum Apostolus.

SABVRRANS.] Treuir. MS. glossema in margine, SPIRANS ODOREM, cum alioqui librandi notionem ista vox afferat. Vsurpauit enim Plinius in Echinis, & Solinus in gruibus.

Parad. sus Dei homo ipse.

IPSE VIR FACTVS PARADISVS.] Notum id Ethicon Dei seruis; scilicet tunc hominem ipsum velut euadere paradisum, & hortum Christi sponsi delitiosum, quando actuosa ac viuaci fide inambulantis in se redemptoris adhæsura vestigia caritatis mutuæ tanquam retinaculo cohibet. Vnde creatura suo inhærens creatori, sic eius catenata figitur dulcedine, vt ne pij conditoris momentum præsentia vsquam elabatur. Atque hic prorsus istud verum est dictum. DILECTVS MEVS MIHI, ET EGO ILLI, QVI PASCITVR INTER LILIA &c. *Cant*. II.

ALVMEN.] Salsugo terrę per antithesin litterarum munus commendat à B. Martino ad se transmissum, aluminis vim contendens cum fructu caritatis.

COLÆ PAMPINOSÆ.] Treuirens. Gloss. *cola, id est, crescentia.* Est apud Varronem de re rustica libr. I. c. XXXI. *colis pro tenero in vite ramusculo*, quem vsum, vt procemio libr. I. sic item hoc loco retinet.

APOSTOLICÆ CORONÆ VESTRÆ PLANTAS SVPRA MEVM PECTVS STRATVS IMPONENS.] En tibi reuerentiæ & venerationis admirandæ erga Martinum Galliciæ Apostolum & Christi sacerdotem, exemplique rarissimi specimen! Quæ tempora, Christe, iam viuimus? impunè sacerdotum coronæ non illudit, sed victrix insultat improbitas. Ceterum CORONA, etsi à rasione capitis & tonsuræ modo, qui clericorum vertici adhibitus, profluat, vsus tamen impetrauit vt sacrosanctum aliquid & ἀξιοτιμότατον in sacerdotibus episcopisue notaret. Quomodo prisci Christiani obsecrantes, si quid enixiùs à Christi sacerdotibus flagitarent, per CORONAM eius obtestari solent. Huius moris documenta passim complura, tum illud Sidonij lib. VII. epist. VIII. *De minimis videlicet rebus* CORONAM *tuam, maximisque consulerem* loquitur Euphronio Augustodunensi episcopo, cuius inter sanctos nomen extat III. Non Augusti. Sed longè præclarius illud est B. Augustini ad Proculeianum episcopum. epist. CXLVII. *Honorant nos*

Corona sacerdotalis quam priscis sancta.

vestri

vestri, honorant vos vestri. Per CORONAM *nostram nos adiurant vestri,per* CORONAM *vestram vos adiurant nostri.* Attigit hunc locum Cl. Baronius,annal. Eccles. Tom. I. ad annum LVIII.

EST ENIM RATIO CONSEQVENS.] Historiam hanc prolixè exequitur Gregor. Turon. mirac. Sancti Martini. libr. I. c. XI. vbi & huius MARTINI aduentum in Galliciam exponit, & reliquias B. Martini ab eo in Hispaniam importatas ostendit, quas Turonibus olim extulerat. Meminit & gestæ rei v. lib. Franc. hist. c. XXXVII. Cernere autem hic est, quãta maiorum extiterit aduersus sanctos in cœlo degentes obseruantia & religio, quamque impensè optarent ipsi precibus eorum patrocinijsque fulciri, alijs etiam hic in terris sibi paratis tanquam Mesitis, & apud sanctos intercessoribus.

TAM ORATIONE QVAM CARMINE TE DOCTORE RECI.] Fuit enim Martinus Galliciæ pangendorum versuum haud inscius, id quod Gregor. Turon. de ipso testatur. *Versiculos,* inquit, *qui super ostium sunt à parte meridiana in Basilica S. Martini, ipse composuit histor. lib.* V. C. XXXVII.

II.

CHARISTICON hoc poëma scriptum est Martino Galliciæ episcopo, quo tum ipsi autori, tum vniuerso regno gratulatur admirabilem illam THEODOMIRI REGIS SVEVORVM CONVERSIONEM, quæ miraculo reliquiarum S. Martini, & singulari huius episcopi cum vitę sanctitate, tum sapiẽtia rerum diuinarum accidit. Quippe Arrianismi inueteratum genti errorem, Deo iuuante, sic Rex ille posuit, vt cum vniuersa gente in ecclesiæ Catholicę gremium, applaudente, qua patet, orbe Christiano, rediret. Huius conuersionis acta, quia ex Gregor. Turon. vbertim Baronius ad ann. DLXI. prosecutus est, vnum ego locum, ex Isidori Chronico Sueuorum, in medium afferam, quo pręsens hoc meum argumentum illustrem. *Post multos deinde reges,* inquit, *regnum Sueuorũ suscipit Theodomirus; qui fidẽ catholicã adeptus, Arrianæ impietatis errore destructo, Suenos vnitati fidei reddidit.* Sed quid de tãti post Deum boni fonte? Accipe corollã Isidori. *Huius tẽpore Martinus Dumiensis*

S. Martinus Galliciæ apostolus.

Sueuorum in Hispania per illum conuersio.

monaste

monasterij episcopus, fide & scientia claruit, cuius studio pax ecclesia reddita est, & multa monasteria condita. Porrò diem obijsse hunc Martinum anno. v. Childeberti iunioris, Gregorius loco citato prodidit, Christi circiter DXXCIII. quo etiam anno Baronius hoc poëma ceu decus annalibus addidit, sed ijs refertum mendis, queis Calaritanum exemplar abundat, id est maximis, & licentia quoque deprauandi, quæsitis.

VNA TRIADES.] Germana hæc lectio poëtæ. Prior illa. VNA TRIADOS, sententiā exquirere subtiliorem coëgerat. Hoc igitur iam dicere eum scimus. Deus vnus, trinusque cum per Apostolos fidei lumen orbe toto diffunderet &c. Est autem vocis hæc compositio, peregrina licet, Fortunato tamen familiaris; nam vt ei libr. x. ἐκ τῦ μονάς, factum μονάδης: sic itidem hic ex Trias, Triades, seu Τριάδης: habuit itaque rationem hic Græci vt nominis, sic & accentus.

PRINCIPIS EGREGII.] De Apostolorum prouincijs, quas inter se sortiti mox obiêre, & quas quisque in oras finesue orbis terrarum post diuisionem abierit, nihil hic discepto, quod locos ingredi communes, neque instituti mei ratio permittat, neque operis sit à me suscepti. Leuarunt etiam me & hausere iam olim hunc laborem eruditæ R. P. Nicolai Serarij positiones Wirceburgi anno M. D. XXCIV. in lucem datæ. Nec diligentiam quoque Baronij Cardinalis is labor effugit.

PERSIDIS.] Hoc poëtæ in ista voce familiare, vt accentum περσίδος vbique captet.

Martinus hic item Pannonia oriundus.

VENIENS E PARTE QVIRITIS.] Sic omnes antiqui libri. Vocat autem eam Pannoniæ regionem, vnde Martinus hic aduenerat, PARTEM QVIRITVM, quia, vt reor, adhuc orienti contributa, imperatoribus Romanis ea prouincia parebat. Etsi enim Pannoniæ maxima pars ab Alemanis, Sueuis ac Longobardis peruasa, insessaque ex Eugippio vitæ S. Seuerini scriptore & Pauli historia doceri potest; manserūt tamē hoc etiā procedente sæculo Pannoniarū haud pauca loca in ditione Iustiniani imperatoris, quæ Vigilius Pontifex Romanᵘ à Iustinianę primę Metropolitano ius petere ecclesiasticū voluit. *Authen. de Eccl. tit. col. IX. tit. XIV. nouell. CXXXI.*

GALL.

GALLI SVEBA SALVS.] hic Calar. & Baron. *Gallica vera*, legunt. sed perierit historiæ gustus, si ad illam lectionem transeamus. In hanc vero nostram exemplaria vetera palam conspirabant. In Treuirensi quoque diphthongus retenta *Suaba*, quæ adhuc alliubi pronunciatio manet. Vox autem hæc aptè ex gentis & loci appellatione coaluit; inusitata quidem forma, sed valido significatu. Nam Galliciæ incolis tum Sueuis salutem Martinus peperit. Galli suebi

IN RAMIS HERESIS.] Libenter in hoc & similibus Prudentium æmulatur psychom.

Discordia dicor cognomento Heresis.

& iterum.

Ruptis heresis perit horrida membris.

In Hamartig.

Hanc heresin præsaga patris præuiderat olim

Maiestas fore:

DIREXIT VINITOR ANTES.] Possuntne comparari illa vulgata cum hoc? mendose namque & de industria illic, *Rebus apostolicis orantes viuere monstrat*. similis corruptela in eo, quod præcesserat. NON PERIT VVA LACV; pro quo vulg. *Non peritura latet, patet*. sed vt istic exorsus, ita hic perstitit in metaphora vitea, cuius quidem metaphoræ venustatem ea lectio deterit. Et respexisse quoque Vergilianum illud videtur. *Georg. 2.*

Iam canit effætos extremus vinitor antes.

Etsi enim ANTES eminentiora quæque saxa dicantur, vel columnę vltimę, quibus fabrica sustinetur: Seruio sunt tamen extremi vinearum ordines, aut maceriæ, quibus vineta clauduntur.

POSTE PATENTE PETRI.] Sic Colon. & Treuir. cum in vulg. & Baron. *Postulet ante Petrus*; sed alienissimo sensu. Sollenne autem Fortunato, magnopere in PETRO venerari summam potestatem: illudque sacrosanctum, quod veteres ei tribuunt, IANITORIS COELESTIS MVNVS, vt alibi, ita & hic deprædicat. POSTEM itaque PETRI, notissimo tropo, dicit ianuam cæli. cuius cludendæ & reserandæ ius penes B. Petrum, eiusque successores. Vnde libenter Ecclesia illud vsurpat Elpis poëtriæ carmen. B. Petri ianua.

Ianitor cœli &c.
Iam bone pastor PETRE *Clemens accipe*
Vota precantum, & peccati vincula
Resolue, tibi potestate tradita,
Qua cunctis COELVM *verbo* CLAVDIS, APERIS.

B. Cæsarij regula.

REGVLA CÆSARII] De B. CÆSARIO accurata & fideli narratione Cyprianus eius discipulus egit. Legitur apud Surium XXVII. Augusti. Monasticen sub PORCARIO Abbate Lirinensi didicit. Postea cum Arelate Pomerium Afrum Rhetoricæ studijs florentem audijsset, doctrinaque sacrarum litterarum egregie animum imbuisset, ad ecclesiæ demum Arelatensis gubernaculum admotus, præclaris virtutum ornamentis sedem eam illustrauit, & circa annum Christi CCCCLIII. Arelatensi III. synodo præsedit. Quod vero ad eius regulam, cuius non semel Fortunatus meminit, hic Arelate descriptam afferri, seruarique sanctimonialibus Pictauiensibus expetit. Nam quod vitiose editum erat:

Atque adscita sibi seruetur in vrbe genesis.

id ita emendatum carmen legitur.

Atque adscita sibi seruetur ab vrbe GenesI

quæ vrbs Arelate, vbi nobile patrocinium & stadium martyris Genesij, cuius XXV. Sextilis recurrit anniuersarius. Ceterum regula hæc, an formula certa viuendi Cæsariæ sorori ab ipso Cæsario antistite præscripta, an, quod magis probes, legum monsticarum certa fuerit quædam comprehensio, cuius in posteros disciplina abierit, ambigi video. Sorori in Parthenone ab se constituto Cæsarium leges tationemque viuendi reliquisse, quam exemplo in Agnæ & Rhadegunde familiam poëta deriuari cuperet, liquere existimo. Et Fortunatus id apertè profiteri videtur, cum lib. 8. c. 4. de Rhadegunde sua canit.

Cæsarij lambit regula quicquid habet.

Neque etiam immerito putes Tritthemium à Baronio, tom. VI. annal. ad ann. 494. reprehensum, qui S. Cæsarium & complures alios ex Lirinensi schola præstantes viros, velut obtorto collo traxerit in suæ familiæ sectam. Itaque regulam hanc vtramuis in partem accipias, à S. Benedicti quidem institutis discrepantem, ar-

tem arbitror equidem cum ipso Cæsario ex lirinensi gymnasio profectam; quæ si legum certis capitibus olim descripta fuit, eam obsoleuisse, dies ipsa docet, & illius ignoratus vsus: etsi annalium Ecclesiasticorum scriptori hanc videam esse mentem, vt S. Cæsarij constitutiones, velit in diui Benedicti instituta migrasse & in huius regulam, vt riuum in flumen deriuatas, sicut & ipsum Lirinense cœnobium S. Benedicti familiæ tandem cessit; id quod procliuem assensionem meretur, in tanta similitudine, & asceticarum legum magna inter se cognatione. Verum Lirinensibus normam fuisse peculiarem, C. Sollius Sidonius, lib. VII. luculente testatur, epistola XVII. qua Volusianum hortatur, vt Auernense S. Cyrici monasterium, Abrahæ antistitis morte perculsum suscipiat, *fluctuantemque regulam fratrum destitutorum*, sic propriè vir latialis, in re monastica loquitur, *secundum statuta Lirinensium patrum, vel Grinincensium, festinus informet.* quem locum apud eruditum Sollij interpretem consule.

DE SORTE LIRINI.] Disciplinæ monasticæ gymnasium ne sæculo quidem Christi quarto etsi barbarorum cladibus infœlicissimo, in Gallia refrixit; quin adeò viros omnibus perfectę vitę numeris absolutissimos & diuina sapiētia perpolitos, quam plurimos tulit. Horum vero plerique ex INSVLA LIRINENSI tanquam colonia quapiam propagati, Galliam vniuersam magnitudine exempli impleuerunt. LIRINVS aūt insula in ea Galliæ parte est, quę prouincia dicitur, contra antipolin oppidum mari mediterraneo adiacens. Hic florentissimum cultu prisco stabat monasterium, quod Sidonius epist. III. lib. IX. PALÆSTRAM CONGREGATIONIS HEREMITIDIS, ET SENATVM APPELLAVIT LIRINENSIVM CELLVLANORVM. Ex hoc prodiêre Principius Suessionum, Lupus Tricassinorum cui C. Sollius gratulatur desudatas militiæ Lirinensis excubias, Honoratus, Hilarius: & scriptis in ecclesia nobiles Eucherius Lugdunensis, Vincentius Lirinensis, ceterique, quos apud Gennadium, qui volet, reperire potest. Longum enim sit, si cum Sidonio hic ego memorem.

Lirinensis monasterij & Lirinensium cœnobitarum encomion.

——— *quantos illa insula plana*
Miserit in cælum montes. quæ sancta CAPRASI
Vita senis, iuuenisque LVPI, *quæ gratia patrem*
Mansit HONORATVM, *fuerit quis* MAXIMVS *ille*
&c.

Hæc ille ad Faustum Reiensem episcopum. vbi & Lirini prosodiam paulò à Fortunato diuersam facit

Seu te Lirinus priscum complexa parentem est.

Floruit Paulo III. Pontifice Gregorius Cortesius rara ingenij laude, & præstanti nobilitate Cardinalis ex Monacho Cassinate. Is LIRINAM, quam incoluerat, Helisæo monacho laudans. *Ego vero si vspiam*, inquit, *non Helicon aut Castalia, sed terrestris ille παράδεισος, hic potissimum esse, vt mihi verisimile persuaserim.* Inde Saphicum elegans in eius laudem monasterij ludens, sic incipit.

Parua, sed Felix meritis, Lirina,
Quâ stygis victo toties tyranno,
Rite quingenti roseo sacrarunt
sanguine testes.
Qua tot ardentes pietate diuos,
Totque inexhausti monachos rigoris
Protulit, quot non radiant sereno
Sidera cælo. &c.

B. Cæsarius iam episcopus an manserit monachus

ET MANSIT MONACHVS.] Non vtiquè statu, sed amore ac professione disciplinæ. Enimuerò quæ Pontificio muneri obstant functiones, vt ad altiora transeuntem monachum non comitantur, ita nec commodè ab eo retinentur. Contra vero laudi ducitur, si quis eorum nihil abijciat, quæ vitæ perfectori conseruādæ, alendæque virtuti conducunt, sed ceu præclara quædam muneris suscepti ornamenta, ac præsidia, ex religione ad episcopatum transferat, vt præclarè docet B. Thomas 22. q. 185. art. 8. Mansit itaque Cæsarius monachus; quomodo de Fausto Reiensi Lirini item alumno testatur C. Sollius lib. IX. ep. III. *Nil ab abbate mutatus per sacerdotem: quippe cum noua dignitatis obtentu, rigorem veteris disciplinæ non relaxasset.* Et de B. Fulgentio nobili & eruditissimo

Faustus Reiensis Episcopus apud Sur. die. 1. Ianuarij.

Rusp en

Ruſpenſium epiſcopo & confeſſore ſcriptor coæuus: *Nec ita factus eſt epiſcopus, vt deſineret eſſe Monachus, ſed accepta pontificis dignitate, profeſſionis præteritæ ſeruauit integritatem, ſeruata verò profeſſionis integritas plus ornauit pontificis dignitatem.*

III.

GRATVLATORIVM, quo Epiſcopatus à GREGORIO præſtantiſſimo viro & generis nobilitate & virtutis ſapientiæque gloria Turonibus initi primordia canit. Creatus autem ordinatuſque Turonum epiſcopus Gregorius ſub Chriſti annum DLXXV, vt ipſe de ſe prodidit. mirac. S. Martini lib. II c. I. *Anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo poſt tranſitum S. Martini antiſtitis, Sigeberto glorioſiſſimo rege duodecimo anno regnante, poſt exceſſum S. Euphronii epiſcopi, &c. onus epiſcopale indignus accepi.* Extat eius vitæ breuiarium hiſtoriæ præfixum, quod niſi pro me loqueretur, cenſuiſſem operæ, plura quoque de Gregorio dicere, præſertim cum multos animaduerto tam eſſe ingratos, vt cum nihil alioqui de Francorum geſtis rebus, quod ſcriberent, haberent, aut quod noui dicerent, adeoque abſque Gregorij beneficio apud poſteros ne viuerent quidem, ipſi tamen non vereantur huius beneficij, quantum in ſe, obſtruere fontem & ritu viperarum, naſcendo vel ipſam interimere matrem.

Gregorio Turonenſis exordium pontificatus.

MARTINO PROPRIVM MITTIT IVLIANVS ALVMNVM.] IVLIANVS inuicta fortitudine martyr, Diocletiana perſecutione abſciſio gutture animam Deo reddidit, Briuate apud Aruernos campum certaminis adeptus, vt Martyrologia notant ad XXVII. Sextilis. Eius glorioſe memor eſt in propemptico ſuo ad libellum Sidonius.

Gregorius Turon. alumnus S. Iuliani.

Hinc te ſuſcipiet benigna Briuas:
Sancti quæ fouet oſſa Iuliani;
Quæ dum mortua mortuis putantur,
Viuens è tumulo micat poteſtas.

De Briuate vero, quæ ripis Elaueris olim alluebatur, conſule Sollij interpretem, ad epiſt. I. lib. VII. & Gregorium Turonenſem lib. II. cap. II. de gloria martyrum: qui aureum hoc diſtichon

 ex vete-

ex veteri inſcriptione, eccleſiæ Sancti Ferreoli Viennæ, promit.

Heroas Christi geminos hæc continet aula;
Iulianum capite, corpore Ferreolum.

Hunc martyrem Gregorius natione Aruernus tanta pietate complexus eſt, vt eius ſe perpetuo alumnum profiteretur, tum quod Aruerni tanquam ſui ſoli præſidem Iulianum in commune mirifico ſtudio colerent, tum quod venerationem illi Gregorius propriam & honorem maximum impertiret. Libro namque II. miraculorum. *Inclitus martyr Iulianus, qui Viennenſi ortus vrbe Aruernis datus eſt martyr &c.* vbi & inſidioſum obiter tollo mendum *ob ſolius amorem Martini Aruernum aduenit.* o.s. a. *martyrij.* Et Apollinaris Sidonius Aruernus hanc etiam ob cauſam ad D Mamercum lib. VII. epiſt. I *adiecto noſtri capite Iuliani.* Sed de ſe Greg. li. cit. c. II. cum orationis cauſa Viennam adire, & ſepulchrum viſere martyris Ferreoli, cuius comes Iulianus militiæ quondam extiterat, animus eſſet, cauſam huius religionis aperiens, *Inſederat enim*, inquit, *menti propter antiquam dilectionem eorum (martyrum) me ſic eſſe Ferreoli alumnum, vt Iuliani.* Conſecrarat ergo iam olim ſe huic martyri alumnum, vt propriè hic nec abs re cecinerit Fortunatus, quod B. Iulianus Aruernus alumnum ſuum Gregorium mitteret in Turonenſem Eccleſiam, B. Martini alumnum deinceps, & ſucceſſorem futurum. Porrò inductum licet renitentem Sigeberti regis ac Brunichildis reginæ ſumma voluntate, & ilicò ab Ægidio Rhemenſi Archiepiſcopo conſecratum, tum hic perſpicuè, tum in breuiario vitæ, claris etiam verbis traditur.

S. Ferreoli.

Atque ſoporantes.

quod eleganter dixerat de agnis, id ſtreblo prauoq; membro obruerant correctores.

Et quos ſeruatos.

IGNEM VT LENIRET, TVNC PETEBATVR OPEM.] Treuir. & antiq. exemp. at vulg. *nonne petebat opem?* Vacillauit hic certè greſſu poëta, quem mutatione verſus alij cenſuere docendum. Sed hæc ſerò, & nimis ſeriò ita emendantur. & nunquid Lazarus petebat opem? ſane petebatur, nam petitor Epulo.

SVB

SVB CLAVE PETRI.] Treuir. & Colon. Quoties iam illam veneratur CLAVEM B. PETRI? cui sacerdotalem quoque Gregorij functionem omnino subijcit.

IV.

IN NATALITIO GREGORII EPISCOPI.] NATALITIVM hic vocat anniuersarium ordinationis diem. Nam hæc NATALITIA episcoporum recurrisse sacris annalibus, quibus tum honoris initi memoriam, tum muneris suscepti officium attentiùs animo secum repeterent atque recolerent, tum exemplis veterum, tum præsenti quoque doceri potest. Prælucet hic B. Augustinus, ex quo primum intelligitur ad diei istius lætitiam cœtum populi conuenisse frequentioris; nam serm. X. XII. de verbis domini *Dies*, inquit, *Ordinationis domini senis Aurelij crastinus illucescet: rogatur populus, vt ad basilicam Fausti deuotissimè venire dignetur.* Deinde lib. L. homil. XXIV. huius instituti causam finemque prodit. *Cum dies anniuersarius nostræ ordinationis exoritur, tum maxime huius honor officij tanquam primum imponatur attenditur* idemque sequenti sermone repetit. Atque hos Episcoporum Cathedræ Natales, vt olim Lustra & Decennia Impp. sic Panegyricis quoque sacris publicè recitatis, lætius exactos obserues ex Ennodij & aliorum Dictionibus. Sanè Ennodij extant in Natali S. Epiphanij Ticinensis Episcopi ad annum XXX. Sacerdotij, & Laurentij Mediolanensis declamatæ. Natalitia Episcoporum quæ.

CVM ANTIPHONA DICERE ROGARETVR.] De ANTIPHONIS prolixè scriptores agunt, qui officia diuina enarrant, in quibus Amalarius Fortunatus Treuirorum archiepiscopus non est postremus. Is namque ANTIPHONARVM originem libr. IV. c. VII. ad Ignatium Antiochenum refert Apostolorum discipulum, & in successione tertium à sancto Petro. Adsunt testes illi Socrates eccles. hist. lib. VI. c. VIII. & Cassiodorus in tripartita, quam citat Amalarius, lib. IX. c. X. Is quippe Ignatius angelos alternis hymnis ter sanctam Trinitatem collaudantes, obiecta sibi specie, viderat; &, vt Socrates loquitur ὀπτασίαν εἶδεν ἀγγέλων διὰ τῶν ἀντιφώνων ὕμνων τὴν ἁγίαν τριάδα ὑμνούντων. Ἀντίφωνα enim sunt, quibus respondendo vicem reddimus, & alterno cantu vocem voce compensamus; quod hic more Græcorum optimè vsurpauit Fortunatus. Ceterum hunc canendi Antiphonarum origo & vsus.

nendi morem in Orientali ecclesia iam inde olim frequentatum, primus in Latinam transtulisse fertur Ambrosius. Isidorus de eccles. offic. lib. 1. c. 7. & ex eo verbatim Hrabanus lib. 2. de instit. cleric. c. 50. scriptum reliquit. *Antiphonas Græci primum composuerunt, duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo Seraphim, duo quoque testamenta inuicem sibi conclamantia. Apud Latinos autem primus idem Beatissimus Ambrosius antiphonas constituit, Græcorum exemplum imitatus. Ex hinc in cunctis occiduis regionibus earum vsus increbuit.* Id quod Paulinus in vita S. Ambrosij non tacuit: idemque Sigebertus in Chron. ad annum CCCXCVII. obseruauit. *Ambrosius episcopus ritum canendi antiphonas, primus ad Latinos transtulit à græcis, apud quos hic ritus iam inoleuerat ex instituto Ignatij Antiocheni.* Hanc rem eandem, etsi modum tacuit, exposuit tamen in libro Confessionum IX. c. VII. D. Augustinus, quando enim Iustina Valentiniani coniux ab Arrianis seducta Ambrosium istius hæresis patrocinio affligebat, & plebs secessione facta cum episcopo in ecclesia excubabat. *Tunc*, inquit B. Augustinus, *hymni & psalmi vt canerentur, secundum morem orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est: & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus gregibus tuis, & per cetera orbis imitantibus.* Haud prorsus absimili occasione B. Chrysostomus Constantinopolim hoc institutum inuexit: nam, vt Socrates ait, Arriani istic ᾠδὰς ἀντιφώνους κατ' Ἀῤῥιανῶν δόξαν συντιθέντες ᾖδον, quibus, vt obuiam iret serpenti malo, Chrysostomus opposuit νυκτερινὰς ὑμνῳδίας χολάζοντας. At vsum ecclesiæ Latinæ, sed, haud opinor, longissimę retro ætatis, Amalharius attigit. cum antiphonam, ait, inchoari ab vno vnius chori, & ad eius symphoniam psalmum cantari, per duos choros Haud prorsus dissimili ratione Cass. libr. 2. de Canon. nocturn. orat. modo, typum Orientalem, sed monasticum notauit, vbi glorificatione Trinitatis, non psalmos, vt in Occidente, sed Antiphonam tantum, hymno, Gloria patri, ait, solere terminari. Sed longè quidem clarius in huius instituti disciplina, à Sidonio celebratur, Claudianus Mamercus S. Mamerci frater, *vir eloquens, & hominum aui, loci, populi sui, ingeniosissimus.* de quo lib. IV. epist. XI. ad Petreium in Nænia ipsi condita.

Psal-

Psalmorum hic moderator & Phonascus
Ante altaria, fratre gratulante,
Instructas docuit sonare classes.

Et ritum etiam elegantius expressit, epist. XVII. lib. V. ad Eriphium, vbi narrat Lugduni, in antelucana processione, solenni anniuersario, ad S. Iusti sepulchrum conuenisse populum Christianum, *cultum autem vigiliarum, alternante mulcedine, monachos, clericosq́ue psalmicines concelebrasse.* Ceterum genus quoddam antiphonarum in Missarum sacris olim extitisse, cuius præcipua pars penes presbyterum esset, hinc clarè quoque perspicitur: nam quomodo iam vsus est illius vocabuli, ἀντιφώνη, quod consuetudo loquendi paroxytonon effecit, in sacrificijs proprie non adhibetur.

Earum vero antiphonarum diserte tandem comperi mentionem fieri, apud Anastasium in Cœlestino, qui anno Christi circiter 423. sedit. Nam eum, ibi scribitur, constituisse, *vt CL. psalmi Dauid ante sacrificium psallerentur antiphonatim*, quod ante non fiebat. Id quod Alcuinus, cum apud eundem legisset, interpretatione sua fecit, vt Anastasij locus alioqui obscurus, clarior existeret. Nam eo capite diuinorum officiorum, quo vestimentorum significationem explicat, se illud Cœlestini de CL. psalmis institutum, sic intelligere scribit, *quia ex omnibus psalmis excerpserit antiphonas, quæ psallerentur in officio Missæ: nam antea Missam inchoatam à lectione, quomodo in vigilia Paschæ inchoari solet.* & in vetustiore membro ordinis Ramani, perspicua res est, antiphonarum id genus, quod Responsorij gradualis nomine ibi quoque notatur, inchoatum post Angelicum hymnum & lectionem, at reciproca voce quod dixerat antiphonatim: alleluiatico carmine & Sirmis, vel nondum receptis, aut sæpe etiam omissis. Atque in ea classe, si quis in abstrusæ memoriæ ritu, diuinationi locus, Fortunati antiphonas posuerim, quæ dicere rogatus hexasticho hoc suo ornauit, quod vtique publice rem inter diuinam recitatum est.

V.

DE Auito Aruernorum Episcopo diximus lib. III. Eius viri celebrandæ famæ desiderium hac de causa Gregorium, opi- *Auiti Aruernorum Episcopi laudes.*

f nor, in

nor, incessit; quia Gallo patruo magnæ sanctitatis ex humanis erepto, Gregorius adolescens in Auiti se disciplinam contulerat, apud eum integrioris vitæ doctrinæque rudimenta depositurus. Hac igitur in Epistola se rogatum à Gregorio Venantius scribit, vt celeberrimam illam Iudeorum conuersionem, quæ Aruerni nuper ijs, Auiti industria, contigerat, carmine perscriberet, ad quod se aggressum faciendum, rem ex tempore confecisse testatur: in quo huius poëtæ ingenium admireris. Nam nuncium, ait, inhiantem versibus sibi pangenti adeò institisse, vt respirandi vix spatium modumque concederet. De hac vero Iudæorum ad Christianam religionem & baptismi sacra traductione, luculenter ipse scripsit Gregor. v. Franc. histor. c. XI. ex quo suos etiam in annales Cæsar Baronius eam transtulit. Anno DLXXIX. Ceterum quæ gentis huius notissima est peruicacia, nisi malo coacta haud mediocri, rarò, quibus insueuit, deserere solet. Ita & hic vsu venit, vt nisi extimulata non daret Auito manus. Nam concursu turbæ, ob iniuriam illatam neophyto, primum lapidibus acta, dein synagogæ excidio multata, hanc ab Auito conditionem accipit, vt vel solum verteret, vel sacra. Qui sanè cogendi modus, vt probari multis nequeat, hoc tamen sancti viri exemplo, erunt, qui se defendent, quando illuc res deuenerit, vt moderata coactio, quam indirectam vocant, adhiberi possit; modo non interueniat actio palam iniuriosa ab eo qui cogit: siquidem talis coactio non esset ex æquo & bono. Quare Auitus hic rectè ac ordine fecisse videtur, quippe vsus furore multitudinis tanquam occasione sua, pœnas & maiora damna, quæ manentibus imminerent, ab eorum capite prohibuit; hocque tanquam fræno in gyrum religionis eos adduxit.

Iudæorum apud Aruernos conuersio & baptismus.

Auitus an & quomodo eos coëgerit.

PRÆCONIANDO.] Treuir. Glossa. *laudando*. Quomodo Augustini æuo tritum erat. ENCÆNIARE. Et

——————— *Licuit semperque licebit,*
Signatum præsente nota producere nomen.

Huius generis est IMPLICITER. gloss. Treuir. *difficulter*. Ceteros errores & multos & inueteratos non reteximus, quia fastidium

ſtidium pariat hæc venditatio, quando ipſa exhibetur opera, quam illi demum ſentient, qui hæc noſtra cum vulgatis contenderint.

IN VENERABILIBVS.] Truncum, more ſuo, G. Fabr. hoc poëma dedit; orſuſque à verſu. *Quid facis ô Iudæa cohors*, inſcripſit, CONTRA IVDÆOS.

VNVM VENERATVS ADORAT. A DOMINO DOMINVS.] Auitus in illo ſermone, quem ad Iudæam gentem eum habuiſſe poëta ſcribit, duobus ex Geneſi maximè depromptis locis oſtendit principibus eius gentis ac patriarchis, vtpote quibus fides eminentior, & explicatior, quàm in vulgo fuit olim, nec obſcurum aut incognitum fuiſſe TRINITATIS myſterium; ac proinde nec ipſos quoque latuiſſe VERBI OECONOMIAM, quæ cum Trinitatis myſterio mirabiliter eſt implicita. Nam & Abraham clariſſimam habebat ſemini ſuo factam promiſſionem, in quo ſcilicet benedicendæ omnes nationes terræ. *Gen. XVIII.* De Moſe, quem legiferi hic nomine celebrat, Hebr. XI. teſtatur. Apoſtolus, improperium Chriſti gazis antetuliſſe Ægyptiorum. Rariſſimus hic Fortunati locus eſt, ex quo verbi perſonarumque proceſſionem ipſe vult intelligi. Verba iſthæc Gen. XIX. ſic leguntur. IGITVR DOMINVS PLVIT SVPER SODOMAM ET GOMORRHAM SVLPHVR ET IGNEM A DOMINO DE COELO. Variam autem huius loci explanationem obſeruo. Nam illud παρὰ κυρίου ſunt qui interpretantur idem eſſe cum eo, quod cælitùs, non ſine magno diuinæ prouidentiæ argumento, geritur; ac proinde eius generis, vt meritò fieri gerique à ſupremo domino cenſeatur. Sed huic ſententiæ illud refragatur, quod τὸ οὐρανόθεν aut COELITVS hic, nec otioſè quidem, ſatis per ſe exprimatur ἐξ οὐρανοῦ, מן השמים. Præferatur itaque illius fortè ſenſus, qui ſic reddidit. Dominus, id eſt, angelus ſubuerſionis miniſter, pluere fecit, id enim non obſcurè ſignificatur verbo המטיר, imbre ſcilicet excitato piceo, qui de cœlo à Domino deſcenderet. Sed litteram introſpicientibus hæc minus arrident, quod principio verſus, etiã illud ſacratiſſimũ Iehoua poni animaduertant: malintq; hanc eius loci eſſe ſententiam. Dominus Deus pluere fecit, pluitue, miniſterio aëris, aut angelorum, ſulphur

Trinitatis myſterium in veteri lege non incognitũ.

Dominus pluit à Domino, locus ex Gen. 19. explanatus.

& ignem, quæ quidem delapsa ex alto & à Domino profecta, descenderunt. Verumenimuerò de littera quidquid tandem statuant alij, Patres nouimus manifestè hoc in loco deprehendisse mysterium. Nec dubitat Fortunatus, hanc prophetæ, cum scriberet, fuisse mentem, vt priore DOMINI voce vnigenam patris FILIVM adumbraret.

Canus lib. 1. de locis commun. c. 15.

Filius & pater est à domino dominus.

Quin igitur Maiorum hic & præsertim Aurelij Prudentij, non pudici magis, quam Christiani poëtæ vestigia secutus sit, negare si velim, haud possim. Eius in Apotheosi versus sunt.

A Domino dominus flammas pluit in Sodomitas.
Quis dominus? de quo domino? si solus ab arce
Siderea spectat pater, aut ardescit in iras?
Filius armatam domini patris, ignibus iram
Spargebat dominus, sunt vnum fulmen vtraque.

Simili oratione tot minor annis Amos propheta c. IV. dixerat. *Subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrham* &c. *& non redistis ad me, dicit dominus.* En tibi; quemadmodum hic dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam? loquitur scripturæ more Deus ita de seipso, ac si de alio loqueretur. Quod animaduertens Eusebius lib. v. demonstrat. Euang. c. XXIII. vsitata tùm interpretandi via ac ratione tradidit PATREM hic loqui, eumque de FILIO dicere; *sicut subuertit Deus Sodomam.* Quod cùm testimonijs alijs, tum ex loco Genesios allato stabilire contendit, alteram in Trinitate personam ibidem quoque Domini voce signari testatus. Sed B. Cyrilli sententia nihil hac in re dici potest clarius: in Ioan. lib. I. c. II. *Per iram Dei Sodomitarum vrbes exustas fuisse, scriptura narrat. Pluit*, inquit, *dominus à domino ignem ac sulphur &c. Quis igitur dominus à domino ignem descendere fecit? Patet quia pater per filium omnia peragit: brachium enim & virtus patris filius cum sit, ipse in Sodomitas ignem immisit. Quod si dominus à domino ignem pluit, quomodo alius à Patre, filius & pater à filio non est. Cùm enim dicitur, Dominus à domino, vnus ex vno profectò significatur.* Atque hæc Cyrilli testificatio apud veteres tanti fuit, vt eam quoque in concilio Sirmiensi plurimi æstimarint Episcopi, quorum anathematismus

XV. cX-

xv. extitit. *Si quis*, inquiunt, *illud quod scriptum est, pluit dominus à Domino, non de patre & filio perceperit, sed ipsum à semetipso pluere dixerit, anathema sit.* Nec fugit hæc subtilitas eum, qui inter latinos est instar vnus omnium D. Aurel. Augustinus libr. 1. quæstio. super Genesin. c. LIX. *Pluit Dominus à domino, qui scribebat dixit, vt dominus eius à domino eius, id est dominus noster à domino nostro pluisse intelligeretur, filius à patre.* roboratque illo notissimo hanc suam sententiam. *Dixit dominus domino meo. Psalm. CIX.* Illud autem memoratu obseruatuque fortè haud iniucundum. quod sancti Patres in multis veteris testamenti factis visisque; etsi pleraque omnia angelorum opere ministerioque sint proximè perfecta, Christum tamen vel autorem inducere, vel Deum quasi præsentem, amant, ita vt & illas, quas hic poëta celebrat, & alias quoque nobiliores apparitiones, VERBO tribuant, ceu futuræ incarnationis iam tum specimen mortalibus exhibenti. Qua de re B. Leonem adi Epist. XIII. ad Pulcheriam August. contra Eutychetem; & illo vetustiorem Clementem Apostolic. Constit. lib. v. c. XIX. Quibus & Euseb. lib. I. histor. c. II. adstipulatur, & Eusebij pedissequus Nicephorus Calistus: Et quia Christianus poëta iam in manibus est, iuuat à castissimo & verè Catholico Christi vate, Aurelio Prudentio, huius item doctrinæ petere testimonium. Is enim de Mose in Apotheosi scribit. Christi apparitio in veteri testaméto.

———————— *Collato qui stetit ore*
Cominus, & sacris coniunxit verba loquelis,
Carnis in effigie Christum se cernere sensit.

Perinde loquitur de Abrahamo.

———————— *in triplicem numen radiasse figuram*
Iam tunc dignati terras inuisere Christi.

Sed magis exaggerat inter collucentes Babyloniæ fornacis flammas, Christum improbo tyranno factum fuisse conspicuum.

Nempe, ait, ô Proceres tres vasta incendia anhelis
Accepere viros fornacibus; additus vnus,
Luce vaporiferos ridens intersecat ignes.
Filius ille Dei est, frater quem & vinctus adoro.

Quod idem Ecclesia probare videtur, quando canit: *Surrexisse Christum de sepulchro, qui liberauit tres pueros de camino ignis ardentis.* Et in canone Theodori Studitæ apud nostrum Gretserum de Sancta Cruce in Oda VII. εἰς τὸν συνεστρεφούμενον Orientalibus vsurpata.

Φλογόεσσας ὁ παῖδας ῥυσάμενος.
Σάρκα προσλαβόμενος ἦλθεν ἐπὶ γῆς.

Qui tres pueros è flammis eripuit, ille assumpta carne in terras aduenit. Neque tamen eam corporis assumptionem, qua Christum per angelos se visendum præbuisse tradunt, vllo modo esse voluerunt hypostaticam, sed talem nimirum, in qua non magis ipse, quàm ceteræ personæ, tanquam vnus indiuisus Deus, sese ostenderent: ita vt neque Patrem neque Filium, ab ea vel apparitione, vel assumptione, putarint abfuisse. Quare igitur, filio, inquis, eam soli personam imposuere, & apparendi munus attribuere? Nimirum, quia cum is aliquando in terris homo idem verusque Deus nasciturus esset, typum docendi caussa, prælucente scriptura, monstrarunt: quo faciliùs malè credulis Iudæis, veritas allucesceret: siquidem anticipata fide eundem quodammodo manifestatum in carne, & creditum in mundo iam olim docebant: qui, clariore post dignationis argumento naturam denique nostram assumpsit, quod eruditè cecinit Prudentius.

—— *Qui dominum, libris & corpore, iam bis*
Vidimus, antè fide, mox carne & sanguine coràm.

Idem B. August. 10. Confess. cap. 42.

CVR NON VNITER ITIS.] quod vulg. oppido corruptè. *Cur non vnicus actus.* & *Pastor vt vnus adest.* vulg. *vnus apex.* eiusque generis sanè plurima.

AGMINA MANZARA IVNGI.] Sic rectè antiqua exemplaria. quod vulg. *maxima.* Manzera namque vel mamzara idem Hebræis est quod notha & spuria. nam ממזר à מזר spurius est. quod vsurpatur Deutron. XXIII. *Non ingredietur* MAMSER, *hoc est de scorto natus, in ecclesiam domini vsque in decimam generationem.* Adpositè verò Christiani antiquitus Iudææ genti, quod inderent, hoc ex loco vocabulum transtulere, siquidem, ceu ancilla spurius natus, hæredio

dio vocationis excidit, fractisque ramis, eo quod Christi domini nostri tanta humilitas ijs tanquam lapis existeret offensionis, ingressu ecclesiæ in tot vsque caret generationes. contrà vero gens altera illa nostra ex non dilecta, haud iure quidem potiore, sed adoptionis indulgentia, pinguedinis euasit oliuæ socia; & in illam feliciùs inseritur arborem, vnde qui pullulant rami, non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Ad Romanos IX. XI.* Ceterum Manseres, eodem, quo Fortunatus instituto, vocauit & Iudæos Sedulius Christianus poëta lib. v.

Manseribus populis in deteriora volutis.

OLEARI VNGVINE.] Baptismo qui ritus olim & ceremoniæ adhiberi solitæ, illustria ex hoc poëmate documenta suppetunt, salubri quoq; ad reuincendos errores & noscendam antiquitatem exemplo. Offerunt enim hic se plurima animàduersione digna. DIES PENTECOSTES, qui veteris Ecclesiæ more sacrosanctus erat baptismatis administrationi, vt B. Leo testatur epist. IV. ad episc. Siciliæ. duratq; hodie, cum peruigilio diei fons ritè lustratur. Est & CHRISMA, quod ab vsu & materia, nomen hic sortitur *vnguinis olearis.* Nec abesse videntur, qui suscipiant recens natos PATRINI, cum ait. Baptismi sollemnis ceremoniæ Susceptores seu patrini.

Excepit populus popu!um. ———

&.

Germine qui non est, fit tibi fonte parens.

Est & CEREORVM COPIA, fidei caritatis igne inflammandæ symbolum. Est AMICTVS denique CANDIDVS & vestis, de qua canit *Lacteus hinc vesti color est,* argumentum resurrectionis in alterum quendam vitæ modum, & nitoris, qui pectori vberrimè iam cœlitùs irrigato vnà cum gratia affunditur.

ABLVITVR IVDÆVS ODOR.] Tria in percunctando hic poni possunt. I. SITNE TETRIOR ALIQVIS IN IVDÆO AC PVTIDVS ODOR? II. AN ILLVD GENTIS MALVM TRANSLATITIVM ET SIC NATVRA INSITVM, VT CVM POENÆ INDICIO TRANSEAT AD POSTEROS? III. AN BAPTISMI FONTIBVS RITV CHRISTIANORVM ABLVATVR? Primũ quidem, vt paucis rem transigam, agnatũ genti recutitæ tũ Hebrææ, tum Saracenæ putidũ quẽdam fœtorem sermonib⁹ multorũ ita percrebuit, vt ea de re quærere perinde sit, ac Iudæis fœtor agnatus.

in du-

in dubium vocare consensum nationum, adeoque sensum ipsum, quo odores exploramus: vt frustrà Philelphus, quia id compertum non haberet, assensum de Hebræorum fœtore cohibuerit. Vt enim grauissimum hoc, quod in præsentia ex Fortunato suppetit, testimonium, sileam, profectò ab antiquitate repetitum, ceu notissimum id Ammianus Marcellinus inculcauit, histor. lib. 22. *Cum Marcus imperator*, inquit, *Palæstinam pertransiret, Aegyptum petens, fætentium Iudæorum & tumultuantium sæpè tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse. O Marcomani, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inueni.* Rancidos itaque & fœtentes ab hoc odore Iudæos appellitabant veteres. Cohæreatne porrò fœtidus hic odor, ita vt Iudæus naturâ malè oleat, & putidum, nescio quid, vsque exspiret, haud est in alteram partem quod certò statuam atque definiam: Sanè penitus insitum atque affixum, ipsi fateri videntur, cum abstergendi pellendiue remedium ars ijs ac industria nulla suppeditet, ac proinde, vt hoc malo careant, ad maiora quæpiam & humanis artibus altiora præsidia confugiant. Dum animum memoria refrico, audire etiam me eruditorum altercationes memini in Theologorum scholis, cum quæreretur, vtroque parente non renitente, baptismine donum proli impertiri posset, vbi præsertim non speraretur Christiana educatio, responsum ibi tum eruditè fuisse, contrà quàm scholastici nonnulli solent, à doctissimis Romæ, nuper, fieri posse, definitum, maximè verò, si parentes hoc se ritu, beneficium parare infanti quodcunque siue animæ siue corpori salutare, crederent. Vsu quippe compertum aiebant, Turcos aliosque Saraceni generis Christianis interdum etiam inuitis obtrudere infantes sacro lauacro tingendos, quia putidissimum hunc illi fœtorem suis quoque liberis, vt arbitrantur, adnascentem, hac se vna ratione abstergere non dubitent. Non latuit ille mos Th. Balsamonem, qui in Can. XIX. Synodi Sardicensis, ait, *propter sancti vnguenti honorem ex longa consuetudine baptizari Agarenos, ne malè oleant.* Eam in rem illustre testimonium ex Armenorum legatione promitur, quam ipsi circa annum domini MCXLV. ad Eugenium fidei & religionis caussa adornarunt; in hac retulerunt de gente quadam, in ipsorum confinio, quid ipsis agendum, quæ cum

Iudaicus fœtor natiuus remediis expelli nequit.

cum fœtentes liberos procrearet, hos ad aquas Armenorum, lauandi caussa continuo soleat transmittere. Nam pueros eos baptismatis vnda ab se tinctós, innato quidem fœtore liberari, sed cum ad paganismi ritum redeant, vna redire spurcitiem. Ita Otto Frising. lib. VII. c. XXXII. A Iudæis item, etsi alia via, tentari remedium ex martyrio S. Simeonis pueri Tridentini, olim obseruauimus. Extant illa acta à Ioanne Matthia Tiberino Medico, diligenter & cum fide scripta anno MCCCCLXXV. quo eodem anno innocentissimus ille puer à Iudæis concisus cruciabiliter interijt. Hic scriptor, vbi de Iudæorum consilijs agit, in puerum hunc sæuiendi. *Christianum*, inquit, *infantem in contemptum domini nostri Iesu Christi mactant atrociter, & exhausto sanguine vescentes in azymis suis à fætore, quo grauiter olent, Christiano se cruore præseruant: hocque suum appellant Ioel, id est, Iubileum*. Huius porrò facinoris rei, siue errore inducti remedium hoc quæsierint, siue Dæmonis arte experti eius olim virtutem, id verò constat, fœtoris natiui aut certè domestici mali conscios ad facinus aggressos. In eandem sententiam it Fortalitium fidei libro III. Consideratione VII. vbi creditur illud accidere in vindictam ab ijs occisi Christi Domini, quod inciuiliter exagitat in Discursu quodam suo Philosophico Lutheranus Iurisconsultus. Narrat etiam pro sui temporis compertissimo libro 2. mirac. c. 29. Cantipratanus, *Iudæos vbi vbi clàm fudisse sanguinem Christianorum, exoptato remedio fædis sistendis fluoribus*; eamque in rem licet non obuiam citat B. Augustini auctoritatem, *ceu ex maledictione parentum currat adhuc in filios vena facinoris, per maculam sanguinis, vt per hanc importunè fluidam, proles impia pœna inexpiabili crucietur, quousque se ream sanguinis Christi recognoscat pœnitens, & sanetur*. Verùm diligentiùs inquirenti occurrit in veteris historici anonymi fragmento, anno M.CCXXXVI. cum Hagonoam ad FRIDERICVM secundum imperatorem perlata cadauera fuissent puerorum, quos Fuldæ constabat à Iudæis interfectos, magnique in imperio motus existerent, quia vulgo sub parasceuen id remedium solenne peti à Christianorum sanguine persuasum esset, Fridericum ibi tum inuestigandæ veritati vndique multos accersisse doctrina ac sapientia spectatos homines, qui re diligenter

multumque discussa nihil explorati statuere potuerint. Quare, quos finibus imperij eliminaturus erat vniuersos, æris magni damnasse contentum fuisse. More autem & educatione quàm natura, malè Iudæos olerè & eleganter Franciscus Philelphus ea in epistola docuit, quâ respondet quæstionibus à Catone Sacco I. C. & Oratore sibi positis. Nam qui cibo sunt aut potu inferiòres, hi male concoquant necesse est, ex concoctione autem mala aut morbi nascuntur alij atque alij, aut sudor prolicitur ille quidem insuauis, in quem ipsa tandem concoctio resoluitur. At istiusmodi sudor, quem putida expulerit concoctio, odorem sanè gignit concoctioni simillimum, id est tetrum & grauem, nam iuxta probatum illud medicorum pueris dictum. Fœtida omnia incocta sunt aut prauè permixta. Ex quibus certè consequens est, vt humor iste omnis siue intrinsecus is per poros emerserit, siue cuti membrorum adhæserit, offendat nares & male gratum exspiret odorem. Nec ab Hebræis id offensionis magis accidat, quam ab alijs, si par vtrobique existat causa. Sed fortasse magis in Hebræorum gente istuc vsu venit, tum quod obscenis & insolitis se dapibus plerumque distendant, tum quod plerique omnes numularij & fenebri lucro inhiantes, otio magis quàm labori indulgeant, atque ita inerti quiete marcescentes velut obtorbescant, natiui caloris temperie, quæ vel vna gratissimum conciliat odorem, labefactata. Nec mirum, vt sunt protritæ in victu cultuque gentis Iudęæ sordes, apud illos eam vitæ consuetudinem in naturam quoque versam, vt parentum similes filij nascantur, & locum id habeat Venusini poëtæ.

Iudaici fœtoris quæ caussa.

Aetas parentum peior auis, tulit
Hos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Enimuerò si apud Scythas arcus & sagittę collimandæ frequens vsus μονῶται, quos ars & exercitatio ante habebat, tandem natura principis caussæ imitatrix inuexit, & oblongis etiam capitibus infantes, quos nutricum industria conformarat, studio tandem in naturam verso, Asia protulit, vt variarum lection. XII. libro. c. VIII. ex Hippocrate eruditissimus annotauit Muretus, quid his obstaret

ſtaret quiſquilijs hominum malè olentibus,nec benè olentes educere liberos?Poſtremo quod quęſitum fuit haud difficilem habuit conſtitutionem: baptiſmo namq; vim eam ſanctitatis, qua morbi ac cæterę huius generis labes pellãtur,Chriſtiani veteres expertiq; palam ac libenter tribuere ſolent. Quid enim hic ego memorabilem illam & litteris tam multorũ cantatam Conſtantini magni curationẽ deprędicem,qua leprę pertinacis,& inuicti morbi abſterſis omnibus etiam veſtigijs, baptiſmi virtute, nõ animæ duntaxat,ſed corpori quoq; ſalus obtigit? Certe de Auſtri Marcelli Toloſatium pręſidis filia quæ narrantur, peruulgata ſunt, ſiquidem vitiligine fœdatam, B. Saturninum eam curaſſe perhibent, dum in nomine trini Dei puellam abluit, cuius rei adeo memoriã iſtic viuere, Stephanus Forcatula lib. VII. de Gallorũ philoſophia teſtatur, vt propylęa hoc templorum,& ſaxa ſculpta Toloſæ loqui hodieque affirmet. Affinia ſunt his, quæ de Chromatio & Tranquillino vrbis præfecto in actis S. Sebaſtiani,& de Caſſani Tartarorum imperatoris filio apud Antoninum leguntur tit. 20. c. 8. §. 9. B. Auguſtino vero hîc quis teſtis nobis eſſe poteſt locupletior? eius in libro XXII. de Ciuitate. c. VII. inter alias hæc eſt narratio. Medicum podagræ aculeis detentum, cum nomen dediſſet ad baptiſmum, dolores ſolito quoque ſenſiſſe acriores, intendente morbi vim ſalutis noſtrę inimico; mox vero ſubeuntem baptiſmatis lauacrum inter abluendum; excepiſſe nõ modo grauiſſimi doloris intercapedinem, ſed pedum integritatẽ illam, qua, podagra excuſſa, dum vixit, doloribus ijs ac morbo caruit. Cuius generis exempla quoque nõnulla prodidit memorię Cæſarius lib. x. mirac. c. XLII. & ſequentibus. Memorat *Burchardus parte II. deſcriptionis terrę ſanctę, Saracenos olidos lauare eo in fonte Ægypti ſępenumerò conſueſſe, quo Deipara mater Chriſtum infantẽ haud raro abluiſſet, eiuſque fontis beneficio, eluiſſe ſimul corpore fœtores, qui iſti gẽti, vt diximus, ſunt velut hæreditarij. Potuit verò id fons Ægyptius attactu corporis Chriſti olim conſecratus, cur non idem maiuſq; efficiat aqua genitalis, cui tam pręſenti Chriſtus numine interuenit? Præclarè itaque Damaſcenus in vita Barlaam & Ioſaphat c. XXXIII. expoſuit, vt in admirabili paterni regni conuerſione, traductis ad Chriſti fidem

Baptiſmo vt alij morbi,ſic & odor Iudęus pelli poteſt.

*Brocardus.

Saracenorum fœtor abluitur Ægypti fonte.

Antonin. 3.p. hiſt. tit.19.c. 8. §.22. Paulus Iouius Genebrar.

ſti fidem innumeris pene hominibus ſancti lauacri piſcinam exſtruxerit; qua, qui nouo ritu Chriſtianorum mergebantur, non animorum modo ſanitatem conſequebantur, ſed morbis & febribus abiectis, integram quoque corporis valetudinem inde referebant. Qua de re Thomam Bozium copioſè & erudite ſcripſiſſe iam conſtat, lib. I. de ſignis eccleſiæ. c. XVI. Nec eam tamen ſacræ ablutioni virtutem vniuerſè propterea attribuero, vt omnibus ijs nos, hac in mortali vita, liberet incommodis, quę peccatum primorum parentum conſecuta ſunt: ſiquidem imbecillitas huius caduci fragiliſque corporis, morbi dolorumque ſenſus, & quę PÆNALITATIS nomine Theologi cuncta ſignificare ſolent, manent illa certè, quo ſcilicet tanquam ſegetem & materiam virtutis habeamus, ex qua deinde vberiorem gloriæ fructum & coronæ decus illuſtrius in altera vita conſequamur. Quin vero, ſi ſalus & integritas morborumq; depulſio ſic perpetuo baptiſmi comites eſſent, dubitari iã certè non poſſet, quin multo impenſius plurimi corporis ſalutem quã ſacramenti gratiam conſectarentur; quo quid fieret à diuina inſtitione alienius? Satis itaque explicatum id à me eſſe iam arbitror, quod dixit Fortunatus: *Abluitur Iudæus odor*.

Morborum depulſiones non ſunt affixę baptiſmi effectis.

VI. VII.

Syagrius Auguſtodun. Epiſcopus.

AD SYAGRIVM EPISCOPVM AVGVSTODVNENSEM.] hunc perperàm alij Euagrium ſcripſerunt. Excellens eius in Gallia deinceps nomen extitit, poſtquam Gregorius Magnus pontifex nundinationis ſacrorum tollendæ, & NEOPHYTORVM hæreſis extirpandę negotium illi dedit; quod vſque adeo curæ illi eſſe voluit, vt non prius vſum pallij ei concederet; quam Synodo coacta, peſtiferos eos errores profligaſſet; ſicut in vita Gregorij lib. III. c. I. narrat Ioannes Diaconus Nec dubitem eius proſapiam referre ad ſtirpem ſyagriorum, in qua Sidonius epiſt. VIII. li. VIII. ponit *deductum nomen à trabeis, eboratas curules, & faſtos purpuriſſatos*, quos & Marcellinus & Caſſiodorus agnoſcunt. Quin idem diſertè, repetitis epiſtolis, Syagrium iuniorem ſalutat, & *florem Gallicanæ iuuentutis, & Affranij Syagrij Conſulis virili ſucceſſione, pronepotem*. De Auguſtoduno actum agam, ſi prolixius diſceptem, cuius Epiſcopum egit

pum egit hic Syagrius. disceptauit de nobili ciuitate iam olim, ad III. annalium Taciti v. c. Iustus Lipsius, sed amice, cum Stephano pighio, qui cum B. Rhenano, in Eumenij rhetoris oratione pro Augusto dunensium ciuitate legebat Augusto cliuiensium, Herculi suo Prodicio gratificatus. Vindicias easdem interuallo suscepit Petrus Rouerius noster in panegyrico suo de Godriani Collegij restitutione. Heduam appellat Sidonius, epist. XVIII. lib. v. Constantius in vita S. Germani, & scriptor antiquus apud Aimoinum lib. I. c. 5. vbi & Fortunati lectio expressa. *Hedua, quæ Augustidunus* conuenienter Notitiæ Prouinc. vbi. *Lugdunensi I. ciuitas Eduorum, hoc est* * *Augustidunum.* Rectè itaque Massonus hanc sedem in Burgundia iam ad Ararim flumen designat, Lugdunensi prouincialem; adeoque inter prouinciales à Metropoli primam. De qua adi Petrum San. Iulianum in descriptione Gallica Burgundiæ & v. c. Ioan. Sauaro ad Sidonium. Est autem epistola hæc Fortunati reconditioris, pro eius sæculi more, styli & gustus. Commendatur captiui redemptio, id lacrymis à Fortunato flagitante patre, vt Syagrij precibus studioque filius captiuus asseratur. Exornandi Syagrij caussa, versus triginta tres, vitæ Christi ætatem numero representantes, mittit, STOECHORVM schemate, litteris & vario apicum ductu, morose contextos & interpunctos. Describit huius poëmatis artificium sane subtiliter, illudque sine veterum exemplo se inprimis fatetur meditatum, quod ACROSTICHIDVM aut STOICHORVM vsus iam tum forte aboleuerat, superiori alioqui sæculo non insolens aut ignotus; cum tam perspicuè Sidonius Lampridium celebret, quod elegos faceret nunc STOECHOS, nunc recurrentes. *lib. VIII. epist. XI.* Quin venerabilem Bedam quoque laudare memini insigne volumen PORPHYRII poëtæ, quo is ad Constantinum Augustum misso, meruit de exilio liberari, Extat huius quoque generis MAGNENTII MAVRI RABANI opus egregium Luduico pio Imper: & Gregorio IV. in FVLDENSIVM inclita S. BONIFACII familia de S. CRVCE elaboratum, & duodetriginta schematis, prosa versuque absolutum. At specimen interim huius artificij, mirum, quo casu, exemplaribus,

* Gallis Autun.

Acrostichidum aut stoechorum vsus.

ribus, quæ equidem lustraui, omnibus aberat: Treuirensi excisum erat. Nec facile reperiri quoque alibi satis Baron. in anno DXXCVII. tom. VII. prodidit, cuius ibi hæc verba. *Inter Episcopos, qui nempe Lugdunensi Synodo tunc interfuerunt, eminebat Syagrius episcopus Augustodunensis, sanctis annumeratus honestatusque ab Ecclesia anniuersaria ipsius natalis memoria. Extat ad eum Fortunati epistola in præfatione egregij operis quod perijt.* Hic vir ille clarissimus perijsse fatetur opus illud, quod in STOECHIS extat, nec amplius, vt disertè testatur Fortunati epistola, quàm tres supra tricenos versus numerat. Insignis ergo & memorabilis beneficij gratia debetur tum egregio Augustanæ reipublicæ senatori Marco Velsero, tum S. Galli inclyti monasterij Præsidi & Cœnobitis, quorum opera, & præclaro merendi studio, versus illi tam reconditi, primo lucem aspexerunt. Ceterum huius epistolæ, dum iterum sedulo purgamenta conuerrimus, fuit, vbi non reiiculum puluerem excitare licuit. Nam & TORCVLARE ET APOTHECARE, ET VICAREITATIS, gemmas an scruta inuenimus. Sed hic scruta sint, quæ apud Varronem vel Nonium si quis reperisset, in ordine gemmario locaret. Trama currit in tramite. Vide sis, quam in origine TRAMÆ coniector acutus apud Varronem, ingenium verset? cum in *trama* retortos & reflexos ostendit mæandros: in *tramite* scandi docet vias rectas sed transuersim; quæ omnia, vt & casses araneorum, faciunt ad explicationem propositi schematis. Iam verò ad Epistolæ ingressum eleganter etiam dixit, *quod carminaretur in carmine.* Cum carminare seu carmina facere pro eodem vsurparit superior ætas. Sidonius lib. IX. epist. XV.

quotiesque verba Graia carminauerit.

& epist. XIII. *Date carminata socco.* Date dicta sub cothurno. denique lib. I. epist. IX. *Musam,* scribit, *votiuum quippiam, vel tumultuarijs fidibus carminantem.*

Acrosticha cur stoechi

INCAVTVS PASSER QVASI MENTITA PER NVBILA, ET QVINQVIFIDA VISCATA.] Acrosticha aut Mesosticha vel Telosticha rectè quoque stoechos à veteribus appellatos, vel ex hac allusione Fortunati docemur, qui textum hunc versuum retibus & indagini plagarum, quibus saltus stabulaque ferarum, aut campo-

rum

rum æquora in venatione vel aucupio cinguntur; accommodat. Siquidem Στοῖχοι græcis est indago & series plagarum, in quibus varij & multiplices funium lusus & macularum contextus, illecebræ ferarum & auium, quas nubila hîc mentita dixit. Viscatæ porrò virgæ fallendis auibus notiores antiquis, quam vt interpretationis indigeant; quas quinquifidas, à ramorum vel surculorum adpositione, appellari hic existimò.

VIII.

FELICI Nannetum episcopo grates dicit, quod ab illo euocetur ad amœnitates villarum, longè tamen eius amicitiam sibi iucundiorem testatus illa lætitia floriferorum pratorum. Quod autem hic iam legitur, *loca visere blanda*, id prudenti quodam errore vulgata tradebant, *loca celsa subire.* parique licentia, *pulchrum saliente colono* ausi sunt ponere nonnulli. pro, *piscoso littore pulchrum.* CARIACVM hic amnem interpretor, qui Ligerim denique subit, vt olim me animaduertere memini.

IX.

EPIBATERION hoc cum sequentibus vndecim epigrammatis Gregorio Turonensi est inscriptum, ex quo facile intelligitur, quæ inter vtrumque vitæ societas & familiaritas intercesserit. Tituli verò ceterorum versuum pro se loquuntur. Vindicandis autem mendis, quæ plura iam sublata sunt, quorsum geminetur opera?

In XI. *Eiecimus spurium*, illato nouo versu. Quæ cum percunctare &c. Nec male conijcias Prodomere, vel Probomere, quod veteres libri subijciunt, proprium eius esse nomen, quem commendat, ex finali sono Francico.

XII.

GENITÆ PROPRIÆ.] Agnes, & Rhadegundes. regina.

XVI.

PROPOMIS ET GRAFIOLIS.] Diu, fateor, titulus hic me torsit. at leuem, ais, rem, ne pili quam facies: ita sane verum. esto. tute leuissimam hanc etiã forte non assequaris. GRAPHIOLA itaq; accipio

pro

pro surculis; quam vocem Calar. mutarat in *fercula*. Et huius acceptionis hodieq; vestigia durant in idiomate Gallico. GRAPHIVM enim quid sit, vel Abecedarij norunt, id Gallis est *graffe*. quæ vox ipsis non stylum modo scriptorium, sed propriè insitum significat, idque surculi præcisum, quod Varrone teste de re rustica cap. XL. CLABVLAS alij, siue TALEAS, appellitabant. Annumeratur itaque GRAPHIVM rei rusticæ vel hortensi, similitudinis ea ratione, quæ inter hoc surculorum genus & graphia antiquitus extitit. Denique GRAPHIVM, quod obuium est, vulgus olim imminuit, ex eoque GRAPHIOLVM fecit, quod sui sæculi more poëta hic vsurpauit.

Graphiolum.

XXI.

COMMENDATIO hæc peregrini non vni, sed episcoporum alicui synodo adscripta reperitur. ex qua iudicium facio, quo loco & autoritate Fortunatus etiam presbyter apud plerosque extiterit Galliæ episcopos.

XXII.

Aredius Lemouix.

AREDIVS Lemouix rara fuit vitæ sanctimonia abbas. Apud Theobertum regem olim inter honorarios ephebos, & palatinos, in paucis gratiosus, Nicetij Treuirorum episcopi tandem hortatu, aulam summosque honores & vitæ commoda spreuit, amplissimum Christo pauperibusque patrimonium relinquens. Eius vitam & admiranda facta, prolixè cum alibi Gregor. tum lib. x. c. XXIX. exequitur, obijsseque testatur, anno Childeberti regis XVI. Guntrami XXX.

AD



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI

LIB. VI.

I.



SExtvs liber Heroidvm per me vocetur, cùm fermè versus habeat ad reges, & reginas, ſcriptos; aut alios eminenti faſtigio viros. Quod autem primo loco carmen ponitur, venuſtam id habet proluſionem ad inſequens epithalamium, argumento fœcunditatis, qua pulcherrimo anni tempore ver exuberat, ad tori iugalis caſtique conſortij fructum, traducto. Viſum alijs fuit pleriſque opuſculum à Fortunato ſcriptum De regno administrando, quod tamen cum alijs nonnullis iam exciderit. Sed mihi dubium non eſt, quin hoc ipſum poëma, in quo, ad cæteras regis laudes, varia regnandi quoque præcepta traduntur, eius opuſculi vicem impleat, cum titulos de induſtria nonnulli corruperint, vt identidem monſtraui. Sigebertvs autem rex, cuius hic nomen canitur, Mediomatricum & Auſtraſiæ dominus, memorabili fuit fama iuſtitiæ, religionis, laudiſque bellicæ. Is, cum fratres cerneret, degeneres & vſus publici vel ancillari ſorte mulieres adſciſcere in thalamum, ab eorum ſe inſtituto prudens abiunxit, memorque dignitatis, legatos in Hiſpaniam, cum multis muneribus ad Athanagildum Gothorum regem miſit; huius filiam Brunichildem connubio virginem ſibi ſociari poſtulans. Eam itaque pater, Sigeberti perſpectis opibus ac virtute, negandam haud ratus, ilicò magnis cumulatam theſauris cum dote in Franciam abire iuſſit. *Erat autem*, vt Gregor. libro iv. ç. xxvii. loquitur, *Brunichildes puella elegans ac venuſta*

Sigebertus rex Mediomatricum.

Brunichildes eius coniux.

 aſpectu,

aspectu, honesta moribus atque decora, prudens consilio, & blanda colloquio. Quia tamen Arrianis sacris à pueris imbuta fuerat, sacerdotum monitis ac institutione, adeoque ipsius regis opera perfectum est, vt animo mirabiliter immutato, beatam in vnitate confessa Trinitatem, ad Catholicam denique religionem accederet, & in eadem vsque etiam perseuerans, ad vberius ecclesiæ decus efflorescceret. Nuptias verò has tam Belgico populo salutares sub initium regni crediderim à Sigeberto peractas; anno circiter Domini DLXV. Principem verò legationis, qua nuptiæ in Hispania conciliatæ, Gogonem fuisse reperio, excellenti virtute & auctoritate virum, de quo lib. VII. canit Fortunatus:

Principis arbitrio Sigeberti magnus haberis
Iudicium cuius fallere nemo potest. &c.
Nuper ab Hispanis per multa pericula terris
Egregio regi gaudia summa vehis.

REGIA CÆSAREO.] Legatos à Iustiniano vel Iustino Imperatore in Austrasiam gratulatum accessisse, & cum alia Procerum multitudine, nuptiarum cumulasse lætitiam, hisce ex verbis, nec aliud conficio, quibus aulam regiam proficere dixit CÆSAREO IVGO, nisi quis in Athanagildi gente CÆSAREVM STEMMA, ceu laurum in mustaceo quæreret.

II.

IPSVM hoc Sigeberti & Brunichildis est EPITHALAMIVM; in quo plusculum sibi Fortunatus indulsit, prosopopeiæ insistens ex profanarum litterarum vsu; sed omni tamen Fescennina licentia remota, castè figmentum absoluit. Cupidinem itaque commune πάθος amantium inducit, tum omne genus vbiuis hominum ad amores sollicitantem, tum pectus denique regis Sigeberti, at castis tamen ignibus inflammantem: idque nuncium fingit, ceu lætum matri Veneri ferre, quo excita mox ipsa, proficiscitur ad tam nobilis coniugij thalamum ope sua condecorandum. Inde certamen laudis ineunt, hinc Cupido Sigeberti, inde Venus Brunichildis, ornamenta ingenij, virtutis, ac fortu-

Cupidinis & Veneris dialogus.

fortunarum, impensissimè ambo versu tollentes. Inuentionis character, vtique ex c. Soll. Sidonij Epithalamio, quod Ruricio & Iberiæ dixit, expressus.

QVEM NABIS (NABLIS) ECCE PROBAT.] Quærit Sigeberto gloriam ex progenitorum factis: meminitque SAXONICÆ & THVRINGICÆ expeditionis, quæ clade gentis & regum excidio inprimis fuit memorabilis. Miscet autem hic diuersas historias, quæ ab vno fermè Gregorio & ipso poëta illustratæ sunt. Nam primo, Theodoricus Chlodouei filius, & huius Sigeberti patruus, rem in Thuringia gessit, BADERICO rege domito, & prælio ibi superato. *lib. III. C. IV.* Posthæc, Cholotharius Sigeberti pater, Theodorico sociatus, Hermenefredum, qui rex in Thuringia superat memorabili ista ad internecionem regij nominis pugna superauit, apud ONESTRVDEM EICHSFELDIÆ fluuium, quem Vnstrudt/ hodie appellat vulgus. *lib. III. C. VII.* Iam vero quas olim strages Chlotarius in Saxonum gentem ediderit, ex lib. IV. Gregorij c. X. & XIV. facilè perspicitur. Porrò Saxonicam expeditionem, Nablis seu Nabi fluminis vestigio signat; vt vel hinc etiam prælij locus eruatur, de quo Gregorius verba facere videtur cap. X. vbi Chlotarium ait, tota peruagatum Thuringia, maximam partem delesse Saxonum. NABLIS autem seu Nabus non procul à Mœni, Salæ & Ægræ fontibus exoriens, Saxoniæ veteris confini agro, tandem haud procul Ratisbona Danubium ingreditur.

Nabis vel Nablis fluui.

Thuringica expeditio.

Onestrudis flu.

Huic illustrando loco apud Fuldensem ecclesiam monumentum reperiebam antiquæ traditionis, sic scedas appellabant donatiuas. Vbi legebatur de * Eistadiensi sede.

EISTAT IN PAGO NABELGOVVE.] cuius locutionis vim intelligunt eruditi.

* Eistat Episcopatus

NEC DIETHEVBERTO PIETAS.] Hic versus cum insequenti quondam mihi visus insititius, & nothus, ita vt vtrunque staret expungere, vel ὀβελίζειν: nam & in perfectissimo Treuirensi exemplari non reperiebam, &, quod molestius accidebat, obsiti vitijs sententiam hic totam auertere videbantur; sed trium tamen librorum non ausus intercedere suffragijs, huc tandē ire placuit, vt loco

Theodobertus Mediomatricum rex.

non mouerentur,& ab errore interea conualeſcerent. Pro DIETHEVBERTO Calar. & Venet. BERTONINI poſuerant,ſed MS. probatiora habuere THEVBERTVS. Et ſanè hic iſte ipſe eſt THEODOBERTVS Mediomatricum rex, quem prælio interfuiſſe Thuringico,cum Theodorico patre, Gregor lib. III. c. VII. prodidit. Huius pietate, hoc vnum ait, etſi non facilè quidem impetratu, Dei tamen conceſſu obtigiſſe, vt duos Thuringia reges, Badericum,& Hermenefredum,amitteret, ipſeque ſucceſſor demum Theodorici patris,vnus,ijs iam victis, rex paria faceret. Hanc ego ſententiam ijs ex verſibus olim conficiebam. Inſpectis inde in alijs exemplaribus pro eo, quod vulgaueramus, *perdidit iſta duos*, ſcriptum animaduerti, Sed dedit iſte duos, vt iam,ſicut olim de Thuringia, ita nunc de triumpho id accipi placeat, quo reges ambo ceſſere victori Franco. *Teneroſque ſuperuenit annis*. Familiare Sidonio ſuperuenire pro ſuperare. In aui Apollinaris Epitaphio.

Spe præcedere, quos honore iungas;
Quique hic ſunt titulis pares parentes,
Hos illis meritis ſuperuenire.

PRIMA EST IN PRINCIPE VIRTVS, ESSE PIVM.] Ad perniciem ergo reipublicæ natæ ſunt illæ Politicorum voces.

SANCTITAS, PIETAS, FIDES,
PRIVATA BONA SVNT; QVA IVVAT, REGES EANT.

Et verò remota PIETATE & iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia ait B. Aug. IV. Ciuit. c. IV.

CORRIGIT IN SE PRIVS.] hic verſus, vt & alij plurimi, ſicut in vulg. licenter mutatus, ita à nobis verecundè repoſitus. Maluimus enim extare eos cum proſodiæ, quam fidei iacturâ. Quod autem ad ſententiam, MERITO A CAPITE CENSVRA MANAT, QVANDOQVIDEM TANTI EST IN VTRAMQVE PARTEM PRINCIPIS EXEMPLVM, VT QVICQVID DENIQVE FACIAT, PRÆCIPERE VIDEATVR.

Iberus flu.

IBERO OCEANI SVB FONTE.] IBERVS notiſſimus Hiſpaniæ Tarraconenſis fluuius, cuius hoc proprium obſeruauit Nebriſſenſis; quod vnus ex omnibus Hiſpaniæ fluminibus in Auſtrum defluat, cum ab ortu in occaſum delabantur fermè cetera. Quia verò gens Hiſpa-

Hispaniarum vniuersa ab hoc fluuio nomen inuenit, merito Fortunatus ad eius regni fontes id nomen etiam profert. NAPÆA verò inter nymphas est, pro qua, errore prope inextricabili, vulgo legebatur, *Anaphæ*.

HISPANAM TIBIMET DOMNAM GERMANIA NASCI.] Id vsquequaque tum mirum. At iam vice versa in Austraicæ domus istuc honorem quadret. GERMANAS TIBIMET DOMNAS HISPANIA NASCI. Clarissimè vero hic Francici generis homines ad Germanicam originem reuocat, atque ab aduenis Francis, Germanis, subiectas Sigeberto Belgarum etiam prouincias, nomine Germaniæ censet. Franci Germani.

III.

SIGEBERTI & Brunichildis hoc proprium elogium, quo illius pace belloque laudes & victorias, præsertim Saxonicas & Thuringicas; huius autem susceptæ religionis Catholicæ, & deserti Arianismi, præcipuam gloriam commemorat. Rerum autem à Sigeberto in SAXONIA THVRINGIA gestarum, parum est clara apud scriptores memoria. Obseruo tamen ferocissimas quasque trans Rhenum gentes, aut eius paruisse imperio, aut amicitiam cum illo coluisse & fœdera. Vnde & ciuilibus bellis contra fratres suos fermè Germanorum arma atque robora Sigebertus commouit: magnumque ijs, trans Rhenum accersitis copijs, semper terrorem obiecit. *Gregor. lib. IV. C. XXXVII. C. XLIX. & L.* Perijt tandem fraude Fredegundis impiæ Chilberici coniugis, percussoribus immissis, apud villam Victoriacum, anno domini D. LXXIX, magna alioqui religione, & in Dei seruos munificentia. Sigeberti Thuringica bella.

SAXONE THVRINGO RESONAT.] De victoria sermo est. mendosè legimus aliquando. SAXONE THVRINGI RESONANT. Ex Sigeberti chronico ann. 556. constat, Thuringos in Francorum bellis auxiliares fuisse Saxonibus, iam inde à Clotharij expeditione. Sigebertum quoque regem & Hunnos in Thuringia vicisse ad annum 567. & Saxonum agros, qui Alboinum in Italiam secuti, diuisisse Sueuis ad ann. 568.

IV.

Chariberti regis Parisiorum encomium.

CHARIBERTI, vel vt alij, Chereberti, regis Parisiensiùm virtutes ad miraculum vsque præcellentes, inculcat, ideam in eo boni regis, Platonicorum more, id est separatam, minimeq; concretam efformans. namque in Chariberto harum virtutum spes, vt in herba fructus, solummodo laudatur. Probalile est etiã, hoc carmen scriptũ sub initi regni primordia, anno circiter Christi DLXV. Cum seipso mox deterior Charibertus, impius etiam, non tantum vita pessimus euasit: nam & in res sacras, atque episcopos se violentum intulit, & reliquum inde sexennium sacrilegijs etiam infame exegit. vt Gregor. notauit lib. IV. c. XXVI. & lib. I. mirac. c. XXIX. At quî fieri tamen recte potuit, ais, vt hunc Fortunatus extolleret laudibus? Respondet hic pro me Clarissimus Baronius, non post mortem, sed cum regnare cœpit, eum laudasse: cuiusmodi præconium & Nero commeruisse potuit, non malus omnino, primis imperij tribus annis, reipublicæ princeps. Quibus illud addo, principum laudes persæpe ijs esse parænefes, cum ea ipsis tribuimus, quę cùm serò abesse à se sentiunt, tandem ne derelicti à virtute, & furtiua onerati laude videantur, ad illa studiosius comparãda, animum appellunt. Atque ita in principibus fit, vt sæpenumerò laudemus, non tam illorum ornamenta; quam nostra vota ac desideria.

Romaniæ & Romanorum quædam raræ notiones explicatæ.

HINC CVI BARBARIES, ILLINC ROMANIA PLAVDIT.] Sic Treuir. Colon. Sangal MS. & rectè barbariam opponit Romanię: nam ROMANIÆ nomine censetur quidquid ab externarum gentium accessu, iurisque ac fascium mutatione intactum fuit, immo quidquid veteris Romani nominis, ac linguę cultusque studiosum. Vnde B. Augustinus in psalm. LVIII. *Omnes,* inquit, ROMANI *facti sunt, & omnes* ROMANI *dicuntur, Iudæi tamen manent cum signo, nec sic victi sunt, vt à victoribus absorberentur.* Ataulphus Gothorum rex placidiæ Theodosij Imp. toro sociatus, Orosio teste, olim obliterato Romano nomine, Romanum omne solum cogitabat Gothorũ imperium & facere, & vocare; essetque, vt vulgariter loquar, verba Orosij sunt, Gothia, quæ Romania fuisset. lib. VII. c. XLIII. Scitum illud est, ABSORBENTVR. Vnis enim exceptis Iudæis, qui hoc sua

hoc sua peruicaci obstinatione meruerant, omnes significat nationes transijsse suo tempore in nomen ac disciplinam Imp. Rom. vtpote cui erant aut armis, aut debitione, aut fœderum societate subditi. BARBARIAM vero probati authores eorum regiones hominum definiunt, qui à recta ratione, & cæterorum mortalium communi consuetudine abhorrent; vnde barbarica stoliditas, feritas, opes & opera vt quæ ab vsu reliquorum hominum valdè recedunt, & sapientiæ cæteræque rationis vix quicquam habent; quod Iosephus Acosta in Indicis. suis diligenter annotauit ex B. Thom. in epist. ad Roman. c. I. lect. v. Ceterum ex quo populi Romani dignitas, & opes cum imperio prolapsæ, ad exteras quoque gentes abiere; nomen etiam ipsum non sine irrisu à victoribus iuxtà ac victis exceptum est, ita vt antiqui moris & iuris homines, non citra probrum, ROMANI audirent. vsque adeo magno maiorum merito, & flagitiorum iusta mercede, ROMANI nominis & maiestas & gloria tandem euiluit. Hinc Saluianus quinto libro de prouidentia: vbi Præfectorum auaritiam & immanem dominandi libidinem oratione exaggerat, ROMANOS à suis oppressos, ait, in tantum, *vt multi eorum & non obscuris natalibus editi & liberaliter instituti, ad hostes fugerent, ne persecutionis publicæ afflictione morerentur: quærentes scilicet apud Barbaros, Romanam humanitatem; quia apud Romanos Barbaram inhumanitatem ferre non possent.* Et mox. *Itaque nomen ciuium* ROMANORVM *aliquando non solum magno emptum nunc vltro repudiatur ac fugitur, nec vile tantum, sed etiam abominabile pene habetur.* Enimverò hominibus in media barbaria natis, vt Gothis, Francis, Alemanis, Sueuis, Saxonibus more fuisse, nomini illudere ROMANO, tanquam suis institutis, ac nouis imperijs, parum accommodato, varijs ex locis ostendi potest. In Hispania certe, vt ex Isidori legibus constat, serò permissum GOTHO, vt ROMANÆ se matrimonio iungeret. Et Theodogisilus rex Gothorum in Hispania, cum de piscina quadam Lusitaniæ admirabili inaudijsset, quæ ad sacri baptismatis vsum prodigiosa scaturigine aquas ex occulto, statis Paschæ temporibus, euomeret, fide narrationi negata, *Ingenium*, aiebat, *hoc esse* ROMANORVM *vt ita accideret, nec vllam ibi existere Dei vi-*

Dei virtutem. vti lib. I. mirac. c. XXV. Gregor. Turon. ex quo hæc narramus: ROMANOS *vocitant, homines nostræ religionis*. Eximius in S. Seuerini vita apud Eugippium locus est, vbi hic Romanæ gentis contemptus, etiam in Norico & Pannonijs, correpentibus ad Dannubium Rugis, exemplo raro monstratus. *Febano, seu Feletheo Rugorum regi Gisa coniux erat, femina ingenio feroci, & in Romanos inclemente, quos propè à* * *Fauianis Danubio iubebat deduci, durisque conditionibus aggrauari. Quam Dei seruus S. Seuerinus, cum ad mitiora flectens rogaret, vt captiuos dimitteret, donaretque libertate, illa intemperanter exæstuans cella clusum, orationi vacare iubebat; sibi de seruis, vt pro nutu statuat, esse integrum debere*. Fiebat autem id, mirifico callidi dæmonis astu, vt Christianæ religionis & Catholicæ fidei splendorem apud efferas eas & malè domitas gentes, ROMANI nominis inuidia, opprimeret. Quo modo idem Gregorius de Ecclesia Agathensi testatur: cuius ecclesiæ possessiones cum Gomacharius Comes hæreticus vexatum ijsset, nec Leonis Episcopi monitis vllis precibusque cederet, tandem, vltione diuina castigatus, in febrium æstu: *Quid*, inquiebat ille, *putatis, quid isti nunc* ROMANI *dicant? lib. cit. cap. LXXIX*. Similiter Catholicos sacerdotes, ROMANORVM presbyteros vocitabant, *cap. XXC. ibidem*. Vnde Victor. lib. I. de Wandalica persecut. cum ARBOGASTEN beatum confessorem Theodorico Arriano principi placuisset capite truncari, vetitum scribit à Iucundo presbytero, dicente: SI GLADIO PEREMERIS, INCIPIENT EVM ROMANI MARTYREM PRÆDICARE. Perstitit ad Caroli magni, imo ad Ottonum vsque tempora hoc probri aut conuitij genus in exteris, cis transque alpes degentibus. Eius rei luculentum in primis legitur apud Wandelbertum in B. Goaris vita testimonium. Cella hospitalis, cum venerandæ structuræ templo, apud Rhenum, eo tum loco stabat, vbi hodieque S. Goaris oppidum visitur. Eam ASSVERVS probatæ vitæ nota Prumiensis cœnobij in Treuiris abbas, beneficio ac donatione Caroli magni impetrarat: cultumque templi iuxtà ac religionis & hospitalitatis, magna ibi gloria instaurabat. Hic fremere circùm habitantes barbari, ac NOBILES præsertim adhuc impij, sanctitatem memoriæ, peregrinantiũ concursus ferre animo æquo non posse.

* Fauiana seu Fabiana castra vel statiua CL. V. M. Velf. ad S. Seuerini vitam.

In his

In his REGINARIVS erat, qui, *vt VVandelbertus loquitur*, cum locum ſanctum ſperneret, ac omnes ROMANÆ nationis ac linguæ homines ita quodam gentilitio odio execraretur, vt ne oculis coram aſpicere eorum quenquam ſuſtineret, fortè tulit ita caſus, vt iſtac ei itineris cauſſa tamen eundem eſſet. Quare cum eccleſiæ appropinquaſſet, rogat ſeruum itineris ſociũ, vt ſi poſſit, ea ſe via ducat, qua conſpectum baſilicæ GOARIS, ROMANORVMQVE hominum, Aſſueri nempe, & eius comitum, declinare queat. Sed quam ſtolidiſſimi & barbari huius odij Reginarius denique mercedem tulit? nimirum vt effuſis cum abdomine viſceribus, paucos poſt dies infelicem vnà cum inteſtinis animam effunderet. Illuſtrius etiam huiuſce rei documentum ex legatione LVITPRANDI, Cremonenſis epiſcopi, quâ ille magni Ottonis iuſſu, Conſtantinopoli apud Nicephorum Phocam perfunctus eſt, in medium afferam. Extat ea in Treuirenſis eccleſiæ primariæ bibliotheca, de qua exemplar obuenit mihi iucundæ narrationis & Græciæ morum eius ſæculi plenum. Intolerandus eo tempore extitit Græcorum faſtus, ROMANI nominis vſurpatione inſolenter aduerſus omnes etiam exteras nationes ſeſe efferentium. Quo ambitionis genere, cum Italos & Longobardos, tum Saxones præſertim, ex quibus Ottonem prodijſſe non ignorabant, contentioſè premebant. Se PORPHYROGENITOS, & ſolos Auguſtos, ceteros barbaros, ſtolidos, & pellitos: ſe penes vnos ROMANÆ gloriæ & vrbis reſidere decus, ex quo Conſtantinus Imp. ſedem in Græciam tranſtuliſſet. Quid multa? Romanos iam gentium nuſquam, niſi in vna inueniri Græcia. Adhæc tum libera voce, & audacter Luitprandus, etſi non ſemel à Nicephoro ipſo repreſſus. *Nos, Longobardi ſcilicet, Saxones, Franci, Lotharingi, Boiarij, Sueui-Burgundiones, tanto* ROMANOS *dedignamur, vt inimicos noſtros commoti nihil aliud contumeliarum, niſi*, ROMANE, *dicamus, hoc ſolo* ROMANORVM *nomine, quidquid ignobilitatis, quidquid auaritia, quidquid luxuria, quidquid mendacij, immo quidquid vitiorum eſt, comprehendentes.* Atque hęc tum in Romano nomine conuitij ſeges inerat, cum ad Græcorum aut priſci gentilis populi ambitionem, poſteræ nationes id referrent. At Catholicorum ſemper extitit, eſtque hac tempeſtate ea vel præcipua laus,

Romanus pro Catholico.

quod illam aduersarijs etiam ROMANÆ FIDEI confessionem extorqueant, quam illorum maiores ad huius velut signum tesseræ, iam olim, vt diximus, oppugnarunt. Quid enim ad fidei nostræ commendationem gloriosius & prædicabilius esse potest, quã eius gentis & vrbis nos habere nomen ac symbolon, cuius iam inde ab Apostolis & ecclesiæ nascentis incunabulis FIDES ANNVNCIATVR IN VNIVERSO MVNDO? eius, inquam, nos ciuitatis esse colonos ac municipes, cuius arcibus (vt S Leo loquitur) BEATISSIMVS PETRVS PRINCEPS APOSTOLICI ORDINIS TROPHÆVM CRVCIS CHRISTI, PRIMVS INTVLIT. Grauiter ergo & prudenter id à Luitprando Cremonensi fuit episcopo dictum. *Non est à Græcis Romanus vilis tenendus locus, quia recessit inde imperator Constantinus*, nec ab Hæreticis, quia cum paganismo olim isticomnium grassata sacrilegiorum impietas, VERVM EO MAGIS COLENDVS, VENERANDVS, ADORANDVS, QVIA VENERVNT ILLVC APOSTOLI DOCTORES SANCTI, PETRVS ET PAVLVS.

Childebertus Chlodouei. F.

DE CHILDEBERTO VETERES COMPESCE DOLORES.] Sæpiùs iam nobis is commemoratur Chlotharij ipse frater extitit, Chlodouei filius & patruus huius Chariberti, apud Parisios rerum potiens. hic cum sub annum Domini DLX. excessisset absque heredis solatio, ei à Chlotario fratre successum est, à quo demum in Charibertum filium translata sceptra. Porrò quia fœmineam prolem, Childebertus susceperat, huius etiam tutela Chariberto deinde cordi fuit. Vnde Fortunatus.

Eius natarum est frater, & ipse parens.

Adi Gregor. lib. III. c. XXIV.

Sygambri vel Sicambri Francorum progenitores.

CVM SIS PROGNATVS CLARA DE GENTE SYGAMBER. Quæ lectio Treuirensi vtrique Colon. & Sangallensi MS. codicibus, imò & Gallicanis, Papirio teste, congruit. Quare factum imperitè, ne dicam perabsurdè, ab ijs, qui hanc prætulerunt. *De gente Giberti*, in qua tamen voce SYGAMBRI reliquiæ manent. Neque verò de nihilo fuit illa B. Remigij oratio, qua CHLODOVEVM iam sacro fonti insistentem allocutus fertur: MITIS DEPONE COLLA SICAMBER. eum è SYCAMBRORVM Germaniæ gente ortum significans. *Greg. lib. II. C. XXXI. Hincmarus in vita S. Remigij*. Atque hæc etiam verba

in Rhe

in Rhemorum ciuitate marmori insculpta extitisse narrat Trithemius. Et Stephanus Forcatula libr. VI. de Gallorum imperio ac philosophia, versu ea testatur B. REMIGIVM ELOCVTVM.

Hoc bene sit: mitis submittis colla SICAMBER.

Quin hanc nostram quoque lectionem ante multos annos obseruauit Ioannes Tilius. Nam lib. I. rerum Gallic. *Fabula*, (inquit) *de exstructa per Francos vrbe* SICAMBRIÆ *ante Fortunatum episcopum Pictonum nata est, qui Regem Charibertum laudat, quod Latinè sciret, quamuis à* SICAMBRIS *ortus.* At falsus hic vir bonus in eo, quod Fortunatum in luce gentis Sicambricæ, vt bis, nescio cuius, consectari putet tenebras. Enimuerò, vt vrbem Sicambriæ in præsentia mittamus. SYGAMBRORVM profectò, in historia, fama vetus nec obscura est. Eos lib. IV. belli Gallici nominat Cæsar, ET INFRA VBIOS TRANS RHENVM LOCAT. Is namque, vbi maximis operibus exstructo ponte, copijs traductis, infesta in SICAMBRORVM fines signa inferri iussisset, illi solitudinum ac nemorum se latibulis defendentes, vim Romani exercitus cohibuêre; quamobrem, irrita re Cæsar istinc in fines se Vbiorum recepit. Confines ergo, aut certè proximi SICAMBRI erant Vbijs. Cæsari consentit Strabo libr. IV. qui & iuxta Menapios ijs domicilia, sedesque attribuit. Cùm autem Menapios ipse tradat, ætate sua fuisse πλησίον τῶν ἐκβολῶν ἐν ἑκατέρᾳ τοῦ ποταμοῦ κατοικοῦντας ἕλη καὶ δρύμους, id est, versus ostia Rheni extremos, vtramque Rheni fluminis ripam accolentes in palustribus ac dumosis locis, haud difficulter, in vicinia, Sicambrorum regio monstrabitur, sed illa tamē nō fixa aut stabilis; etsi, vt animaduerto, proximè ab inferiore tractu Rheni, & infra Agrippinenses. Motos namq; varijs ostenditur argumentis. Nā, vt vetustiora sileā, sub Augusto Dion. lib. LV. memorat, in deditionē acceptos, alioq; translatos, & Augusti imperio dispersos. Locū eū Dionis, cū gente Sygambrorū, eruditè vindicauit Lipsius antiq. lect. li. I. c. VI. eaque Dionis lectione nō magis ipse Fortunato, quā Fortunat⁹ ipsi suffragatus est. Vtriq; verò Strabonis loc⁹ à me citat⁹ adstipulatur κατὰ τούτους, Menapios inquit, ἵδρυνται Σύγαμβροι Γερμανοί. Demigrationis autē huius testis ptereà Suetoni⁹ in Augusto. *Sueuos & Sygābros dedētes se in Galliā traduxit, & in proximis Rheno agris collocauit.* Huius se facinoris ducē

Sygambrorum gentis celebrata vetustas, & inuestigatæ sedes.

ipſe gloriatur Tiberius Annal. II. Taciti. *Se nouies ab Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio, quam vi perfeciſſe: ſic Sygambros in deditionem acceptos.* Horatius idem etiam Auguſto gratulatur. libr. IV. od. XIV.

Te cæde gaudentes Sicambri
Compoſitis venerantur armis

Et manſerunt ſub Domitiano in fide & obſequio; cum Martiali teſte libr. I. Epigram. III. Romæ otioſi ſpectatores, theatra frequentarent.

Sygambrorum habitus.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Aethiopes.

Extat Maguntiaci in D. Petri veteris ædis veſtibulo egregius lapis, ſculptura equitis barbarum infeſto ſpiculo ſub pedibus prementis. Porro barbarus is, crine in nodum vertice tenus colligato, hunc Sicambrorum habitum, de quo prolixè V. C. Iuſtus Lipſius ad Taciti Germaniam, ad viuum exprimit; cetera nudus, iuxta poſita clauâ, vel ſimili quo telo, iacens. Sicambros autem vſque ad inclinantis imperij Romani tempora inferas Rheni partes inſediſſe, indeque paulatim fretos magnitudine virium conceſſiſſe ad propinquiora, omnium eſt fermè ſcriptorum conſenſus. Sane Diuæus, Iunius, Turnebus, Marlianus, Goropius, Ortelius, Paulus Iouius, & quotquot alicuius nominis recentiores, tam conſtanter ijs Cliuienſium & Gelriorum ſedes attribuunt; vt, qui plurimum alijs ceteroqui locis, inter ſe diſſident, in hoc conſpirare videantur. Et verò ne conuenientiores quidem, arte Geographica duce, ſedes ijs aſſignari poſſe, quàm apud extrema fluminum Vahalis, Moſæ, & Rheni, multifariàm ex Claudiano doceri poteſt. Is namque libr. I. de laudibus Stiliconis, cum eius in barbaros Rheni accolas expeditionem, deſcribit: ab ipſo fluminis capite, ad illius vſque diuortium, tropæa proferens, denique Sicambrorum & Francorum Saliorum hic obuios reges eum habuiſſe canit, de pace ſupplices, ceu ὁμοεθνεῖς tunc & gentiles vtroſque perpetuò coniungens.

Sygambri ſedere quo hodie Cliuij & Gelrij.

Impiger à primo deſcendens fluminis ortu.
Ad bifidos tractus & iuncta paludibus ora
Fulmineum perſtringit iter.

Et mox.

Et mox.

——————— *Pax à fonte profecta*
Cum Rheni crescebat aquis, ingentia quondam
*Nomina *crinigero flauentes vertice reges* &c. *cirrigero
Iussi properant, segnique verentur
Ostendisse mora, transuecti lintribus amnem.
Occursant.

Subinde pacis huius euentum amplificans.

——————— *Rhenumque minacem.*
Cornibus infractis adeo mitescere cogis,
Vt Salius iam rura colat, flexosque Sicambri
In falcem cernant gladios.

Et ne de Sicambrorum situ adhuc hæreres, addit, Chaucis, Frisiisue, ac proinde etiam, extremis Belgarum agris fuisse finitimos: & alicubi, solo amne discretos. Frisijs finitimi.

Vt iam trans fluuium, non indignante Cayco
Pascat Belga pecus.

Nec verò mihi quis illud eiusdem poëtę ingerat, ex epithalamio Honorij & Mariæ, interiora magnæ Germaniæ loca Sicambris Francisque tribuentis.

——————— *Iam Rhenus & Albis*
Seruiet, in medios ibis Regina Sicambros.

Et quæ nexa erant, citatis antea versibus.

——————— *Mediumque ingressa per Albin*
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Respondero Claudianum hîc poëtica prouectum licentia, ex parte quadam subiecta nationis, Germanorum genus significare vniuersum. Quo modo Procopius 1. belli Gothici Francos cum Germanis confundens. *Paludes*, inquit, *hisce in locis* nempe vbi in Oceanum Rhenus influit, *non pauca, vbi primitus Germani, gens barbara, habitabant, qui Franci nunc vocitantur.* His autem Francis Sycambros equidem accensere non dubitem, quos Propertius gratulatur Augusto subiugatos. lib. 4. Eleg. 6.

Ille paludosos memoret seruire Sycambros.

Sed & Claudianus operam alio loco dedit, vt cùm propria cuique metare-

metaretur, hanc quoque latitudinem restringeret, aliosque Albi fluuio habitatores assignaret. Nam à Sicambris exorsus in Panegyri ad IV. Consulatum honorij, ait:

Ante ducem nostrum flauam sparsere Sicambri
Cæsariem, pauidoque orantes murmure Franci:

Inde interuallo, de Alemania loquens, gentes interiores, & Rheni Albisque mediterranea expressit.

——————— *Venit accola sylua*
Bructerus Hercyniæ, latisque paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquere Cherusci.

Iam verò hæc eadem Apollinaris Sidonius quæ de Sicambrorum regione, ac sedibus hucusque diximus, affirmat vtique testatius, cum has ipse gentes Galliam tum incolentes familiarius noscitaret, omniaque eorum latibula diligentius explorata haberet. Nam Catulino scribens, ad versus solicitari se ab eo miratur.

* cirrigeras.

*Inter * crinigeras situm cateruas,*
Et Germanica verba sustinentem.

Consentium verò præstantissimum toga militiaque virum, vbi ob oris facundiam extulit, Francos vnaque Sicambros eius ostendit eloquentia mansuefieri posse, vtrosque ijsdem includens sedibus.

Tu vidrum (alij Tuncrum) & Vachalim, Visurgin, Albin.
Francorum & penitissimas paludes
Intrares, venerantibus Sicambris,
Solis moribus inter arma tutus.

Alibi Maioriano Augusto lætiora optans, Sicambros ad ripas Vahalis fluminis tam claris verbis locat, vt nil iam amplius testari necesse sit.

Sic ripa duplicis tumore fracto,
Detonsus Vachalim bibat Sicamber.

In panegyrico Auito dicto, iuxta Rheni item diuortia eos describit.

———*Et flauis in pocula fracte Sicambris,*
Rhene tumens.

Fracti verò hic Rheni pocula bifidi fluminis cursus ex celebri apud ve-

apud veteres fluminum pictura vocauit; nam Rhenum apud principium agri Bataui velut in duos amnes diuidi, nimium quam manifestum est. Habes ergo Sicambrorum regionis situm, sed vt in antiquæ memoriæ vestigijs tenuiter magis adumbratum, quam subtili finium circumscriptione definitum. Sicambros verò, qui scribunt olim in mores ac ius concessisse gentis Francicæ, adeoque in gente Francorum denique numeratos, ij & priscorum mihi literis consentanea loqui, & Fortunatum hic grauissimum adferre pro se testem haud immeritò videtur; siquidem eius ætate apud ipsos Francos, hęc celebrabatur opinio, vt huius annotationis ingressu ostensum est. Quare nec in omni parte Sigebertus exordio Chronici reprehendi possunt, quod Sicambros asserant tandē nuncupatos fuisse Francos: à Valentiniano imperatore, an attica lingua, ipse viderint. Quemadmodum nec ij culpandi, qui SICAMBRIAM aliquam cū Claudiano agnoscunt, an illam tamen in Pannonia; vel apud Mæotidos paludes incertū, quam forte non magis istic vnquam extitisse dixerimus, quàm Heraclidæ Abarin, aut Mori Vtopiam. Ex ista vero, prodidit Claudianus, lib. 1. in Eutropium, aliquando Stiliconis opera milites transcriptos, & in disciplinam Romanam accersitos.

Sygambri tandem cum Francis confusi.

Sicambria non fabulosa.

——————— *Bellorum alios transcribit in vsus;*
Militet vt nostris detonsa Sicambria signis.

Hanc vero fabulosam, vti reor, monstrare nituntur Paulus Æmilius, Trithemius ex Hunibaldo in Mœotis paludibus, Lazius & Bonfinius in Pannonia. Stephanus Forcatula in ipsa hac, vbi hæc scribebamus, Franconia. Peruetustus scriptor vitæ B. Hildulphi; in Treuiris: quandoquidem S. Hildulphum ex Noricis inquit eò concessisse in Sicambriam. etsi hic etiam pro Austrasia accepisse videri queat. Et dignum obseruatione puto, quod Ado Viennensis bonus Gregorij Turonici interpres, migrationem Francorum duplicem celebret, siue id de vniuersa natione, siue vt equidem accipio, de eius aliqua parte intelligas. antiquiorem ex traditione, qua egressi dicuntur à Sicambria quacunque tandem illa locorum, peruenerūt in extremas partes Rheni fluminis. Et hic appetitos il-

titos illos à Romanis ex panegyricis, Sulpitio Alexandro, Renato profuturo, quos testes laudat Gregorius hist. Franc. lib. 2. c. 9. abūde liquet. Alterā recentiorem, post Phara mundū ex vicino Franciç Orietalis solo in Thuringiā, vbi crinitos reges sancita nouà regni forma scilicet, habere cœperunt. vnde clarioribus verbis præ Gregorio, chronologus Ado, primus ex Francorum Chlodio (Pharamundi F.) à castro Thuringiorum Dispurgo profectus Rhenum transijt, superato Romanorum populo, Carbonariam siluam tenuit, vsque ad Camaracum venit, ibique interfectis Romanis sedem sibi statuit. sic ille. At priscos illos qui Agrippinensium & Treuirorū hostes, equidem ex inferioris Rheni oppidis quà pridem captis in Germaniam II. & Belgicam irrupisse & infestasse crediderim, cum Valentiniano & maximo Impp. per Bructeros & Ansriarios Romanum secundis á Nouesio castris Francos adijsse & vltionem ab ijs expetijsse, diserte meminerit Sulpitius Alexander.

V.

Theodechildes.

DE Theodechilde regina actum nobis lib. IV. ad poëma XXXV. hoc autem carmen fermè totum ad ann. DLXXII. CL. Boronius vsurpauit. Charibertus autem, rex cuius encomium iam prçcessit, vxorem habuit eiusdem nominis, quam, quo nequis cum hac lectissimis moribus regina confunderet, prolixè Baronius ibi cauit.

VI.

BERECHILDES vel Bertechildes, vt Sangallense legit, potens & locuples in sçculo virgo, Christi amore, castitatem perrennem & pudicitiam complexa, fortunis & amicis nuncium remisit, seque ipsa Deo sacrauit· Denique patrimonium amplum in pauperes distribuens, magnæ Christianæ liberalitatis & integrioris vitæ laudem meruit.

VII.

Gelesuinta regina.

GELESVINTA Athanagildi Gothorum in Hispania regis & G. isuintæ reginæ filia, sororque Brunichildis Sigeberti coniugis, ma-

gis, maxima nuptiarum ambitione, à Chilperico Chlotarij filio, rege Sueſſionum expetita, regali tandem inſtructa dote venerat in Gallias, eo ſplendore & adparatu itineris, qui à rege potentiſſimo eius patre exſpectari merito poterat. *Gregor. libr. IV. C. XXVIII. Aimoin. lib. III. cap. V.* promiſerat Athanogildo Chilpericus, concubinas ac fœminas omnes, quas in delicijs habebat, præ hac continuò regia ſe eiecturum vniuſque Geleſuintæ thoro ac fide contentum, illicitis poſt hac temperaturum. Sed inter maleſuadum amôrem & regiam licentiam fides promiſſis data cecidit, cum præceps libidine Chilpericus, abiectæ Fredegundis deſiderio rurſum exarſit. Iam Geleſuinta Catholicis imbuta ſacris Arrianæ peſtis errores animo excluſerat: optimiſque regina moribus inſtituta, ſe indignis modis abijci infra pellices, & parum honorificè haberi queſta, officium à Chilperico boni coniugis efflagitabat, quod ni faceret, Hiſpaniam, vnde veniſſet, cum theſauris ſe mox repetituram. At Chilpericus blandè verbis in præſentia demulcens iratam, dolum interea, quo Geleſuintam vita eijceret, excogitat. Immiſſis itaque in thalamum pueris, ſugillari eam iuſſit; ſicque in ſtrato componi, ceu ſua ſubito morte exſtincta foret. At facinori tam immani vltrix e veſtigio Dei ira inuigilauit. Geleſuintam innocentem gloria, regem parricidam dedecore plectens. Siquidem prodigia cœleſtia mortem reginæ, at tyrannum ſolemne malum, fuga & deiecto conſecuta. Hac itaque elegia Fortunatus acerbum & luctuoſiſſimum illum reginæ caſum flebiliter exequitur, & ſtructura poëmatis haud pœnitenda, quid ingenio valuerit, facilè peritum æſtimatorem docet. Porrò quæ hic Geleſuinta, ab alijs Galſonta, & Galaſuentha, inſtar illius, clariſſimæ apud Caſſiodorum, Amalaſuenthæ. Gregorio autem Galſuintha dicta fuit: à quo quidem in mortis genere, quod forſan aliquis exiſtimet, nihil admodum hic poëta variat; quandoquidem non magis pugnant, ſubitò & violenter interire, quàm florem manè natum, meridiè ſolis æſtu, marceſcere; vt qui florem recèns natum emarcuiſſe tradit, iccirco vi flagrantis ſolis occidiſſe, inficias non eat. Totum hoc poëma in vulgatis præter iliadem mendorum, quibus hic liber ſcatuit, mirè perturbatum extabat: ita vt eius magna pars, ex ſexto in octauum

Chilberici mariti libidine & amentia perit.

librum translata, carmini, quod illic ponitur de virginitate, contexta sit, hoc vero in libro, rursum simili errore, idem poëma versibus claudatur ex septimi libri poëmate sumptis Bodegisilo Duce; prorsus, vt vnum in tria discerptum argumenta, cento potius quam integrum poëma euaserit. Restituimus itaque, & artus corpori reddidimus suo præsertim Coloniensis & Sangallensis librorum ope.

Toletus vrbs Hispaniæ.

TOLETVS GEMINAS.] Turres ait geminas ab vrbe Toleto Galliæ mitti, Gelesuintam puta & Brunichildem sorores Toleti in regia Athanagildi educatas. TOLETVS autem etsi Τώλητον Ptolomæo, & Geographis alijs TOLETVM, Carpitanorum vrbs in Hispania Tarraconensi, vsurpauit tamen Fortunatus, quemadmodum & ante ipsum alij, Moguntiacus, Argentoratus, Pictauus.

Currit ad amplexus Goisuintha tuos.

De Gelesuintha filia Goisuinthæ sermo est. Goisuintham vero iam aliquot locis reponimus, quam libri perfectiores nobis reddiderunt. Eamque Hispana historia coniugio Athanagildi sociatam agnoscit. Consule Marianam lib. v. c. IX. qui maritum decessisse scribit Toleti, salutis annno DLXVII. quem Sigebertus regnasse vult annis XXII.

Francorũ Germania parens.

INSTANT LEGATI GERMANICA REGNA REQVIRI.] Appellat etiam hic Francorum iam tum in Gallijs dominantium regna Germanica, originis & gentis, vnde venerant, rationem habens.

* Sarracum.

*SERRACO IN PONTE RETENTO.] Mireris vocem illam erui potuisse tam vbique condita latebat, sed iam certus eram Fortunato non minus fuisse notam, quam olim Quintiliano & Ciceroni. Aliubi enim clare de Rhadegunde regina Thuringica dixerat.

Sarraco quondam subnecta superbo.

Et quî aliter sententia hic defendi potest? quod enim in vulg. legitur. *terra cum ponte retenta*, id prorsus ἄτοπον, & ridiculum est. SARRACVM vero genus vehiculi, etsi apud antiquos non cultioris, hoc tamen Fortunati sæculo, in honore fuit. *An cum dicu in*

cit in Pisonem Cicero, ait Quintilianus, *Quum tibi tota cognatio in Sarraco aduehatur, incidisse videtur in sordidum nomen?* Et Iuuenalis Sat. v.

Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.
Gentem, animos, mores; oppida, rura, nemus.

Quam id venustè præ illo, quod ante irrepserat,

Quos mores, animos.

ET DE THYRRENO.] De Hispaniæ situ loquitur, qui eiusmodi est, vt ex Tyrreno versus Herculeum fretum vergat in Oceanum. Calar. habebat, *Et de stirpe Noti tendis in Oceanum*: quod nec longè abit à sententia. Clauditur enim à meridiè Hispania freto Gaditano: ex quo procliuis in magnum illum & Atlanticum Oceanum est cursus. Thyrrenum.

IVLIVS ALGET AQVIS.] Extremis Pyrenæi iugis versus mare mediterraneum oræ Gallicæ Iuliorum nomen indere videtur: cum alioqui Iuliarum Alpium in Italia vt nomen illustre, sic discrepantissimus situs. Adi Iosiam Simlerum de Alpibus, & Ortelij Geographica Synonyma; ipsumque Fortunatum lib. IV. vitæ S. Martini. Alpes Iuliæ in Pyrenæo

EXCIPIT HINC NARBO, QVA LITTORA PLANA REMORDENS
MITIS ATAX ROTHANI MOLLITER INTRAT AQVAS.]

Narbo Tectosagum olim in Gallia Narbonensi vrbs, quam Decumanorum ait fuisse Coloniam Plinius. Celebrat propriè eam Ausonius. Martius Narbo & Pomponio dictus. Hic autem vel maximè exprimitur, quia à Gothis tunc, ex quibus Gelesuinta, habitabatur: vnde & B. Eulogius in epistola ad Wiliesindam, Galliam Narbonensem appellat Gothiam, vt à Wandalis pars Hispaniæ ea, quæ hodie Andelusia, olim est dicta Wandalicia, & hac ætate, quæ apud Barcinonenses Gotholania prouincia, eam sic volunt à Gothis & Alanis olim incolis appellatam: Etsi Mariana noster, libr. VII. cap. XI. à Catalaunis Galliæ populis deriuari malit. Attestatur Papir. Massonus Go- Narbo.

thiæ vel Landgothiæ in corrupta voce Languedoc pro landgot vestigia apud Narbonenses manere. Acutius Sirmondus noster; quia Septimania primas in Galliâ Gothis sedes dedit, appellari ita cœpisse primam Narbonensem, in qua septimanorum colonia fuit, Languadociam, quasi à Gothis dicta fuerit Landgothia. Ceterum Atacem ex Sidonio pro Arari restituimus, vbi Sirmondus noster Narbonem à fluuio hoc allui disticho Fortunati confirmauit Sidonius etiam Narbonem alloquens, Gothorum rebus studijsq; tunc addictum mirificè laudat tanquam insignem

Septimania prima Narbonensis languadocia landgothia.

Muris, ciuibus, ambitu, tabernis.
Portis, porticibus, foro, theatro,
Delubris, capitolijs, monetis.
Thermis, arcubus, horreis, macellis,
Pratis, fontibus, insulis, salinis,
Stagnis flumine, merce, ponte, ponto.

Missi, pro legatis & litteris.

SÆPE TAMEN MISSIS.] Prauè in vulg. *mitis*. MISSIS autem pro litteris aut legatis accipit. quo modo ad Artachin ex personaRhadegundis scripsit alibi,

Meque monasterio missis, rogo, sæpe requiras,

Et in legibus Francorum ac Ripanorum vsus est, Legatos appellare MISSOS DOMINICOS. quorum in Austrasiæ regno dignitas fuit amplissima.

Vigenna flu.

VIGENNÆ.] Ista scriptura placuit; quam & in hac voce Aimoinus lib. I. c. XXI. retinuit. Est autem VIGENNA siue VIENNA hic riuus, haud procul Lemouicibus exoriens, qui comitatus alijs mox aquis tandem subit Ligerim, cuius & hic mentio. Porrò VIGENNÆ clarior apud posteros vel hoc nomine memoria, quod Clodouæo regi aduersus Gothos in bellum eunti, ceruæ indicio eius vadum mirabiliter monstratum perhibeat *Gregor. lib.* II. *cap.* XXXVII.

Rhotomagum.

QVA SE PISCOSO SEQVANA FLVCTV.] Nuptiarum celebritatem Rhothomagi peractam significat, notatque in regni, non solum thori consortium admissam Gelesuentham: quippe veteri Francicæ gentis instituto subditi quoque sacramento in Reginæ iurare verba adacti; memorabili obseruatione ritus inaugurandi tum apud Francorum reges vsurpati. Dignum itaque quod memoria teneatur distichon illud.

Francorũ ritus inaugurandi.

Vsque

Vtque fidelis ei sit, gens armata per arma
Iurat, iure suo se quoque lege ligat.

NASCITVR HIC SVBITO.] Id miraculum Gregorius etiam æternæ memoriæ consecrauit, Dei magnam in eo virtutem prædicans, lib. IV. Franc. hist. c. XXVIII. *Lychnus enim, qui fune suspensus coram sepulchro eius (Gelesuinta) ardebat, nullo tangente, fune disrupto in pauimentum corruit, & fugiente ante eum duritie pauimenti, tanquam in aliquod molle elementum descendit atque medius est suffixus* (suffusus) *nec omnino contritus.* Fortunatus etiam huius magnitudinem miraculi pro exploratæ innocentiæ ac fœlicitatis iam partę documento accepit. Lychni miraculũ.

Vita signa tenet, vitreo cum vase cadente,
Non aqua restinxit, nec petra fregit humi.

PARTITIS LACRYMIS.] Brunechildes in Austrasia cum Sigeberto degebat, quæ regni amplitudo in Germaniam, & Belgas excurrebat; ei itaque merito Rhenum & Batauum axem, iuxtaque Vachalim fluuium tribuit, forte ad primores etiam Sicambrorum sedes respiciens. VACHALIS autem alter est Rhenus, alueo diuerso ad caput Batauiæ discretus, lapsusque in occasum Belgicam Galliam NEOMAGO tenus apperit, quam vrbem Francorum regum palatio olim insignem latior etiam & placidior alluit; ac inde digressus demum cum MOSA auxiliares vndas iungit; etsi Pomponio Melæ Rhenus appelletur, donec in mare se exoneret. Vahalis autem, quod scribunt alij, id vsui vernaculo magis affine est. Tagum vero & Bœticum axem Gelesuintæ matri assignat, tum quia ista pars hispaniæ Athanagildo parebat, tum quia Toletum Tago fluuio assidens, Regum Gothorum erat domicilium. Austrasiæ fines. Vachalis. Tagus flu.

VIII.

VLTROGOTHO Childeberti regis coniux, clarior religione, & D. Martini cultu, quam splendore vitæ fœmina. Eius peregrinationem ad D. Martini, omnibus Christianæ pietatis & submissionis animi exemplis abundantem, non tacuit Gregorius lib. I. mirac. S. Martini c. XII. eaque annalium suorum monumentis etiam Baronius propagare studuit ad annum CHRISTI DLXI. Vltrogotho regina

Recentiore Aimoini editione, inter Mausolea, quæ Parisijs adhuc in templo S. Germani à Pratis supersunt, ipsius numeratur & mariti, plano lapide absque vlla cælatura, parumque compertum aiunt, vnde genus, nisi quod ex Hispaniensi Gothia profectum putent. Eius in vita S. Balthildis fit mentio.

IX.

CANTVS BLANDVS.] id prædio nomen, ab auium fortè concentu loci amœnitatem captantium. Forsan ex possessionibus Aredij, quem hic Fortunatus, & nos ad lib. v. memorauimus. Titulus epigrammatis variam recipiebat lectionem; nam vulgata. *de Roma dictam*. Colon. *de bonis*. At S. Galli codex *poma* exprimebat. Vnde non dubitaui, quin reponendum esset: DE POMIS DICTVM. ipsique versus testantur.

Vndique concurrunt variato mala colore,
Credas vt pictas me tetigisse dapes.

Explosimus autem. FAVCE ASSVRGENTE VORAVI, longè meliore se offerente: FAVCE HAVSI. DENTE ROTAVI.

X.

Fortunatus apud Mettenses agit.

VENERAT in Mediomatricum vrbem Fortunatus, sedem eo tempore regiam; ibique nauigium cursui expeditum adeptus, cùm Mosellæ se committere parat, cocus regius interueniens, erepto nauigio, moram festinanti molestissimam inijcit, quare ad regē ipse reuersus, Villici episcopi Mettensis, Gogonis, Ducis & Pappuli Comitis amicorum ope implorata, & copiam nauis obtinuit, & destinato se mox cursui reddidit. Ceterum hoc argumentum poëmatis, deprauatione versuum sic in vulgatis latuit, vt castigatione dempta, erui potuisse vix crederes. Nam vbi nos restituimus. *Venimus vt Mettin, cocus illic. &c.* legebatur. *V. vt mesti locus.*

APOLLONIIS.] Apollonia in insulis reperitur Epiri. Treuirensis M.S. *Apollonius* habebat, vt quadret in Tyanęum, qui inter Bitienses longè primus: aut in Rhodium, qui Argonautarum errores descripsit.

FRIXVRÆ, CVCVMÆ.] Vulg. *Luxuria cucumen.* sed cum coco ei res erat, cuius personæ aptiùs ista nectuntur: CVCVMA namque ahenum est, aquæ calfaciundæ. vnde vetus poëta,

Tor-

Torquatus nitidas vario de marmore Thermas
Exstruxit; CVCVMAM *fecit Otacilius.*

NAVRIACVM VENIENS.] Mirè hic discrepant antiqui libri. Vulgati retinent *Nauita*. Suspicor vehementer Nanciacum esse legendum, quo tum, vt in vicinum locum rex Sigebertus cum aulâ digressus sit. NAVRIÆ enim seu NAVRIACI nullum, toto Mosellę tractu, superest vestigium. At NANCEIVM vel NANCIACVM oppidum hodieq; floret, Ducum Lotharingiæ perpetua sede, quemadmodum & olim in imperio Romano, obscurum non fuit, NASII vocabulum ferens; nisi corruptum id sit ex NANSIO, in itinerarijs. Nanceium.

XI. & XII.

DYNAMIVS Prouinciæ & Massiliæ Rector, spectata fuit apud suos auctoritate, sapientiæ & virtutis opinione, eũ apud Francorum reges locũ adeptus, vt Procerũ inter primos longè ipse esset clarissimus. Quare & latè vagata hominis gloria, Fortunatũ in Austrasiæ regnum ex Italia primum tunc venientem pellexit, vt eius gratiam amicitiamque, licet & ignoti & absentis, ante omnia sibi quærendam duceret. Vtrumq; poëma, accuratiore, vt apparet, meditatione respersum hoc ordine dedit, vt quod hic postponitur, prius missum ad Dynamium videatur; nam in eo, quod præcedit, iam tũ sibi visum eum cognitumq; scribit, quando ad eum illud mittebat. Datum verò vtrunq; apparet, ante exortam in vrbe Massiliensi eam tempestatem, qua Dynamius, inita cum Clero cõiuratione, Theodoricum episcopũ mirè exagitauit. Quo tempore, grauis Guntramum inter & Childebertũ eius nepotem simultas exarsit: Childeberto Massiliæ sibi partem à maioribus iure relictam vindicante, & Gundulphi legati virtute atq; armis, vrbem eam demum in potestatem redigente suam. Qua de re pluribus agit Greg. lib. VI. c. VII. & XI. Inimicitiæ autem hæ quemadmodum, restituta pace, ceciderint, memorat idem lib. IX. c. XI. Quæ ita à nobis dicta, quia calce posterioris poëmatis, celebrat Theodorum, Iouinũ Albinumque, ceu integra tum adhuc amicitia concordes, quorum partim constat distractis animis, paulò post inter se dissensisse, partim grauibus inuicem iniurijs etiam affecisse. Theodorus enim episcopus à Dynamio & de ecclesia sua deiectus, & calumnijs appetitus apud Guntramum

Dynamius Massiliæ rector.

Dynamij casus.

mum

mum regem, in capitis etiam discrimen adductus est. Iouinus autē Exrector prouinciæ, Vcecensis episcopus à rege nominatus, consilio item & potentia Dynamij excussus est. At Albinus Dynamij quidem fauore sublatus, cum regis gratia careret, matura morte periculo ereptus, dedecus, quod imminebat, euitauit.

Clueclancus.

CLVECLANCE DYNAMI.] Vulg. hîc, *dic lance:* alij aliter. Clueclancum dixit hæc ætas, gloriosum ac famosum, vt disertè glossa Treuirensis exemplaris in margine monebat. Klanck enim in Germanico manet etiamnum περὶ τὸ κλάγγειν. Vnde & Homerus μεγάλην κλάγγην vsurpauit. Notherus celebris S. Galli monachus in cuiusdam cantilenæ notis K. licet apud Latinos, inquit, nihil valeat, apud nos tamē Alemannos Chlenche, id est Clange, clamitat. Cluo verò notius est, quam vt explicetur. Si itaque, Tullio autore, gloria nihil aliud est, quam frequens de aliquo fama cum laude, meritò qui virum eum gloria dignum censeat, de cuius virtute cum sonitu eat per hominum ora laudatio.

Orbis quadratus.

FONTE CAMÆNALI QVADRATO SPARGERIS ORBI.] Quem versum mirè distorserant vulg. *Fonte tamen aliquo tranato.* Orbem quadratum appellauit, à quatuor præcipuarum collocatione plagarum, in quas vulgo terrarum orbis describi solet. Neque verò operæ aut loci huius est. differere de orbis figura, nam eiusmodi παρεκβολὰς haud sine intemperantiæ quidem notâ, huc accersiero.

Elisis.

ELISI.] Elisim. Leusam siue Lisamitem Leudos, siue Liedos pro cantilenis, & rythmis, vulgo apud Francos & Alemannos cani solitis, à Fortunato accipi, aliquammultis locis obseruare licet. Manentque in Germanica lingua etiam ad hæc tempora, siue domi nata sint illa, siue, vt suspicari soleo, à notissimo illo, ἐλέησον, quod Christianis cum primo lacte instillari solet, è religionis nostræ parentibus, Franci Germanique didicerint. Certum est in Belgis, natalitia illa carminum oblectamenta, quibus nascenti CHRISTO à puerili ætate accini solet. dici Leysen/ grauiora autem vulgo cantica Liedt & Lieder. ARCHITYPHO, hic pinguiore significatu pro inflato accepit & grandisono. Vt pro *sono* legit Parisien. & Calar. *Sophos.* tritam cum antiquis Fortunato vocem.

AD VE-



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI

LIB. VII.

GOGONI amico splendido & apud Childebertum regem gratia & auctoritate pollenti huius libri exordia dicat. Vixit autem Gogo in Mediomatricum regno sub Sigeberto rege, cuius filij Childeberti nutritius, cuius iam tum adolescentis ætatem sapientia & facundia sua sustentabat. Meminit eius Gregorius in anno Childeberti v. qui Christi erat circiter DXXCIV. regis eum appellans nutritium lib. v. c. XLVI. Gogo.

I.

VOX EPVLANDA.] Glossa Treuir. *bibenda.* Frequens ille tropus in ijs, quæ auditu iucunda sic sensum afficiunt, vt tanquam animorum dulce pabulum expeti, etiam atque etiam dicantur.

NEC VOCES SPECTES.] Is pentameter cum sequenti hexametro à vulgatis nonnullis, & manuscriptis aberat. Restituimus ea primum ex codice Treuirensi.

IV.

TRITA Gogoni loca & ab eo sæpius adiri consueta, necnon Mediomatricum Austrasiæque regni fines ac limites, eâdem opera pangit: fluuios quosque celeberrimos, & nota nemora secessusque memorans, quorum vestigia in editis exemplaribus sic pleraque exoleuerant, ægrè vt restitui agnoscique in vultu suo natiuo possent. Prætereo autem hic Rhenum, Mosam, & Musel- Austrasiæ limites.

 lam adeo-

lam, adeoque contritis cursum retardari meum, haud patiar etsi longissimi fuêre in Austrasiæ regno tractus.

Musella. VVIFERÆ MVSELLÆ.] Malè hic Veneti librarij Mosellam acceperant, qui nomen eius abolentes, reposuere: *Vuifera. alus. ella.* monstra verborum. Calar. autem Diam Mosellam, in marem mutarat. Et Ausoni ætate, & hac Fortunati post tantas illius populi clades & ruinas mosella mansit vuifera, & ἀμπελόεσσα quod in Nauigio, poëta prolixius exequitur.

GRVS, GANTA.] Non vno hic errore contenti libri vulgati; cumulabant priorem etiam altero: *Grus tanta.* At GANTA vetustiorum exemplarium fide mas anseris; retinent & hodie id nomen Belgæ, quamquam sono vocis hi proximè ad Græcum χὴν accedant, à quo sine dubio repetendum videtur etymon. Non nescius interim sum, Plinium minores anseres cum Germanis appellasse GANZAS lib. x. c. XXII.

Axona flu. AXONA.] Marliani descriptione in extremis Rhemorum finibus hic fluuius est eorum diœcesin à Laudunensi dirimens, à Gallis Auaix hodie nuncupatus. Lucano accolæ huius fluuij.

—————— *longisque leues Axones in armis*

Vnde & mensura eius vocis agnoscitur. Massonus in Notitia episcopatuum Galliæ, Suessiones Belgicæ secundæ populos intelligit, quorum vrbem Axona alluit. Nec dubitat ex his & finitimis, quandam constituere Axoniam; quæ δήλωσιν an priscis nota sit, incertum habeo. Rhodanusiam Apollinarem Sidonium epist. v. lib. I. pro ipso accepisse * Lugduni tractu & simili forma Arariam dici, ex lupi Lugdunensis archiepiscopi actis obseruatum est: quanquam * Strabonis Scholiastes ῥοδανουσίαν cum Stephano pro certa quadam accipit ciuitate ad Rhodanum.

* Rhodanusia alijs Lugdunũ

* Lib. 4. ῥοῦ Ἀγαθῆ.

Isara fluuius. ISARA.] Vel Esara, vt Gregor. Turon. lib. IV. c. XXXIX. Surgit autem hic versus ex agmine quodam riuorum, & ante hac sic publice legebatur. *Esara seu Rachares, Sclades, Sates, Ormena, Sura.* Pro quo reposuimus istum, Isara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura. Ceterum ISARA Galliæ Narbonensis est fluuius, plerisque omnibus antiquis Scriptoribus nominatus & celebris. Assidet ei Gratianopolis, & paruo interuallo magna Carthusia.

Oritur

Oritur autem in Sabaudia regione Salassiorum monte, cui SENIS nomen aut CEMENVS. teste cum Strabone Plinio lib. III. c. IV. tandemque se Rhodano miscet. Primam in Isara Lucanus I. Pharsal. corripuit.

SARA.]huius ortus in Vogesi montis iugo in Alsatiæ atque Lotharingiæ confinio monstratur: flexus eius & mæandri sunt multiplices, quos olim in Mosella nostra ostendimus. Iulij Cæsaris inscriptione v. dicitur Sarra. Ausonio Sarauus, IV. passuum millibus ab vrbe Treuirorum Mosellæ se miscet. riuus sanè piscosus, frequentissima olim nobilitate, & antiqui generis stemmate habitatus. Hic enim B. Luitwini olim Ducis, postea Treuirorum Archiepiscopi amœnissima piscatu venatuque regio, quo loco iam Mediolacus, visebatur. HIC PONS SARRÆ, qui Antonini itinerario, praue *Pons Sarnix*, Romanorum prisca sedes, à multis scriptoribus celebratus. Ab hoc Ponte veterum *Sarapontis comitum* egregia pietate & priscis Ecclesiæ moribus stat oppidum: quorum vtinam Nassouia postera stirps, vt patrimonia, sic virtutem & religionem in oculis animoque gerat. Est & hic SARAWERDA ceu oppidum voces à Saræ insula MOERSENSIVM COMITVM germani sanguinis incunabula, cuius extra NVENARIVM genus illa immortalis laus, quod in auita non solum fide, sed intra monasticam propè disciplinam se continuerunt. Horum tropæa & sepulcralia monumenta tum Coloniæ in æde S. Pantaleonis, tum Lucelburgi in Franciscanorum templo, visuntur. Ex his VINCENTIVS ille Moersi & Sarawerdæ Comes extitit, qui in Carthusia Coloniensi senectam canosque Christo ac pietati consecrauit. Ex ijsdem & CHRISTOPHORVS Vincentij, nisi fallor F. qui apud CAROLVM EGMONDANVM postremum GELRIÆ Ducem domi, militiæ fortis, clarus & gratiosus, denique abrupta familiæ seriè Arnemij Gelriæ oppido egregiæ pietatis, munificentiæ, ac religionis laude diem suum obijt, in æde B. WALBVRGIS iam dirutâ sepulturam adeptus, post plures alios, duobus relictis ex coniuge plebeia, sed honesto matrimonio liberis, Maria, pudicitia Deo consecrata, virgine, & Christophoro Sacerdotij & honore & gradu

Sara flu.

Saræ fluuii ornamenta.

Pons.

Saræ pontis &c.

Sarauuerdæ gens.

Z 2 piè

piè perfuncto, vt quam religio ſtirpem propagarat, eandem pietas & religio clauderet. Atque huius quidem excurſus me pœnitere iam poſſet, niſi & gratitudo hoc mihi officium imponeret, & obſeruantia, quam iſti familiæ plurimam debeo.

Chares flu. CHARES.] Suſpicari quis poterat eundem eſſe cum Chariaco, qui Ligeris hoſpes, Sed abducunt hinc finium regundorum arbitri, cum nulla ſors regibus Mediomatricum extra ordinem contigerit, præterquam in Prouincia & Aruernis. Eſt in Moſana regione CHEIR fluuius, qui Iuodium vetuſtate belliciſque rebus clarum oppidum ſubit, & Moſæ miſcetur. Is & flexu vocis, & ſitu regionis, vt quiſpiam alius proxime ad Charem accedit.

Scaldis flu: SCHALDIS.] Cæſari, Plinio aliiſque bonis autoribus haud incogniti fluuij fontes in Veromanduis ſupra Chaſteletum ad Martinianam abbatiam oſtenduntur. Ipſe vero per Creuecœuriam, Cameracum, Buchainum, Valencenas lapſus, auctuſq; Troulia Condati, & recepto ad Mortaignum Scarpo, per Antoignicum ingreditur Tornacùm, inde per Aldenardam prolapſus Gandauo irruit tanto robore & auiditate, vt ibi Lizam, Liuiamque abſorbeat. Dendræmondæ Dendram Ruplæmondæ Ruplam; Netha, Diliaque tumidus in dominatum familiamque ſuam tranſcribit, & demum ad Andouerpiam, latiſſimum ſeſe diffuſumque ripis oſtentat, dum Oceanum ingreditur. Cuius quidem deſcriptionis tam ſubtilis autorem laudamus Iacobum Marchantium Flandricarum rerum ſcriptorem.

Saba flu: SABA.] Hic fluuius Cæſari lib. VI. Sabis, vbi perperam in vulgatis legebatur *Scaldis*, verba Cæſaris. *Ipſe cum reliquis tribus legionibus ad flumen Scaldem, quod influit in Moſam extremaſque Arduennæ partes ire conſtituit.* Suboluerat olim ſatis illa deprauatio Glareano, omnibusque ijs, queis Schaldem in Moſam influere, perſuaderi difficulter poterat. At non interim erat in promptu, quem Scaldi euaneſcendi ſufficerent. Donec M. S. indicio SABIS tandem inuentus eſt. Hunc Arduennæ vulgus hodie SAMBRAM vocat, illiuſque nemoris olim ſeceſſu haud procul ab Hannoniæ & Veromanduorum finibus exoriens, denique Namurci ciuitatis haud obſcuræ primum mœnibus, atque inde Moſa recipitur. Pro SABA Calar. &

lar. & M.S. nonnulli *Satam* referebant, vnde qui diuersum à SABI reponendum hic duceret, ei SATÆ incomperti mihi riui, cursus inuestigandus.

SOMENA.] alias Sumina & Somona. haud procul à Scaldis fontibus oriens in Veromanduis conualescit. Inde S. Quintinum. Peronam, ipsosque visit Ambianos, donec Abbatis villam & S. Valerij oppidum præterfluens, tandem impetu in Oceanum se voluit, SOMNE vulgo dictus, non tam Romanis, quam Francicis scriptoribus clarus. Gregor. lib. II. c. IX. *Clogio Francorum rex missis exploratoribus ad vrbem Cameracum, perlustrata omnia ipse secutus Romanos proterit, ciuitatem apprehendit, in qua paucum tempus residens, omnia vsque ad Suminam fluuium occupauit.* Fuit ergo fluuius hic olim nascentis surgentisque in Belgis imperij Francorum limes. Somena flu.

SVRA.] Nascitur in Arduenna ditione Lutzelburgiorum. Alisontiam, Atartum, Vram riuos secum trahens, longè lateq; per fines eorum serpit, donec Pronæa & Nemesi, Ausonio notis, fœcundior, & salmonum fertilis euadit, & lemborũ patiens. Inde EPTERNACVM nobile S. Willibrordi olim domicilium petens, ostia sua pandit apud Aquæpillichum vicum, quà in Mosellam se condit, octo circiter millibus passuum à Treuiris. Sura flu.

ARDENNÆ AN VOSAGI.] Arduennæ nemus immensosque saltus nemo veterum, qui quidem aliqua Scriptorum in classe, silet. Eius maxima pars hodie interlucata crebris habitatur oppidis, pagis, monasterijs à Treuiris in Mosam pertinens, atque inde à Condrusorum, Leodici, & Namurci agris in Neruiorum, Atrebatum & Veromanduorum fines ad Scaldim excurrit, sparsis adhuc vbiubi ramorum veteris Arduennæ vestigijs. Atque vt Ardenna hic, amissa litera, sic Vosagus, inuersione plurium legitur, vtrumq; illius æui moribus. VOSEGVS autem seu VOSAGVS, mons inter Alisacium & Lotharingiam medius est, amplissimo excursu à Treuiris in Lingonas Sequanosque dorsum exporrigens, magna conuallium & perennium aquarum amœnitate, siluosisque & opacis iugis tanta alibi celsitudine assurgens, vt cacumine nubes attingere, & vel cum alpibus ipsis velle certare, appareat. Quæ verò in Leu- Arduennæ & Vogesi nemora.

cos & ceteram Lotharingiam maximè ramos diffundit, illic prisca & insignia sese offerunt cœtuum monasticorum & locupletum Abbatiarum Collegiorumque domicilia, quæ B. Hildulphi Treuirorum, Adeodati Niuernensis, Gundelberti Senonum, Gerardi Tullensis ecclesiæ Pontificum secessus & eremi pepererunt. Gratissima olim Francorum regibus vtrobique ex venatu aucupioque oblectamenta, in Arduenna & Vogeso, extitere: quod hic poëta loquitur. Gregorius etiam Aimoinus & Regino passim inculcant. Porro Vosagi sonus etiamnum ab incolis vsurpatur. De prosodia verò certabunt Grammatici, quàm diu Lucani versus ex 1. Pharsal. manebit incastigatus. Maluit ante multos annos M. Ant. Sabellicus legi, *Castraq; Vogesi*, quam lectionem vt MS. quidam affirmant, ita reijciunt alij pro illo vsurpantes, *Castraque qua Vogesi*. quomodo vetus Lucani codex Treuericæ bibliothecæ.

HELICIS VRSI.] non ambigo, quin epitheton HELICIS, obrepserit Fortunato per μνημονικὸν ἁμάρτημα. Nam Vrsæ signum Arctici poli, seu sidus, quod HELICEN antiqui vocarunt, hic vsurpat & genere ipso, & prosodia longè deceptus. vt ex illo Lucani satis apparet.

Parrhasis obliquos Helice quum verteret axes.

V.

Bodegisilus dux.

BODEGISILVS rara facundia morumque probitate clarus in Austrasia dux, olim Massiliam legatus iexit, atque istic magno sui relicto desiderio inde ad Rheni limitem Germaniamque reuocatus iuridicundo præfuit, in magno opum ac fortunarum splendore, quæ & hæredes raro tunc exemplo secutæ sunt. Eius memoriã Greg. lib. VIII. c. XXII. paucis hisce verbis consecrauit. *Iis diebus*, quibus videlicet Guntrami opera, Matiscone synodus episcoporum conuenit; *Obijt Bodegisilius Dux plenus dierum, sed nihil de facultate filiis eius imminutum est.* Ad cetera huius carminis menda accesserat, vt Venet. & Calar. exemplaria hoc poëma cum libri octaui versibus de virginitate permiscerent.

REGIONIS VTRÆQVE]

Monet Ἀρχαϊκῶς dictum Sirmondus ex Prisciano; cum veteres omnem

omnem Genitiuum in Ius desinentem I. etiam littera terminabant; sic vtrique militiæ pro vtriusque apud Sidonium, & sic vtræque pro vtriusque regionis. Vtræque pro vtriusque.

VI.

DE Palatina filia Gallomagni vxore Godegisili ducis. Titulus in vulg. paulo secus habebat. GALLIMAGNI EPISCOPI. Sed illud glossema (episcopi) reijcere placuit, eo quod magnum illum GALLVM Aruernorum Præsulem liberos nunquam suscepisse satis ex ipsius actis compertum est. Palatinam ergo hanc filiam GALLOMAGNI Referendarij equidem constituero, qui in aula Childeberti regis vixit: magnisque rerum inde casibus, vt lubrica sunt aulæ fastigia, iactatus est. Itaque quem vna voce Gregorius GALLOMAGNVM. hunc poëta carminis caussa, dixit, diuisâ, GALLI filia MAGNI. Hanc item Gallo episcopo tribui rectè non posse, ex eo facilè quoque constat, quod eius patri, vbi iam Godegisili Ducis connubium impetrasset, maioris dignitatis & honoris, ait factam accessionem. Gallomagni filia.

Sed merito nata creuit honore pater.

Illud tamen hic negotium facessit, quod Godegisilum Greg. testatur, lib. IX. c. XII. fuisse Lupi Ducis generum; qua ratione hæc Palatina filia Lupo parenti adscribenda veniret. At si quidem hic Godegisilus non diuersus est, dixerim ad alteras etiam transijsse nuptias, atque ita interesse nihil, quo minus, idem & Gallomagni & Lupi gener existeret. Ceterum Godegisilus, quantus domi militiæque in Childeberti regia, ex Gregorio, qui volet intelligat. libro IX. c. XII.

VII. VIII. IX.

HÆc tria poëmata Lupi Ducis encomio scripta, merentissimi ob virtutis & ingenij laudem. Gratiosus is apud Sigebertũ regem, vt qui maximè, & carus ante omnes. Narbonensis Galliæ sortem Austrasiæ contributam, Massiliamque, cum imperio tenuit. *Greg. lib. IV. C. XLI.* Indeque Dux Campaniæ & ditionis Rhemorum creatus est *lib. VI. C. IV.* At Sigeberto extincto mox atrox in eum Lupus dux.

inuidiæ

inuidiæ tempestas coorta. Quare & Childeberti regni initijs, factione Ægidij Rhemensis Episcopi, Vrsionis & Bertefridi potentium hominum, primo magnis rerum familiarium & fortunarum detrimentis, mox amisso Ducatu etiam exilio & relegatione vexatus est. *lib.VI.C.III.& IV.lib.IX.C.XIV.* Hinc verò Guntrami regis æquitate patrocinioque respirans, cum eo fuit, donec Childebertus maturioribus annis adolesceret. Pace itaque ad extremum inter Guntramum & Childebertum constituta, & Lupus cum Childeberto in gratiam redijt, & Ægidij Rhemensis iam tum criminatione læsæ maiestatis onusti pacem quoque facilè obtinuit.

Dani gens SAXONIS ET DANI GENS.] Vulg. *Saxonus & Rhodanus.* De Danis autem nihil noui, hostes eos numerari in Austrasiæ regni finibus. Veteres enim ij Belgarum inimici, iam vsque ab illa expeditione, aut altiùs etiam repetita memoria, qua cum rege Cochilacho Theodorici regis & Theodoberti filij ætate, Gallias hostili classe infestarunt. *Greg.lib.III.C.III.* Atque etiam haud scio, an aliquid à glossa, quam Sangallensi codici hic inspersam animaduerti, dicatur: quæ Dani gentem hic Boiarios interpretatur, ita dictos à fluuio Danubio, cui pars illorum assidebat. Certè cum Boiarijs, Francos liquet, diuturna gessisse bella.

Bordaa flu. BORDAA.] alias Bordia, Irasci poteram temporibus, ita me in diuersa, Bordia fluuius abripit: nam, vt Fortunatus eum ponit, difficilis illius est indagatio. Certaminis namque Lupi Ducis manu auspicijsque initi principia, memorat apud Bordaam, Saxoniæ veteris amnem: inde verò prælium cum hostium cæde ac fuga tractum ad Laugonam. Ibam ego iam eò, vt Marcæ Brandeburgicæ limites metatus Oderam inspiceram, ex confini Silesia labentem: atque hunc sanè occurrisse putabam Fortunato pro Bordaa, facili inuersione litterarum; & quo pronior etiam appareret hic lapsus, iuxtà hic alicubi Boberam exili tamen fama riuum inueniebam, Oderæ aduenam. Nec ab instituto prorsus me cursu hæc coniectura abducebat, quandoquidem Francos istic locorum intelligebã haud minùs Oderæ vada frequentasse, quàm vicina Maguntiaco regione vadum Mœni fluminis, ita vt à Francis & illud suum quoque nomen

nomen ferat. Vnde & Franconofurti gemini à Mœno, Oderaque fluuijs, orta distinctio. Illic eră vtique, cŭ retraheret paulisper illa me, quanta maxima est, inter Oderam & Loganam tot fluminibus medijs spatij intercapedo, prorsus, vt creditu difficile videretur, Lupi victoriam vno non magis tenore fœlicitatis, quam ista terrarum amplitudine continuatam. Bordaam itaque per me in ista nominum & temporum rerumque vicissitudine, licet accuratiùs inuestiges, siquidem amplius hic quærendum censeo.

LAVGONA] Qui in vulg. corruptè Lingona, contra fidem antiquorum librorum. Ante aliquot sæcula vetustis diplomatis & libris LOGANÆ nomen fluuius hic perpetuo retinet, hodie tamen contractior, LON ab accolis dicitur, amœnissimis & fœcundis vtrinque ripis. Collium & rupium alicubi surgentium asperitate ad pulchritudinis & variantis naturæ temperamentum interpolatus. Oritur in Comitum Witgensteiniorum ditione, haud procul ab HARIO monte: atque hinc WITGENSTEINIVM, quod à WITTEKINDO, Duce apud Saxones celeberrimi nominis deriuant, allabitur; aditque Marpurgum, illam S. Elizabethæ innocentia ac sanctitate consecratam sedem. Mox oppidum Wetzflariam, cognatione sacrorum olim Treuiris amicissimum alluens, serpit inde pulchrior in Treuirorum se ditionem insinuans, vbi vorticosus & rupe creberrima vexatus, vtrinque veteres nobilium Ducum Comitumque ac Dynastarum, qui trans Rhenum olim frequentes eum accoluêre, sedes ostentat, in quibus Hassiæ Landgrauij, Witgensteinij, Limburgij, Dietzij, * Arnsteinij, & Nassouij enitescebant. Admirabilior eo Logana, quod S. LVBENTII clarissimæ memoriæ Treuirorum presbyteri coruscum miraculis pignus, constantini liberorum ætate florentis, mutato cursu è Confluentibus euexit in Dietenkirchen/ Ecclesiæ id collegioque S. Lubentij nomen est, à quo titulum fert vnus ex forensibus quatuor Archidiaconis Treuirorum. Asseruatur huius ibi miraculi monumentum, argentea nauis, cum sigillo sacri corporis, istuc aduersis vndis importati. Ceterum Logana paulo supra Confluentes propè ab oppido, cui Logana & saxum indidere nomen, Lonstein Rheno miscetur.

Logana flu. eiusque nobilitas.

Arnsteinij cessere Præmonstratensibus.

S. Lubentij sedes.

VIII.

IPSE NEC AFFLICTIS PASCITVR HERBIS EQVVS.] id ſanè audacter mutarat vulgata. *paſcitur orbis aquis.* ſed fides in ſententia manet, vitium in proſodia MS. indicio.

Harpa. BARBARVS HARPA.] HARPA muſicum eſt inſtrumentum, vulgo iam notiſſimum voce magis ſua, quam vlla alia deſcriptione. Hanc ſunt qui cum nablio, cithara & veteri pſalterio componunt, ſed, vbi multa diſcrepant, & certi vix quidquam eſt, vbi inſiſtas, fruſtrà per ambages illam accuratam & multiplicem harmonici choragij priſcis vſitatam imaginem referas. Sanè quod ex veteribus Citharam aliqui Deltoti figura deſcribunt, id ei fortè cum pſalterio nablioue & cum hac harpa commune fuit, ceterùm iugo, chordarum numero, magadio alijſque partibus aſſignandis tam ſacri, quàm profani ſcriptores ſic inter ſe diſcrepant, vt conciliari vix poſſint. Adi Glarean. Adrian. Iun. Nebriſſen. Ac neſcio an Sidonius in Narbone ſuo eam agnoſcat, vbi Andromedam meminit vindicatam à Perſeo.

ILLIC LVDITVR HARPE CONIVGALI. Harpæ barbaricæ huius etymon à Græcis deduxere, quia hoc in inſtrumento perpetuus nimirum raptus eſt fidium, ita vt qui HARPA canit, videatur manibus rapere fides, &, quod Græci dicunt, χορδὰς ἁρπάζειν. à repercuſſu verò ſtridulo, qui naſcitur hic item ex colliſione fidium, rectè Fortunatus dixit procemio huius operis, HARPAM RELIDERE. Ipſa etiam vox integra manet apud Græcos etſi diuerſa notione, vnde Heſiodus dixit.

δεξιτέρῃ δὲ πελώριον ἔλλαβεν ἅρπην.

Chrotta. GRÆCVS ACHILLIACA, CHROTTA BRITANNA PLACET.] Calar. hic malè ſanum verſum ſubſtituerat: *Gracus & Iliaca, tota Britannia placet.* ACHILLIACAM cantatam illam Homero Statioque Achillis citharam accipit, cuius & Plutarchus in Alexandri vita meminit. CHROTTAM autem, quod genus inſtrumenti velit, haud ita facilis eſt diiudicatio. Aliquid nomen affinitatis habet cū crotalo. Exiſtimem tamen magis teſtudinem ab eo ſignificari, quę nomen ab eo animante gerit, cuius figuram imitatur. Et manet in

Fran-

Francico iuxtà Germanicoque sermone, vt testitudines CROTTE appellitent: etsi Germanis, vt scutum exprimant, superaddere mos est, Schildtrotte. Qua de re subnectere visum eruditi viri de hac mea coniectura iudicium; Grottam scribentis, aut, duriùs, Crottam esse omninò testudinem substructionis in ædificio subterraneo, voce Gallica, quæ Græcis κρυπτὴ, vel κρυπτὰ Doribus: Vnde & Sidonio & Plinio iuniori vsitatam Crypto porticum Francos appellare Grotte & Grottesque: Leodienses Crotte. Hinc per metaphoram transferri ad animal amphibium, quod vocamus Testitudinem; & à curuitate dorsi Germanos etiam accommodare bufonibus. Hæc ille. Quo modo igitur apud Lucianum olim de Mercurio me legere memini; χελώνην τινὰ νεκρὰν εὑρόντα ὄργανον ἀπ' αὐτῆς συμπῆξαι. Testudine vspiam mortua reperta, instrumentum ex ea musicum contexuisse, sic & Gallicam vocem, perinde vt in Græco & Latino, hic transisse item ad instrumenti musici genus.

DENT BARBARA CARMINA LEVDOS.] *Ludos* hic dabant vulg. sed LEVDOS siue LIEDOS genuina probat lectio. De re consule Tacitum in libro de moribus Germaniæ, & Paulum Diaconum Longobard. hist. lib. I. c. XXVII. Leudi seu Liedi.

X.

MAGNVLPHVS Lupi frater iuris & æquitatis custos in ea fuit Austrasiæ parte, quæ Rheno erat propinqua, hunc quia Fortunatus olim amicitia sibi iunxerat, cùm ex Italia venisset in Germaniam, nunc à Turonum vel Nannetum vrbe, vbi Ligeris accola viuebat, misso carmine, salutat. Clarus est aduersis, apud Greg. li. VII. c. XXVII. MAGNVLPHVS Tolosæ Episcopus, an idem cum hoc, mihi dubium est.

XI. XII.

IOVINVS prouinciæ Massiliæque Rector pro regibus Mediomatricum, Venantio in Germaniam venienti se inter primos amicum & patronum obtulit. Is cum deinde siue negotijs, seu fastigio dignitatis, amici memoriam postponeret, vellendum sibi Fortunatus eum monendumque putauit fragilitatis rerum humana- Iouinus rector.

rum, quæ inopinata magnis plerunque & in sublimi degentibus comes adesse solet: inde excitandum quoq; ad intermissi fructum officij amicitiæque pristinæ suauitatem regustandam.

LYSA.] Lysis Pythagoræ discipulus, de quo Cicero 1. Officiorum. 3. de Oratore, & Dio. Chrysostomus in oratione inscripta, Recusatio Magistratus. Ostentator hic sim, si non errores, sed sententias modo recenseam integras, quas M. S. ope restitui. Vnum haud reticeo. Poëmatis XII. partem à Georg. Fabr. recitatam cum hac epigrapha. *Ex lib. VII. de incertitudine vitæ & gloria hominis*; cuiusmodi in Fortunato titulus omnino nullus.

ARCHITA PYTHAGORAS ARATVS.]

Felicius Corollam hanc sapientum contexuit C. Soll. Sidonius in Panegyr. Anthemij. A.

Quicquid Anaximenes, Euclides, Archita, Zenon,
Arcisilaus, Chrysippus, Anaxagorasque dederunt.

Ceterum in Arato Sollium in Narbone & Claud. Mamercum contra vanos poëtas imitatur; ille

Diuersas Arato vias cucurrit. Hic:
Aut Arati numeros, aut picta Manethonis astra.

XIV.

Mummulenus. MVMMVLENVM nobili prosapia & summa humanitate virum consilijsque in aula clarum festiuo hoc carmine interpellat, quo mensæ familiaris dapes liberius à se sumptas, iocosè ac poëticè cantat.

XV.

Berulfus. BERVLFVS Dux Gregorio memoratur in partibus Chilperici regis aduersus Guntramum & Childebertum reges pro Turonum defensione, cuius vrbis possessioni reges illi insidiabantur. lib. V. c. XLIX. & lib. VI. cap. XXXI. Non infrequens autem hic ascensus tum erat, vt ex Comitum honore ad Ducis fastigium palatini transirent. Discrimen hoc certum Comitum, atque Ducum Fortunati æuo & insequenti Sirmondus noster ad Sidonium obseruauit, quod comes vnius, Dux multarum ciuitatum. Rector esset; quæ singulæ suos Comitatus haberent: Id quod ex Gregorij lib. VIII. cap. XVIII. confirmat Nicetij Comitis Aruernorum exemplo: tum lib. IX. cap. VII. vbi

Comitum & Ducum discrimen inferiore æuo.

VII. vbi Eunodium Turonicæ atq; Pictauæ vici Iuliensis ac Benarnæ Vrbium Ducem celebrat. Hinc in Legibus Vesogoticis, Dux prouinciæ dicitur, Comes ciuitatis; qua allusione Scriptores Ecclesiastici Episcopos Comitibus, Archiepiscopos cum Ducibus compararunt; quia illi singularum ciuitatum, hi principes erant totius prouinciæ & Diocæsis.

LITANIA FVIT PRANDIA VESTRA MAGIS.] Cum LITANIIS tam familiare fuit antiquis iungere ieiunium, vt ad LITANIARVM indictionem nunquam non adesset comes abstinentia, hinc adeò LITANIAM pro ipso accepit ieiunio, Concil. Aurel. celebratum autoris ætate cap. XXIX. *Rogationes, id est, LITANIAS ante Ascensionem Domini placet celebrari* &c. *quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur.* Et de LITANIIS per Galliam S. Mamerci studio restitutis Sidon. Apollin. lib. v. Epist. 4 *In his ieiunatur, oratur, psallitur, fletur.* Vt enim obiter hoc annotem, Rogationum quæ ante Ascensionem Domini celebrantur, à Iac. Sirmondo S. I. rectè docetur primus Auctor esse Mamertus, & non instaurator: etsi Litaniarum in ecclesiâ vsum esse constet vetustissimum. Rogationum feriæ a S. Mamerto.

XVI.

CONDO ex regalium domesticorum cohorte gradatim quoq; per aulæ culmina euectus, quinque Francorum regum, apud Mediomatrices Austrasiosque, præcipuo fauore gratiaque felix, ad senectam vsque peruenit. Sub Theodorico militum tribunus; sub Theodoberto Comes, & mox aulæ præfectus siue Domesticus, quem & domus Maiorem appellitabant, sub Theodebaldo tutor eius pueritiæ rectorque: sub Chlotario rursum Maior domus, sicut & sub Sigeberto: quo regnante senex exercitum in Saxones duxit, prælioque commisso filios amisit duos in acie. Quibus ex rebus colligo diuersum hunc esse à Chundone Guntrami regis cubiculario, quem ob liberiùs habitam in Vogesi nemore venationem, Cabillone tandem lapidibus obrui passus est, vt Greg. lib. x. narrat. c. x. Ceterum ex hoc etiam poëmate firmare liceat seriem & successionem omnino quinque regum, qui in Austrasiæ regno, eo prorsus quo hic ponuntur ordine, rerum potiti sunt.

XVII. XVIII. &c.

SCRIBERE QVO POSSIS.] Dignus iste locus, ex quo veterum morem & institutum in epistolis mittendis, & de apicibus litterisq; in variam, pro re nata, materiam spargendis transferendisq; discas: nam & in fagi corticem, & in fraxineas tabellas fuisse missas, vtrunq; ritu sanè memorabili, notat. Accedant ergo hi modi duo ad veteribus tritam ceram, seu tabulas ligneas cera oblitas, ad palmarum folia, arborum libros, ad σκυτάλην illam quoque Laconicam philyras, pugillaria, ossa, elephantinas tabulas ac eburneas, linteos pontificum libros, cerussatas mappas, ad omnigenæ formæ chartas, papyra atque membraneas, de quibus cum alij multa, tum A. Gellius lib. XVII c. IX. Plinius lib. XIII. c. XI. XII. Isidor. orig. lib. VI. cap. IX. X & seq. Ph. Beroald. ad III. Propert eleg. XXII.

Scripturæ veteris concepta-cula,

DOCTVS ACHÆMENIIS.] Sic cum veteribus libris M.S. Treuir. SIGNA ACHÆMENIA accipit Persica vel Parthica, vt anteà Hebraicorum meminit. Nisi si magis arridet Colon. MS. lectio. *& Ammonijs*, vt idem sit, quod obscuris & inuolutis. Iouem enim Ammonem Seruius ad IV. Æneid. & Diodorus IV. Bibliothec. Isidorus & Festus scribunt, effingi consuetum, imagine, cuius caput arietinis esset cornibus, aut bouinis, vt volunt nonnulli, spectabile: ad prodendum oraculorum eius responsa parum explicata & inuoluta Ceterum glossa Sangallensis M.S. habebat, ACHÆMENIIS, id est, CHALDAICIS. Sed de Persis nullum dubium. Sidonius panegyrico, quem Anthemio Aug. dixit:

Achæmenia signa.

Interea te Susa tremunt, ac supplice vultu
Flectit Achæmenius lunatum Persa tiaram.

ARGOLICO SOPHO.] quod trans mare petitum Græcorum facundiam æmuletur; aut, quod malim, si signis vti obscurioribus haud vacat, vel apertum scribito poëma, quod plausu & ARGOLICO SOPHO dignum sit.

Runa.

PINGATVR RVNA TABELLIS.] RVNA quid in vniuersum esset, primum: inde, quid hoc sibi loco vellet, ægrè sum assecutus. Memorat in Batauia sua Adrianus Iunius ALIRVNAM priscis fuisse mulierem fatidicam. ALI enim siue HALI Iornande teste, Gothis idem fuisse, quod sacrum, vt hodie Germanis heilig/ RVNAM verò dictam

dictam à mussando,&,ceu in ἐμφήνοις, essando:id namque Germanis esse Rhünen. Runa itaque hoc loco censeri posset epistola arcano argumento scripta, & quam, qui mittit, enunciari non vellet. Re tamen mecum pensiculatius æstimata, pro nota tanquam hieroglyphica RVNAM accipi commodè posse, demum constitui. Certè Paulus Diaconus is,qui Festi Pompei Opera reuocasse ad epitomen putatur, RVNAM accipit teli genus. Vnde Ennius, RVNATA RECIDIT. Quare RVNAM fraxineis incisam tabulis pinxisse dixèrit barbaros,quando pro epistola illis RVNA erat futura bellinuncia. Quomodo flos huius sæculi Oratorum lib. v. variarum c. XVII. Idanthurum Scytham misisse ad Darium pro litteris symbolon,MVREM, RANAM, AVEM, SAGITTAM, ARATRVM, scitè ex Clemente Alexandrino & Herodoto narrat. RVNA verò cum aspiratione legebatur in antiquis libris. Sed alibi eam absuisse Calar: exemplar ad Vaticani codicis fidem collatum arguit, in quo tamen mendosissime *(Rana)* mansit.

XIX.

FLAVIO & Euodio fratribus tam inter se, quam ouum ouo, similibus se tertium optat adscribi, poëmate præ ceteris nitidiori artificij.

XXIII.

PATERNO ex abbate Abrincensis ecclesiæ episcopo hæc epigrammata venustè ab se scripta dicat ad familiares vsus. De illo lib. III. c. XXXII.

XXIV.

VERSVS IN GAVATIS.] Sic lib. veteres quod rectius dense, GABATIS. Gauatarũ autem nomine quid intelligat ex lib. XI. epigrammate nono perspicis,vbi Eulogias ex B.Rhadegundis monasterió sibi missas ab Agne antistita gratulatus, ait carnes lancibus seu Gauatis impositas ad se perlatas. versus ibi leguntur: Gauatæ vel Cauatæ.

Carnea dona tumens argentea gauata perfert,

Paropsidis ergo seu scutellæ genus Gauata fuit, ex argento plerunque,vt hoc item loco ostẽdit, fabrefactum. Nomen autẽ id manasse

manasse interpretamur à concha, cuius similitudinem ea gesserit: quæ Gallis CAVETTE dicitur. Legebam & apud Anastasium in Honorio Pontifice, (& passim alijs locis) qui ad an. D.C.XXXVIII. peruenit: Fecit & gabatas aureas tres pensantes libras singulas. Verum GAVATAM apud Martialem non semel vsurpatam pro lance, facile obserues lib. VII. epigramm. 47.

Transcurrunt, GABATÆ *volantque Lances*

Et lib. XI. epigram. 32.

Sic implet GABATAS *paropsidasque*
Et laues scutulas, cauasque lances,

XXXI.

Galactorius. GALACTORIVS Comes Burdegale magistratu pro Guntramo rege functus est: eum lib. X. versibus honorificis item compellat, memoria Burdegalensis vrbis illata, & magistratuum, quos ibi gessit, Iudicis puta, Defensoris & Comitis. At Gundegisilus, cuius hic meminit, Burdegalensis fuit magni nominis episcopus, huius in anno XIV. Childeberti mentio fit apud Gregor lib. IX. c. VLI. vbi caussam egisse traditur monasterij Pictauensis, quando Chrotildem, regali quidem sanguine, sed ob apostasiæ dedecus parum secunda fama virginem, vna cum puellis comitibus è fuga retrahere, studio habuit.

Himus forte. TIMOR OBSTITIT ET HVNVS ILLE.] Sic disertè in plerisque MS.S. In Treu. & Colon. ETHIMVS. HVNVM autem montem fuisse, cuius crepidinem torrens aut riuus quispiam præceps sublueret, sequens indicat pentameter. haud longè etiam abfuisse à Garumna testitur exordio poëmatis; cum inde per dorsa Garumnica se Burdegalam nauigio petiturum fuisse memorat; vulg. tamen legunt. *Timor obstitit vltimus*.

QVO MODO MITTO APICES, TE ROGO MITTE PICES.] An thedas vel liquorem de pinu collectum, an verò monetæ genus hoc insignitum nomine mitti sibi velit, in ambiguo relinquitur: posterius suadeant verba ista. QVOD FORTE TRIBVTA REDVNDANT.

AD VE-



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI
LIB. VIII.

LIBER octauus in Veneto & Calaritano solùm inchoatus, at in bibliotheca sanctorum Patrum mutilus omninò extabat; cum priuato vsui iam ea concinnassem, quę in magnis pollicitationibus adhuc nemo vulgaret, & adhæc etiam edenda, nulla pulsaret animum cogitatio. Placebat in illo rarissimi pretij virtus PVDICITIA seu VIRGINITAS, cuius hic aduersus voluptuarios, & eorum hominum sectam, qui se totos tradunt libidinibus, constringendos, castum & forte suscipitur patrocinium; & quia libri pars maxima in VIRGINITATIS & PRÆSIDIS VIRGINVM SANCTISSIMÆ DEI GENITRICIS laudibus conteritur, & versus etiam omnes Rhadegundi, sanctisque virginibus alijs vitæ beatæ socijs asscripti sunt, haud sine caussa liber hic VIII. PARTHENII titulum ferre possit.

I.

DE NOMINE SVO AD DIVERSOS.] Inscriptio hæc non parum abludit ab argumento poëmatis: nec operæ tamen, in eo mutare quidquam; cum ad diuersos velut encyclicum fuisse missum, appareat. Monumentum habet ad specimen vitę memorandum B. Rhadegundis insigne, quo eius genus pristini cursus splendorem, cum præsenti monastico cultu, ac rerum humanarum despicientia comparans, omnium prętantium virtute sanctimonięque laudibus fœminarum exempla per plures matronas virginesque diffusa, ceu in vna Rhadegunde reflorescentia colligit. Ceterũ hoc

etiam poëmate Fortunatus Galliæ Franciæque Primis rationem consilij sui probare videtur voluisse. Quamobrem Italus nimirum, & externus homo, apud Pictones B. Rhadegundi eiusque parthenonis obsequio ac ministerijs se dicasset, cùm perinde nihil ad hominum obtrectationem famæque periculum sit expositum, quàm virorum etiam integræ vitæ familiarior cum fœminis conuictus.

Sacarum gens.

CVIVS DONA SACÆ.] præ quo vulg. *cuius dona fauent*. Rectè verò sic emendatum locus ipse admonet. *Christicola Scythicas laxauit amore pruinas*. SACARVM enim nomine Plinius testatur lib. VI. c.XVII. à Persis appellatum vniuersum Scytharum genus; quorum & meminit Strabo lib. XI. Expressit hic autem locum Prudentij in Apotheosi, cuius Fortunatus per quàm studiosus fuisse videtur: *Laxauit Scythicas verbo penetrante, pruinas, Vox Euangelica*. Quę verò sit prosodiæ ratio obseruata in vltima Christicolæ, docet Venerabilis Beda, in libro de arte metrica; vbi nouem exponit modos, quibus syllaba fiat communis.

II.

GERMANVM Parisiensem aditurus erat, cùm hoc carmen scriberet, retractum se retentumque à B. Rhadegunde festiuè ludit, eo carminis genere, quo tertium librum olim clauserat.

III.

HYMNVS hic in aliquod MSS. desideratus. Vaticanus tamen codex, vt & Morbachensis apud Fabritium, eum exhibebat, ex quo prima editione duo cola assumpseram, singula quaternis iambis; quorum initia; PRÆSEPE. & LEGEM. Verum libri à Pulmanno hac etiam erant oda destituti.

IV.

DE VIRGINITATE.] Prolixum hoc argumenti grauissimi poëma in pudicitię ac virginitatis laude versatur, adparatu instructuque vario, & cuius ex lineamentis promptum ac facile scribendis versibus poëtæ ingenium, tum mirè castam ac piam eius venam

nam addiscas. Credo, nisi animi fallor, elaboratum Agnetis honori quam recens à se condito monasterio, B. Rhadegundes, vt iam sæpè dixi, abbatissam præfecerat, id quod ex operis etiam proœmio liquere potest. Nam vbi PATRIARCHARVM cœtus, APOSTOLICVM senatum, laureatam MARTYRVM turbam, VIRGINVMQVE choros cœlo deduxit, mox ad Rhadegundem, eiusque vitæ acta prolabitur oratio; quam iccirco mirificè quoque laudat, quod Agnetis alumnæ imperio ac disciplinæ mulier regina collum subderet, quamque altrix & hera pro filia adeoquè ancilla ducere poterat, huius vt matris & heræ, mallet ipsa, Christi amore, esse filia seu ancilla. Per occasionem verò publicæ lætitiæ, seu honoris initi, seu virginitatis Deo consecratæ, carmen hoc esse datum, versus hi interpretes, siue testes esse possint. *Ecce diem festum* &c. *Optat adhuc vnum supplex quod restat honoris.* Et fermè sub medium de Apostolis. *Conueniunt ad festa simul.* Porro carminum hic contextus, vt indicio MS. ad quadringentos versus excurrebat, ita in vulg. bona parte truncus, etiam mendis scatebat. Quin & in Calar. præpostera rursum tralatione eius pars hinc, & in septimum librum erat reiecta, vnde interdicto de vi, suum in locum reuocari posset. Respergitur varijs sanctorum hominum & nominibus & exemplis, quorum quia partim nota in vulgus, partim ab alijs ad martyrologia copiosè tractata, occupare laudem & operam, sponte supersedemus. Illud moneo, G. Fabritium eius artus concerpsisse magis quam delibasse fructum, additis notis, sed more suo, fastidiose & alicubi, vt CANIS è NILO. Titulus illi placuit, DE GAVDIIS ET SPE VITÆ ÆTERNÆ. quo ipse titulo sanè, viro magno, reor, imposuit. Ita est profectò: quibus thorus honorabilis, (Si Veneri placet) Virginitati antestat, his parum suaues accidunt pudicitiæ laudes, cuius quidem ipsi præmia, at labores non iuxtà optant. Agnes magistra B. Rhadegundis.

HIC PAVLINA, AGNES, BASILISSA.] Nonnulli pro Basilissa legerunt Blesillam, Sed M.S. fauet Venerab. Beda, qui totum hunc versiculum in arte Metrica citauit.

CESARIA.] Col. *Casaria.* Certè diphthongũ Venantius expungi voluit. Beati verò CÆSARII & CÆSARIÆ, sororis eius iã crebrò S. Cæsarius & Cæsaria.

facta mentio: quia horum præscripto ac regula vita B. Rhadegundis ac disciplina nitebatur, vnde ilicò ante

Regula Cæsarij linea nata sibi est.

QVOS LILIOLA REFERT.] Liliolam hic virginis sacræ nomen proprium esse conijcio, quæ vitæ instituto, vt sanguine, Cæsarium Arelatensem & huius sororem Cæsariam æquaret: vsurpauit autem ea forma, qua antea de celebrata B. Hieronymo matrona dixerat:

Vulnera quo curet dux Fabiola monet.

SARA, REBECCA, RACHEL, ESTHER, IVDITH, ANNA, NOEMI.] Non dubito, quin putiscat hic versiculus huius æui Grammatistis: placuit tamen Venerabili Bedæ inter exempla referre compositionis elegantioris, sicut ex eodem poëmate & istum.

Blanditur, refouet, veneratur, honorat, obumbrat,
Et locat in thalamo membra pudica suo.

IVRISCONSVLTI PAVLI.] Alij, *legis consulti*. Spectat meo quidem sensu, quod ab Ecclesia Paul⁹ audit, DOCTOR ORBIS ET GENTIVM: aut certè, QVOD SECVS PEDES GAMALIELIS ERVDITVS IVXTA VERITATEM PATERNÆ LEGIS. *Actor. XXII.* De ipsius vero peritia iuris ac litterarum, consule disputationem Wirceburgi anno M.D.XCI. editam, & B. Paulo inscriptam, thesibus 8. 9. 10. & 17.

Naddauer. NADDAVER ALTA.] Quidam hic ingerebant, *Naddauer attha*. Sed nostrum id & MS. probant: & secutus est ad XXI. Septembris in Martyrolog. Rom. Cæsar Baronius: qui & Fortunato hic de loco sepulturæ suffragatur. An vero probatioris testimonij fide, quam vel Mirmena Nicephori lib. II. c. XLI. vel Hierapolis Parthiæ apud Dorotheum in Synopsi, ijs disceptandum relinquo, qui Abdiæ nomen & Apostolorum acta eius autoritate præscripta, discutiunt. Hic enim in gestis rebus B. Matthæi Apostoli, NADDAVER fuisse prodit Æthiopiæ ciuitatem regiam, in quam Apostolus is primum Euangelij lucem intulit, easque res gessit, quas publicus vsus Ecclesię quotannis memorãdo laudat. Et verò de hoc Æthiopiæ loco, Fortunatus planè imbibit: nam sequẽti poëmate repetit.

Quos Patra, quos Ephesus, Naddauer arce tenet.

Quod

Quod itaq; de Mirmena & Hierapoli ab alijs dictum est, id eam interpretationem accipit, vt portio aliquota corporis eas olim in vrbes translata sit.

DAT SISCIA CLARA QVIRINVM.] Mendosè vulg. *Sistia*. de nostra correctione stabiliunt rem monimenta Martyrum. Et B. Quirino titulus is annalis erigitur. *Sisciæ in Illyrico S. Quirini episcopi, qui sub Galerio præside pro fide Christi, vt Prudentius scribit, molari saxo ad collum ligato, in flumen præcipitatus est.* Adi super eo ad hymnum VII. περὶ στεφάν. Aurel. Prudentij. SISCIA verò in Pannonia superiore, & legionario præsidio, & rei monetariæ gloria floruit. Cuius in Treuiris ex antiquorum nomismatum indicio vestigia, sæpe non obscura deprehendimus. Quemadmodum vero Quirinus hic Siscianus Laureaco Noricorum adscribi possit, inquiritur libr. III. rerum Boicarum à C. V. Marco Velsero. Siscia.

VINCENTI HISPANA.] Versiculum inter eos reperio, quos Beda recensuit. Legit autem ipse, *Vincentij*. atque ita per Synalæpham, vel duas vocales, vnius superuentu coalescere, aut regulam Lucilij habuisse locum, qua geminum I fit simplex. Vtriusque varia occurrunt exempla. vt lib. IV. *Dum modo, quæ nolui, vino, dabo verba sepulto*; &, *Apis hinc aluearia liquet*. hic etiam, *Africa Cyprianum*. Rursum lib. III. *Iure sacerdotI, meritis præfulget HilarI.*

EGREGIVM ALBANVM.] Huius & versus, & ipsius autoris meminit Beda hist. Anglor. lib. I. c. VII. In Britannia passus est S. Albanus, de quo presbyter Fortunatus in laude virginum, cum beatorum Martyrum, qui de toto orbe ad dominum venirent, mentionem faceret, ait, ALBANVM EGREGIVM &c.

PORRIGIT IPSA DECENS ARELAS PIA DONA GENESI.] Vix ambigo, quin Fortunatus, cum hoc poëma scriberet, hymnum IV. peri stephan. sibi proposuerit, in quo similis beatorum occursus inducitur. Vnde factum quoque, vt prosodiam eius in Genesio retinuerit.

Teque præpollens Arelas habebit,
Sancte Genesi.
Priuatum Gabalus. Iulianum Aruernus abundans,
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.

Priuatum Valeriani & Gallieni tyrannide, in Gaualitano territorio Galliæ, martyrio sublatum, Romano martyrologio proditur; cuius adi notationes, ad XXI. Augusti. Gabalus autem, Gabali & Gabalis, vulgo Chaue dicitur, cuius populi in Aquitania Gabales Aruernis confines. Mittit libellum suum Sidonius in

Terram Gabalum satis niuosam.

Iuliani & Ferreoli memoriam attigimus libr. V. In S. Iuliani prodigijs illustrandis Gregorius librum secundum consumit de Gloria Martyrum. Vbi & S. Ferreoli, & capitis S. Iuliani celebris translatio ab origine repetitur, quæ ex Castuli æde facta in basilicam nouam citra Rhodanum, quam S. Mamercus condiderat. Meminit & Ado Viennensis alterius, quæ à Vuillicario præsule instituta, postquam Saracenorum clade, veteri hoc abolito templo, reliquiæ vtriusque martyris intra vrbis Viennæ mœnia recepta. Id quod Beda quoque in suo martyrologio ad XIV. Calend. Octobris annotauit.

ARVERNVS ABVNDANS.] fertilis. quam lectionem veterum exemplarium fides affirmat. corrigit tamen V. C. Ioan. Sauaro. Iulianum ARVERNVS ABVNDAS. emendationem eam Claudiani Mamerti Solœcismo defendens. Qui multa scientiarum abundat talenta. Verum lectioni nostræ res ipsa fauet. Sidon lib. IV. epist. XXI. de Aruernis. Taceo territorij peculiarem iucunditatem, taceo illud æquor agrorum, in quo sine periculo quęstuosæ fluctuant in segetibus vndæ; quod industrius quisq; quo plus frequentat, hoc minus naufragat; viatoribus molle, fructuosum aratoribus, venatoribus voluptuosum; quod montium cingunt dorsa pascuis, latera vinetis, terrena villis, saxosa castellis, opaca lustris, aperta culturis, concaua fontibus, abrupta fluminibus; quod deniq; eiusmodi est, vt semel visum aduenis, multis patriæ obliuionem sæpe persuadeat. Similia Saluianus lib. VII. & Greg. Turon. hist. lib. III. c. IX. & XI.

FELICEM MERITIS VICETIA.] alij Vincentia, prior antiquis vsitatior, nam Æliano Βικετία. Plinio Vicetia & V. I. Manutio teste, Veicetia mediterranea ciuitas Venetorum.

IVSTINAM PATAVVM.] Calat. *Pataui.* sed Patauum carminis gratia pro Patauio accepit. adi Martyrol. ad VII. Octob.

EVLALIA EMERITA.] Aurel. Prud. hymn. III.

Germine

Germine nobilis Eulalia,
Mortis at indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam
Cuius ab vbere progenita est
Ossibus ornat, amore colit.

CÆCILIAM SICVLA TERRA PROFERT.] Vt de Romana illa spectata fortitudine & pudicitia virgine loquatur, nihil est, quo tam imperitum fuisse credam: præsertim, si origine Siculam, vel in Sicilia certasse contendat. Eius autem, quod extiterit hoc æui in Sicilia clarior memoria, vel ob reliquiarum, vel cuiusuis alterius beneficij fructum, id verò facilem habet explicatum. quemadmodum & lib. I. poëm. 2. de Rauennensi Ecclesia cecinit.

Sanctus Alexander, fælixque Cecilia pollent,
Quod genus, atque fides, & manet vna salus.

Haud dissimili olim ratione, beatorum Cosmæ & Damiani quia Romæ cultus erat impensissimus, creditum à multis ibidem quoque martyrio coronatos, quos acta tamen probatiora, quæ ad XXVII. Septembris apud Surium leguntur, sub Lysia præside in Algea certasse ostendunt.

LEGIO FOELIX AGAVNENSIS.] Nihil hoc versu in quibusdam vulgatis deprauatius: *Feliciam regio . . . Cauninensis.* Ceterum Agaunensis militiæ, de qua alibi diximus, palæstra, vel pueris iam nota est. Agaunenses martyres.

TV TAMEN ESTO MEMOR.] Hinc omnia prauo corrumpendi artificio abscidit Fabritius, haud affabrè quidem Christianorum poëtarum opera nonnulla recudens.

INSERITVR CAPITI RADIANS.] Gemmeus hic est totus poëta, ita in virgine sua ornanda, decore vndique quæsito luxuriat. Nec instituti mei, agere hic lapidarium aut λιθογνώμονα, sed laboris hoc me leuant, scio. Nomenclatores. Ne tamen hic sigilla aut Cyclas te morentur: hæc vestis fœminea est, quæ veli in morē amiciens corpus circūdat. Eā ad sponsas & pronubas trāstulere veteres; quo modo scitè hic Fortunatus illā vsurpat. S. Ambrosius apud Io. Salisberiens. Policrat. li. VIII. c. XII. cycladē dixit auro intextā. Sidonij lib. I. epist.

epist. v. perspicua verba. Iam cyclade Pronuba, iam toga Senator honoratur.

SIGILLA, aut inspersas cycladi putaui velut icunculas, aut assutos vesti clauos, quos purpureos in tunicis Laticlaui, Romanique Senatores, ostendebant: Sed aliud glossa Sangellensis innuebat, cum hic interpretaretur, SIGNA ANVLORVM: adi tamen Pollucem lib.13.c.7.

Dextra armilla datur Chalcedone Iaspide mixta.

Illustrant versiculum hunc Marbodei Rhedonensis episcopi carmina, quæ citat de pretiosis lapidibus ab eo facta, doctus Sidonij interpres Io. Sauaro.

Chalcedon lapis est hebeti pallore refulgens,
Inter Hyacinthum medioximus atque Berillum.

SAPHIRA.] alijs Sappyra & Sapira. Sed satis historia priorem lectionem approbat, quam ex Actuum v. capite repetit.

NON VETO CONIVGIVM, SED PRÆFERO VIRGINIS ALVVM,] γνώμη in nuptiatores huius æui & Iouiniani misopartheneios asseclas.

ANTENNA VELIFICANTE CRVCIS.] Qui crucis dominicæ schema in artefactis quoque monstrarunt, scitè & eleganter in nauium malis & antennis, eius figuram adumbrarunt. *Iustin. apologet.* II. *Maximus homilia* 21. *de cruce.* Hieronymus autem, quem hic expressisse videtur Fortunatus, epist 1. ad Heliodorum c. v. VELA, inquit, SVSPENDITE, CRVX ANTENNÆ FIGATVR IN FRONTIBVS.

. . . . NON VALIDVS SPES RAPTA DOLORE] Acephalus is versus extabat priorum omnium MS. S. exemplarium conspiratione. Sed posteriorum tandem beneficio integritati restitutus est. NAM VALIDO FVERAT MATRIS. S.R.D.

V.

HOc poëma, libri nomine, primus extulit G. Fabritius, codicem Morbachcensis abbatiæ celebris MS. Basilea nactus. Sed enim homini parum ego fidei habebam, dum fidem sui maiorem mihi ipse faceret author, cuius, in relectione versuum, hic elucere ingenium

ingenium facile cernebam. Et licet ab omnibus antiquis libris, quos quidem ego lustraui, vulgatisque hæc pars abesset, indicio tamen libri scripti è monasterio S. Galli, inter Fortunati opera reponendam, non dubitaui: cui rei non tenue argumentum efficiebant stylus, locique similes expressi, ex eodem ingenij fonte. Fuit illa maiorum perpetua in hanc virginem & eximia pietas, vt præstanti quadam & honorifica veneratione DOMINI MATREM COELIQVE REGINAM complecterentur, eamque superûm prorsus nemini, spe fiduciaque suffragijs captanda, posthaberent. Et meritò in hac velut arce perpetuam tutelæ & auxilij spem collocabant, vt quæ Charismatum prærogatiua, & cœlestium munerum copia, ante omnes mortales esset, patrocinij commendationem & opitulandi laudem præriperet alijs. Horum ergo vestigia persequens Fortunatus, sanè quàm maximo potuit encomiorum adparatu, virginem deiparam cohonestauit. Poëmati vero faciem indidit, variam: Nam quâ sacrosanctæ Incarnationis mysterium exponit & illustrat, dum prophetarum oraculis pertinaciùs insistit, præcipitem in locum orationem commisit. Enimuerò, vbi reuerētia diuinarum litterarum per trita incedere mauult, & scripturæ sacræ retinere simplicitatem, metrorum leges, & carminum suauitatem, exemplum veterum Christianorum poëtarum frāgit, ingenij vim præferens delectui verborum. Sed inest tamen in hoc impexo tristique cultu, nescio quid florentis & robusti saporis, quod vt elegantiæ cupidos, sapientiæ inanes minus delectet & aduertat, ita nimirū eos, quos in omni iuuat doctrinarū palæstra, recto, quod dicitur, (?)e ille talo, vtilitate quadā sua, & naturali pulchritudine, trahat, q; detineat. Sparsi etiā hic à Venātio insignes è media Theologia loci, quibus & Messiæ aduentus, maiestas, diuinitas, adeoquè tota verbi Oeconomia, præclarè ex diuina scriptura monstratur ac stabilitur: nonnullæ quoque maiorum loquendi regulæ proponuntur, quibus in hoc tam admirabili diuinæ & humanæ naturæ consortio, vti mos erat. Harum itaque vt gnarus fuit ipse, sic vtriusque naturæ functiones, proprietates, & attributa, accuratè notauit; &, quod contrà fieri ab ijs solet, qui portentosam illam hoc sęculo nostro ἰδιωμάτων κοινωνίας inuexerunt, probè seiunxit. Istud verò &

B. virginis cultus

Poëmatis huius forma.

Venerab. Beda de arce metrica.

Doctrina.

Pictura.

rò & graphicè depingit, & ceu geratur adhuc, sub adspectum penè subijcit: quemadmodum virginem, noua prole iam sua fœtam, Deoque plenam, angelorum & beatorum spirituum obsequia ambirent, frequentesque, partitis inter se munijs, hanc cœli terræque reginam assiduo ministerio circumdarent, & honoris studio sequerentur. Inde varijs insuper cumulatam præconijs laudum, honorifico occursu, & cœlitum addito comitatu, tandem illas deducit in sedes, vbi, quo vix dici potest, splendore super omnes admirabili decoratam, ostendit Angelorum hominumque alternis laudibus mirificè cantari: adhæc supergressam angelos, & Apostolos, Christiani orbis patriarchas à filij dextris iuxtà assidere, corona redimitam in vestitu deaurato, prorsus illud, Ecclesia tota celeberrimum assumptæ virginis, & super choros angelorum exaltatæ, gaudium, tot antè sæculis accinens & confirmans, quo deiparam matrem illa profitetur, anima & corpore in cœlum esse translatam.

Georgij Fabr. impostura. IN LAVDEM S. MARIÆ VIRGINIS ET MATRIS DOMINI.] Hæc inscriptio germana poëmatis, quam, vt fures solent signa rerum, quas iniustè detinent, sic in editione sua G. Fabr. commutauit. Nam vt Fortunatum, aut à seipso desciscere, aut Lutheranum esse cogeret; titulum qui laudis & honoris professionem, & clausulam, quæ manifestam Sanctissimæ Mariæ Virginis inuocationem habebat, deprauauit: & hanc velut carminis pulcherrimi nauem, vt ita dicam, puppi & prora spoliauit: documento futurus, quàm parum integra fide in veterum libris edendis & castigandis, sectarij versentur. INSCRIBI ergo ipse maluit, DE PARTV VIRGINIS, quasi absque magna stultitia, quam tanta cum laude Deum hominemque genuisse inficias ire non poterat, quia peperisset, à Fortunato laudari, aut ab alijs etiam honorari, nollet.

DE QVA FLOS CHRISTVS ABORTVS.] id est exortus. Statius 8. Thebai. 7. de Plutone.

Expauit aborta sidera.

Hypostatica vnio. NON DEVS IN CARNEM EST VERSVS.] Symb. S. Athanasij. *Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis*

manitatis in Deum. Qua fidei Confessione propriè iugulantur Eutychiani. Nam Eutychetis hic error fuit, vt ante vnionem hypostaticam in Christo quoque poneret duas naturas; post vnionem verò, vnam diceret ex vtraque conflatam, idque per conuersionem diuinitatis in humanitatem, vt Gelasius pontifex refert libro de duabus naturis contra Eutychetem. Ceterum eius erroris, Eutyches non tam autor fuit, quam propagator: cum & in Apollinaristis olim notatus sit, & à sancto Athanasio ad Epictetum studiosè refutatus. *Epiph. hæres. 77. & Aug. hæres. 55.*

VNVS IN AMBABVS NATVRIS.] *Non confusione substantiæ, sed vnitate personæ*, ait in symbolo suo Athanasius. Incredibile dictu, quot, paucis his verbis, hæreseon monstra conficiantur. Nam Christo alij, vt duas naturas attribuêre, sic item duas habuisse voluerunt personas; vti Nestorius cum Theodoro Mopsuestano tradidit: alij, vt vnam Christo tantum dedêre personam, sic vnam modò concessere naturam; idque plurifariàm, cùm eorum pars diuinam excluderent, & retinerent humanam, vt Cerinthus, Ebion, Carpocrat. Paulus Samosat. & nostra memoria, Ioannes Syluanus is, qui anno M.D.LXXII. Heidelbergæ capite punitus est; pars diuina solum retenta, humanam excluderent, vt Cerdon, Apelles, Manichæi, Apollinaris, & nostri sæculi Vbiquetarij; qui, etsi verbo duas agnoscant in Christo naturas, re tamen statuunt vnam duntaxat, cum paria humanæ iuxta tribuant ac diuinæ; per inexplicabilem illam suam idiomatum communicationem. Quæ iccircò à me commemorata sunt, quia, vt ad Ctesiphontem contra Pelagianos scribens ait B. Hieronymus, sententias hæreticorum prodidisse, superasse est, Et præclarè in ψυχομαχίᾳ apud Aurel. Prudentium; Hæresis, quem Deum coleret, rogata, aptissimam hanc responsionem subiecit:

DEVS EST MIHI DISCOLOR, *inquit.*
NVNC MINOR AVT MAIOR, MODO DVPLEX, ET MODO SIMPLEX,
CVM PLACET AEREVS, ET DE PHANTASMATE VISVS,
AVT INNATA ANIMA EST, QVOTIES VOLO LVDERE NVMEN.

MINOR INDE PATRI.] Quia apud veteres interdum dandi

casus in ordinem secundæ comparationis recipitur, vt in illo Salustij. *nulla arte cuiquam inferior*. eundem assumere quoque solum, hic non veretur.

CARNEM, ANIMAM, OSSA, CVTEM, NERVOS, VENAS, FEMVR, VNGVES, SERVVS VT ASSVMENS.] Habent hic, quo se defendant, qui probabiliter in scholis hodie docent, etiam dentes, capillos & vngues verbo hypostaticè coniunctos.

DEVS EXCITAT ECCE PROPHETAM.] Locus hic, quo Iudaicæ perfidiæ iugulum peti solet. legitur autem in Deuteronomio paulò aliter: PROPHETAM DE GENTE TVA ET DE FRATRIBVS TVIS, SICVT ME, SVSCITABIT TIBI DOMINVS DEVS TVVS, IPSVM AVDIES.

QVADRIGAS PERDENS.] Mutarat. G. Fabr. in *Currus*. Sed Zachariæ IX legitur. QVADRIGAM EX EPHRAIM.

O VIRGO INSIGNIS, NOBISQVE MEDELLA MONADES.] Principem generis nostri ac matrem communem Euam huic sæculo placuit, appellare MONADEN, vti loco dicemus: quare, pari iam modo, salutis nostræ fontem, ac generis humani medelam, Virginem Mariam salutat; quam, hoc etiam nomine, tota celebrat Ecclesia.

O GLORIOSA DOMINA,
EXCELSA SVPER SIDERA,
QVI TE CREAVIT PROVIDE,
LACTASTI SACRO VBERE.
QVOD EVA TRISTIS ABSTVLIT,
TV REDDIS ALMO GERMINE.

Non ferre hoc in Christiano & Catholico poëta potuit Lutheranus poëtaster G. Fabr. quare expuncta parte versus, suffecerat ista. *Mater pia, nobile semen*.

O MERITIS RADIANS.] Similiter, vt omnes hic MERITI notas obrueret, quo propter excellentiam operum & iustitiæ perfectionem, & Charismatum ingentem vim beatissima Dei mater eximiè polluit, detractis fallaci manu, quasi meritorum vestigijs scripserat; *O forma radians*: sicut & alibi, vbi FORMA SALVTIS, posuit, *fama*.

SVB-

SVBNITIDARE.] Non vocem illam probaret Philologus, nisi Ennio & Columellæ nosset probatum NITIDANDI verbum.

HVNC SVA PORTA ROGAT.] Ex Psalm. 86. ostenderat APOSTOLOS esse PORTAS eas cœlestis IERVSALEM, QVAS DILIGERET DOMINVS SVPER OMNIA TABERNACVLA IACOB. Hic allegoria retenta, portas quoque ad eos refert populos, quia Apostolicis institutis & doctrina, ad Euangelij lumen traducti, diuersi ex mundi partibus, ad gloriæ item consortium peruenerunt. Id quod aptè ex cap. XXI. Apocalypsis ostenditur, vbi CIVITATIS SANCTÆ IERVSALEM NOVÆ, DVODECIM PORTÆ NOTANTVR. quarum certè portarum nomine docti interpretes accepere doctrinam Apostolorum. Vt autem eadem est doctrina, quam accipit discipulus, & quam tradit magister, sic eadem dici porta quadantenus potest, quam patefaciunt Apostoli; quæque patefit credentibus. Vnde & portæ tres describuntur, ab Oriente & Aquilone; totidem ab Austro & Occasu: Siquidem, IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONVS EORVM, *psalm. XVIII.* Adi B. August. ad psalm. 86. Apostoli portæ XII.

PER QVEM OMNES FINES TERRÆ.] Quatuor postremos versus G. Fabr. à se factos, pro Fortunati hîc venditauit, quo, ne constaret, quâ pietate, ac fiducia maiores B. Virginem coluissent; Canit ergo Lutheranus hunc Colonomon.

Omnes iam fines terra meruere salutem.
Per Christum genitum virgo Maria tuum.
A patre perpetuo, certo tibi tempore natum,
Qui mihi spes veniæ, caussa salutis. Amen.

VI.

PARÆNESIS hæc est ad pulchritudinem virginitatis amplectendam, qua præmiorum magnitudinem & aureolæ gloriam proponit castitatem adamantibus, ea verborum & orationis mellitæ elegantia, qua veterum quilibet alius. Inde perpetuò florescentis ingenij tenore ad Rhadegundem vario amœnitatis argumento carmina scribit; in quibus VIII. Epigramma prorsus est suauissimum;

Florũ vſus in templis & ſepulchris.

mum; commendatque Eccleſiæ antiquiſſimum vſum, floribus & coronis altaria ipſaque templa adſpergendi, & ſola terrarum, vbi quis ſepulchrum inueniſſet. *Sulpit. Seuerus. dialog. III.* Pomponij ſodalis optat ſolum ad Ptolemaidis litus, in quo perierat, *flore purpureo & ſuaue redolentibus ſpargi graminibus.* Clarius morem eum exprimit B. Hier. ad Pammachium de morte vxoris eius. *Ceteri mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt vio'as, roſas, lilia, floreſque purpureos: Pammachius noſter, ſanctam fauillam, oſſaque veneranda, eleemoſyna balſamis rigat.*

XII.

RHADEGVNDES quadragintadialem abſtinentiam alicubi in ſolitudine videtur exegiſſe, ſeque conſpectui abſtuliſſe familiarium. Quippe innuit hic poëta, quotannis eam edomando corpori delegiſſe ſolitudinem, recluſamque degiſſe totum illum menſem, qui glorioſam anaſtaſin antecedebat.

XIII.

FEBRE CALENS SVMMA IAM RIGOR IMVS ERAM.] MS. Treuir. & alij. Rigorem frigoris ab æſtu febrium non excludi, ſatis experientia liquet. etſi Colon. MS. lectio: *Non rigor imus eram,* diuerſam gignat ſententiam. Pulmannus corrigebat. *Iam rigor vnus eram.* Simili vſus eſt tamen Fort. loquendi modo, Feruor eram totus.

REDDITVR IPSA SALVS.] Intricatus hic verſus, haud potuit aliter expediri, quam leui correctione, tranſpoſituque verborum, cùm ab alijs libris abeſſet, ab alijs malè acceptus eſſet. Alicubi enim; *Redditur iſte pater alme ſaluto ſaluti.* Alibi verò. *Salus atque ſit, alme, ſaluti.* Sententia tamen haud perinde difficilis eſt, cùm ad nuntium inuitantis Gregorij ilicò ſe febribus, queis æſtuabat, leuatum, ſalutemque eius ope adeptum ſibi gratuletur. Quæ verò ſubijciuntur deinceps epigrammata ad Gregorium Turonenſem cuncta perſcripta ſunt; quî cum poëta, vt apparet, amiciſſimè vixit.

IVSTINA,

XVI.

IVSTINA, quæ hic Gregorio commendatur notissima, ac magna obsequij & fidei aduersus magistram suam, laude floruit. Superstes ipsa Rhadegundi fuit; in illa pessimi exempli discordia, quam Crothildis regali licentia fœmina per studia partium in Pictauensi monasterio concitauit. Nam cum immissa armatorum manu antistita loci ad pœnam deposceretur; Iustina magistram asylo destitutam, extinctis lucernis, & pallâ altaris protectam, asseruit. Greg. lib. x. c. xv. Iustina virgo.

XXIII.

ILLE OPE ME ANTIQVVM.] Contendit Gregorij & B. Martini in se munificentiam: olim, ait, ope S. Martini se releuatum; iam verò, vti beneficio præsenti ruris & prædij à Gregorio concessi.



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI

LIB. IX.

LIBER nonus in ijs censeri quoque potest, qui lucem iam primùm, aut publicum accipiunt. Ingressus ab encomio Chilperici & Fredegundis, quorum famæ potiùs laboranti antidoton, quàm solidæ fructũ laudis impertit: hoc enim officij genus non refugit sapiens, cùm principes viros, quorum salutaris reipublicæ fama & existimatio, quò ne prolabantur obtrectationis inuidia, quæsito præconio fulcit ac subleuat. Ceterum Chilperici & Fredegundis ad VII. poëma libro VI. satis meminimus: horum autoritate quæstio maiestatis exercita fuit; cuius vis etsi in ipsam Fredegundem, ob adulterij suspicionẽ com- Fredegundes impia regina.

motam,

motam, incumberet, ad innocentes tamen deriuata, in regiâ grassante delatorum manu. Haud vacabat periculo Gregorius Turonensis, quem accusationem adornasse, fama erat. & adulteri nomen proditum in episcopali ordine.

I.

Synodus Brinnacensis. QVo factum vt quęstio ad synodi ecclesiasticæ tribunal iudiciumque transiret, quæ anno DXXCIII. Brinnaci coacta, variorum episcoporum aduentu, & huius caussę disceptatione, celebris extitit. Porrò vt ex actis, quæ apud Gregor. lib. V. c. LVII. & seq. extant, colligitur; accusatio delatorum ibi trepidauit: & testibus fractis absoluti sunt rei. Leudastes verò Comes Turonum, & ob eius magistatus amissionem criminatorum caput, omnibus sacris eiectus, & communione interdictus est.

Brinnacũ. BRINNACVM verò, villa fuit regia in Suessionum finibus obuia passim in Francorum historia, sed non vna scriptura: quandoquidem trium vocalium harum cuique a, e, i, prima iungi syllaba amat. *Apud Brennacum villam*, ait Gregorius, *episcopum vnam domum residere iussi. lib.* V. c. L. At lib. IV. c. XXII. tradit Chlotarij aliorumque regum gazas istic asseruatas, & dissertim de Chilperico, *Thesauros*, inquit, *qui in villa Brannaco erant congregati, accepit.* Alibi & domicilium ibi habuisse docet: nec procul abfuisse à Suessionum vrbe, cum & filium Chlodobertum istic morbo extinctum & feretro ad Suessiones elatum narrat in basilicam S. Medardi. *lib.* V. c. XXXIV.

Chilperici etymon. CHILPERICE POTENS.] Hic etymon nominis à Germanico sermone repetit, nec temerè vllo in idiomate alio, quam hoc nostrate Teutonico, integra ea notio refertur. ADIVTOR FORTIS HOC QVOQVE NOMEN HABET. Quid enim aliud Hilprich/ quam opis & auxilij potens? Nec obstat quidquam, id in alias subinde commigrare voces; Hilffreich/ Helprich. pro dialectorum natura ac varietate. Discimus hinc primo, Ch. quod Francicis multis vocibus pręfigitur, idem esse quod H. aspiratum, vt in Chlodoueus, Cheribertus, Chlotharius alijsque cernitur. Secundo; Francorum veterum sermonem eundem fuisse cum hoc Germanico siue Teutonico; id quod

quod alibi tum ex Francicarum legum interpretatione, tum alijs etiam documentis ostendere conati sumus. Sanè illud Sidonij Apollinaris, libr. v. epist. VI. luce meridiana clarius est. De Syagrio consulari viro. *Immane*, inquit, *narratu est, quantum stupeam, sermonis te Germanici notitiam tanta facilitate rapuisse.* Et mox. *Quasi de Syagrio vetere nouus Franco prorumpas.* Idem obseruarunt è recentioribus Papirius in annal. & Ioseph. Scaliger in prologo ad librum de emend. temp. vbi hanc dialectum Teutonofrancicam appellat.

SED MERITIS TANTIS.] Historiam delibat, quam Greg. libr. IV. c. LI. fusè prosequitur. Sigebertus enim rex, cum Fredegundis reginæ dolo & præferoci ingenio parata percussorum manu, cecidisset, ipse Chilpericus, in quem Sigebertus hostili animo consurrexerat, in vltimum quoque vitæ regnique discrimen venerat, sed rerū subita conuersione, & precibus B. Lupicini subleuatus, non sceptra modo cum dignitate, sed salutem etiam & integrā rerum omnium securitatem adeptus est. Adi Baron. tom. VII. qui ad ann. Christi DLXXIX. hæc ex Gregorio repetens, huius poëmatis partem annalibus adtexuit.

DANVS, EVTHIO.] Suspicabar ESTIO legi posse; obruta EVTHIONVM, si quæ gens eius nominis, memoria. ESTONES autem vel Estiones hodieque inter Saxonum reliquias numerantur apud Liuoniæ fines, Suecis, Moschis, Danisque parum abiuncti.

DOCTIOR INGENIO VINCIS.] Multa sunt ex quibus Chilpericum regem, litterarum ac scientiæ captasse famam, nec inter indoctos censeri voluisse, constat. Primùm omnium ipse Arrianorum dogma oppugnatum ijt: sed parum cauto stylo, cum Arrium configere se ratus, in Sabellij damnatos errores præceps abijt: etenim Indiculum spargens, sanctam Trinitatem non personarum distinctione, sed Dei vnius tantummodo æstimari nomine voluit, confusis in vnum personis, cum digniorem esse Deum diceret, quàm in cuius naturam personæ nomen caderet. Sed error hoc in Chilperico leuior exutit, quò promptior eius & facilior ad saniorem doctrinam reditus. *Gregor. lib. V. C. XLIV.* Laudatur in hoc etiam — Chilperici doctrina & litteræ.

dd propen-

propensa ergo honestarum artium studia Chilperici voluntas, quod epistolis & Edictis publicè sanxit, vt quatuor ab se litteras traditas, Ω. Ψ. Z. Π. pueri docerentur: & libri antiquitus scripti, pumice planati, rescriberentur. Ceterum apud Aimoinum lib. III. c XLI. litteræ reperiuntur ab istis diuersæ, quas & ipse Chilpericum adinuenisse, vel vsurpari voluisse, scribit. X. Θ Φ. Hæc porrò Gregorij verba; *addidit autem & litteras litteris nostris*, pro argumento nonnulli sumunt, Gallos tunc priscis Græcarum litterarum notis vsos fuisse: At dixerim equidem, hæc de Francis aduenis potissimum intelligi, quorum idioma ad pleniorem orthographiæ rationem semilatinis scribi solitum litteris, de Græco sumptis hisce, locupletarit. Nam si vniuersè Græcarum erat notarum in Gallijs vsus, quas omnes vsurparent, nihil omninò causæ erat, cur hisce, quas Chilpericus serò imperauit, tot sæculis ipsi caruissent. Exhibuit olim mihi, quo est eximio in litterarum amantes candore, Reuerendus D. Reinerus Bieuerius S. Maximini apud Treuiros Abbas, peruetusta Francorum regum diplomata, capitalium litterarum hoc ipso genere, quod inter Græcos & Latinos esset medium: cuiusmodi manu scriptos alibi quoque non paucos, ab illo æuo lustrauimus.

Galli an tunc vsi litteris græcis?

Chilperici regis poësis.

DE CARMINE MAIOR.] Chilpericum apparet carminum ac poëticæ laudem affectasse magis, quàm consecutum esse. Ita quippe hominum sunt ingenia, vt quæcunque in principibus viris mediocria, etiam in immensum attollant. DEI VOCES, aiebant illi, ET NON HOMINIS. *Actor. XII.* parique stultitia insaniebat & ille populus, qui Neronem Tragœdias canentem audire gestiens, cœlestis illius vocis sibi copiam fieri postulabat, & excussum curru, malè licet aurigantem, prosequebatur coronis. *Sueton. C. XXI. & XXVIII.* Veruntamen, vt gemmæ nonnullæ hanc vnam ob causam maiore in pretio sunt, quod non, vt vulgo, è mari piscatu, sed ex auium cerebris & extis animantium eruantur, ita plusculum laudis haud immeritò Summatibus adspergitur, vbi animum artibus ijs imbuunt, quarum artium pulchritudo rariùs in principum animis elucescit. Quæ interim Chilperico fuerit pangendi facultas, Gregorius non siluit. libr. v. c. XLIV. *Scripsit alios*, inquit, *libros idem rex*,

versibus

versibus quasi Sedulium secutus: sed versiculi illi, nulli penitus metricæ conueniunt rationi. Quibus ex verbis, nescio, an statui possit, Chilpericum eos fecisse versus, quos illum S. GERMANO Parisiensium episcopo, pro epitaphio inscripsisse narrat Aimoinus libr. III. c. XVI. præsertim cum rythmicè testetur ab eo compositos, numeri potius, quam prosodiæ ratione.

Ecclesiæ speculum, patriæ vigor, ara reorum,
Et pater, & medicus, pastor, amorque gregis.
Germanus virtute, fide, corde, ore, beatus
Carne tenet tumulum, mentis honore polum.
Vir, cui dura nihil nocuerunt fata sepulchri;
Viuit enim; nam mors quam tulit, ipsa timet.
Creuit adhuc potiùs iustus post funera, nam quo
Fictile vas fuerat, gemma superba micat.
Huius opem ac meritum mutis data verba loquuntur,
Redditus & cæcis prædicat ore dies.
Nunc vir Apostolicus rapiens de carne trophæum,
Iure triumphali considet arce throni.

Equidem, accepta cautione, Chilperico fraudi non fore, si furtiuis huius epitaphij coloribus ipsum ceu corniculam plumis exueto, dicere ausim, eundem, qui vitæ S. Germani acta conscripsit, & huius autorem esse epitaphij: Aimoinum verò permotum fama, ex curatore forsitan, regem fecisse poëtam: Siquidem Venantij phrasis & ingenium ita relucent, vt quàm non ouum ouo, tam non fœtus hic Fortunato sit dissimilis.

CONIVGE CVM PROPRIA.] Non tacet illaudatæ ceteroqui & probris respersæ varijs reginæ laudes; id quod ab eo fieri caritatis officio, sunt qui interpretantur: nam pauculas ciuiles virtutes, tanquam προκάλυμμα quoddam & velum obtendit facinoribus ijs, quæ funestis dudum consilijs, velut altera Phylonome seu Peribæa, patrarat. Nam & Sigebertum regem perdiderat, & nouercalibus odijs inflammata, Clodoueum priuignum multis, eius caussa, cruciabiliter interfectis, etiam sustulerat. *Greg lib. V. C. XXXIX.* At cùm B. Prætextatum, Rhotomagensem episcopum, immisso percussore, saucium viseret, valdeq; sibi cordi esse illum episcopi casum, blan-

Fredegundis illaudatæ laudes.

dis in speciem verbis, ostenderet: vir sanctus; *Et quis*, inquit, *hæc fecit, nisi is, qui reges interemit, qui sæpius sanguinem innocentem fudit, qui diuersa in hoc regno mala commisit.* & mox. *Tu, quæ hisce sceleribus princeps inuenta es, eris maledicta in sæculo. & erit Deus vltor sanguinis. Gregor. lib. VIII. C. XXXI.*

AERA TEMPERIE FAVEANT.] Neutrum aëri tribuere videtur in numero multitudinis.

II.

HABET istuc poëma παραμυθίαν & consolationem ad eundem regem, & coniugem Fredegundem, qua eorum dolorem mitigat ob liberorum funera, Dei mira animaduersione, vnum super alio tristi exitu cumulata. Subijcit igitur eorum animis communem mortalium conditionem, quæ neminem prorsus eximat moriendi necessitati. Latius ea clades totâ quoque Galliâ diffusa est, cùm anno Christi D. XXCIII. pestilentiæ sæua lues cuncta peruaderet, nec ipsi regiæ, regumque turribus parceret. *Gregor. lib. V. C. XXXIV.* Fabritius hic more suo syntagma concinnans, huic poëmati titulum, *De communi omnium mortalitate*, dedit.

Soloecismi veterum.

AC FRATERNA SIBI SARCVLA MEMBRA FODENT.] Sic MS. Treuir. & Colon. At correxit G. Fabric. *membra trahit.* Sed prudens lector præferat etiam vitiosam flexionem, quando in illo sæculorum & linguarum flexu consuetudo vulgi multa similia mutauit. Vnde B. Aug. lib. II. de doctrina Christiana. *Illud*, inquit, *quod auferre non possumus de ore cantantium populorum. Super ipsum autem floriet sanctificatio mea; nihil profectò sententiæ detrahit, auditor tamen peritior, mallet hoc corrigi, vt non floriet.* aut FODENT *sed florebit*, aut FODIENT *diceretur*: *Nec quicquam impedit correctionem, nisi consuetudo cantantium.* addo NISI MOS VENANTII, sic cum æui sui hominibus loquentis: cuius generis plura obseruauit Cassiodorus institut. diuin. lect. lib. I. c. 15. nec mutari voluit. De verbis hactenus. Quid in sententia sit, iam videamus. Ait sarcula fodisse membra Abelis. an vsquam tenemus à veteri repetitum

Abel an Sarculi incussu perierit.

memo-

memoria, Abelem perijsse sarculi incussu? non dicam rei fabrilis vsum tum adhuc forsan extitisse nullum, & illa ligonum & sarculorum nomina, serò cum ipsis venisse rebus. Illud primò constat, diuinis haud esse proditum litteris, ecquo necis genere Abel à fratre cæsus interierit. Mortem ei tamen non contigisse siccam, tum littera Genesis significat, vbi vox SANGVINIS exprimitur, tum Christus ipse Matth. XXIII. attestatur. A SANGVINE ABEL. Porrò laniatum morsibus, commentum est Rabbinorum, facinus immanitatis hoc genere exaggerantium. Sed quidquid tandem de cædis genere, coniectando persuasissent alij, Fortunatum equidem hic non voluisse arbitrabar, ceu sarculo percussus Abel occidisset, sed potius velut sarculis effossa tellure, fuisse cadauer humo tectum, vti studio scilicet occuleretur. Idem Ioseph I. antiq. satis conuenienter diuinis scripturis factum putat. Nam *Cain*, ait, *occidisse fratrem, & cadauere abdito, rem existimasse clam fore.* Et illa sanè verba Dei alloquentis, VBI EST ABEL FRATER TVVS: & Cain respondentis. NVNQVID CVSTOS FRATRIS MEI SVM EGO? satis innuunt, latebram fuisse à Caino quæsitam; & corpus Abelis aliquo vspiam abstrusum loco, requiri & postulari denuo ad lucem. Nam si inhumatum proiecisset, sine vlla fiducia latebræ, tam recenti cædis memoria, non absque extrema, vt equidem reor, & impudentia, & mentis stupore, illud ex ore ipsius missum fuisset; NESCIO. Ceterùm, etsi eam in partem Fortunati verba olim accipiebam, id facilè tamen excuti mihi passus sum, postquam in Aurelij Prudentij Hamartigeneian paulò fixius intendi. Cuius, vt alibi non rarò, sic etiam hoc loco premere vestigia Fortunatum haud piget. Cain itaque Prudentius fossorem appellitans, vbi cædem describit, sic eloquitur,

Armat deinde parricidalem manum:
Frater, probatæ sanctitatis æmulus.
Germana curuo colla frangit sarculo.

ERGO QVID HIC FACIMVS, NVNC TE ROGO CELSA POTESTAS.] Sic Veteres. At Fabr. quo celaret argumentum, ausus est mutare. *Ergo q. h. f. dubia sub funere vita?*

III.

HORTATVR eoſdem ad paſchatis lætitiam vere nouo blandiente ineundam. MSS. *Orbs quoque totus item*: Sic priſcè. *Cum vrbs & orbs homogenia.*

OMNIPOTENS VOBIS NOSTRA.] Quod languidè olim NOBIS VESTRA. Sed in hanc lectionem ducebant poſteriores libri, exprimi namque videtur id loquendi genus, quod lib. IX. variar. c. I. Muretus inprimis extulit, & Tertullianus etiam inter acclamationes veterum repoſuit.

DE NOSTRIS ANNIS TIBI IVPPITER AVGEAT ANNOS.

Quomodo amici quoque, qui valde inter ſe diligerent, ſolent paratos eſſe ſe dicere, partem annorum ſuorum dare. *Senec. lib. de breuitate vitæ.*

IV. V.

Chlodoberti & Dagoberti liberorum Fridegundis funera.

EPITAPHIA liberorum Chilperici, quorum Chlodobertus ſenior, Dagobertus natu minimus communi iſthac lue, de qua poëmate II. ſublati, raptique ſunt. Eorum funus tum regi, tum Fridegundi matri luctum, Franciæque populis mœrorem incredibilem attulit. Dagobertus inter extrema, baptiſmi gratiam hic canitur adeptus. quod Greg. lib. V. c. XXXIV. memorans: *His diebus Chilpericus rex grauiter*, inquit, *ægrotauit: quo conualeſcente, filius eius iunior necdum ex aqua & ſpiritu ſancto renatus, ægrotare cœpit; quem in extremis videntes, baptiſmo abluerunt.* Rurſum. *Dum nimio labore tabeſcit, extinguitur.* Hinc maximo, ait, mœrore funus, è villa Brennaco Pariſios deportari iuſſum, S. Dionyſij baſilicæ fuiſſe illatum. Addit & Chlodobertum ſubinde eodem contagio arreptum, parentum mœrorem cumulaſſe; huncque ſpe patrocinij & incolumitatis ad baſilicam S. Medardi Sueſſiones, nequicquam fuiſſe exportatum.

VI. VII.

GREGORIVS Turonum epiſcopus librum ad Venantium miſerat Sapphicis conſcriptum à poëta quopiam veteri grandiloquo,

quo, cuius partim enarrationem à Fortunato petijsse visus, partim eiusdem metri quosdam versus, cum suppeteret exemplum. Fortunatus cum alia sui purgandi, tum illud principio affert, scripti sententiam ob reconditi sermonis genus & propriorum nominum copiam ægrè se assequi: deinde viginti ipsis annis eius metri versus non attigisse.

RAPIENTER.] Quam vocem etsi raram, approbant tamen MS.

VARIANTE MILTHO.] Gloss. Treuir exempl. habitu vel amictus eo genere. Abstrusa item MILTHI vox, fortè à colore rubro nomen id vestibus attributum μίλτο enim Græcis est, quod nobis minium & rubrica, teste Plinio lib. XXXIII. Quin & Glossæ intercedendum putem, & miltum hic pro rubrica potius accipi, quæ in scripturis nota discriminans. Miltum.

VIII.

BAVDOWALDI Episcopi licet hîc titulo clarissimi, memoriam apud alios adhuc inquiro; &, si coniectura me facit audacem, non difficulter ostendo. Meldensis Cathedra Senonensi archiepiscopo subiecta, peramica fuisse videtur Fortunato; quare & ecclesię Meldensis Archidiaconum lib. III. gratus, memorq; beneficij, laudauit. Porrò apud Antonium Monchiacenum in Meldensium episcoporum indice reperio, hoc tempore ibi sedisse BALDOALDVM, & eius affine vix vspiam nomen in alijs ecclesijs inuenio: quo facilius ad vnum hunc mea redit coniectatio. Baudouualdus Episcopus

IX.

SIDONIVS Maguntiacēsis episcop⁹ fama fuit celeberrima, Theodorico & Theodoberto Francorum regibus & Chlodoueo ætate proximus cuius nouo surgente in Belgis imperio, cum insignis fuisset vastitas Germaniæ I. & II. vrbibus illata, eaque MOGVNTIACO hoc grauior accidisset, quò repetita crebriùs; meritò Fortunatus hic memorat casus, & præteritas vrbis istius ruinas, quæ tamen SIDONII episcopi & Mediomatricum regum opibus in pristinum paulatim redire nitorem, & additis templis, sacrisque tectis, opere nouo Sidonius Maguntinus episcopus.

re nouo resarciri cœpit. Habet hoc poëma & egregiarum virtutum Sidonij episcopi exaggeratam molem, & veteris episcoporum potentiæ argumentum haud obscurum. Quare cum ligneis suis abeant calicibus Lutheri Symmistæ, qui tanquam in Platonis republ. nescio quos ἀναχρύσους & ἀναχρημάτους mentiuntur, olim fuisse episcopos, id est, quales optant Sycophantæ; pauperes & mendicos. Quin si Euangelium audiunt, aureos illos potius nobis calices restituant, quos tot sacrilegijs passim ruspantes, à ligneis, vt volunt, episcopis, compilarunt.

TE MERVISSE FAME.] Huius pentametri pars consensu quodam ab omnibus MS. abfuit.

ET RHENI CONGRVIS AMNES.] Sic Treuir. MS. alias, *congruis amnis*, sed pereunte sententia. Nam ex pentametro constat, SIDONIVM opere publico bona præbuisse aquis. itaque minùs apta quidem locutione, sed quæ facilè capiatur, Venantium id voluisse reor, SIDONIVM munijsse ripas, & amnium duorum violentiam, Rheni & Mœni, qui niuibus & imbribus inflati coniunctique, validiore cum impetu ripis Moguntiaco proximis inferri solent, coërcuisse operibus, aut molitione aggerum. Vnde poëta,

Quid referat terris, qui bona præbet aquis?

HIC QVOD FANA MICANT.] Sic correximus, quod vulgo in MS. *Hic quos fama micat*. Sed vindicant nostram lectionem, quæ sequuntur. *Et instaurata quod extant*.

X.

Rhagnemodus episcopus. RHAGNEMODI episcopi meminit Gregor. lib. V. c. XIV. vbi paululum inflexa voce Ragnemodum appellat Parisiacę sedis episcopum. Interfuisse perhibet illi episcoporum cætui, qui Chilperico rege coijt, in caussa PRÆTEXTATI Rhotomagensis antistitis. Rursum c. XXXII. vbi Basilicam S. Dionysij cædibus Chilperici satellitum pollutam, meminit, compositis rebus à Ragnemodo eos, qui deliquerant, ait, IN COMMVNIONEM ECCLESIASTICAM RECEPTOS. Vbi religio isthæc haud facilè dissimulanda, qua testatur, LOCVM SANGVINE POLLVTVM HVMANO, PERDIDISSE OFFICIVM.

Templorum pollutio.

CIVM. Ceterum hic cum testificatione summi amoris est coniuncta gratiarum actio, ob munera, quæ Rhagnemundus ad B. Rhadegundem & Agnen in Pictones miserat. Fuerunt ea, ex Pario marmore mensa & hierotheca vel gemmatum cimelium EXORNANDO SALVTIFERÆ CRVCIS LIGNO. Istuc verò germanam habet & Catholicam sententiam. S. Crucis honor & adoratio.

Tibi reddat honorem
Cui data proficiunt, Crux veneranda:

fructumque venerationis explicat, quam adorantibus se Crux ipsa, Christi attactu consecrata, largitur. Sed neque honorem reddidisse contenta prototypi particeps,

Auget pijs iustitiam,
Reisq; donat veniam.

Quamobrem B. Rhadegundis alibi eximium in SALVTIFERÆ CRVCIS venerationem, pronumque studium poëta describens, non catholicè magis quam piè cecinit;

Hanc prostrata loco supplex Rhadegundis adorat,
Et vestro imperio tempora longa rogat.

Quid verò id ni faceret regina Christo dicata, cùm & antè laudatus ille mos, Procerum Christianorum pectoribus penitus insideret. De suo sæculo Prudentius canebat, in Apotheosi;

———— iam purpura supplex
Sternitur Æneadæ victoris, ad atria Christi,
Vexillumque crucis summus dominator adorat.

Ceterum argumentum hoc eruditè prosequitur Iacobus Gretserus, cuius libro I. cap. XLVII. & XLIX. lector velim expendat.

XI. XII. XIII.

QVÆ iam hic epigrammata sequuntur, salutatoria sunt ad diuersos amicos Parisijs præsertim degentes. Nam Droctoueum, quem nonnulla exemplaria clericum, at emendatiora Abbatem produnt, satis poëta docet id honoris in monasterio Sancti Germani Parisijs gessisse, eiusque sancti successorem extitisse. Iam liquet verò Sanctum Germanum priusquam Episcopus Droctoueus Abbas.

Parisijs fieret, fuisse Abbatem Sancti Symphoriani. c. III. *vita.* Quare non ambiguè Fortunatus ex discipulo Sancti Germani tradit, euasisse normam magisterij. Obseruo Droctoueum id quoque fastigium virtutis tandem adeptum, vt cœlestibus adscriptus ad x. Martij, Lutetiæ depositionis eius peragatur memoria. Vnde & Amoinus libr. III. c. XVI. *Per idem*, inquit, *tempus*, quo scilicet Sanctus Germanus diem suum obijt, *defuncto Droctoueo sanctissimo abbate, Scubilo abbas ei successit in regimine.* Hunc etiam Droctoueum postea Lupo & Waldoni diaconis admiscet, vnàque Mumulum, Constantinum, & Cæsarium, amicos salutat; vt hos omnes Parisijs simul vixisse, satis vel istinc argumenti suppetat. Sanè præter Mumulum clarissima fama patricium, summumque belli ducem, de quo histor. Franc. libr. IV. & V. multis Gregorius; fuit & MVMVLVS Abbas, vitæ innocentia ac integritate morum BONI cognomentum adeptus; qui & Lingonum deinde pontifex in Pappuli locum suffectus est. *lib. V. C. V. Greg. Turon.* Posteriorem hic celebrari, si coniecturæ locus est, existimem.

XIV.

Briones. APVD Briones Italiæ castrum, regionis alpinæ, cuius mentio in vita S. Corbiniani, haud longè, vt apparet, à natali poëtæ solo, vetusta stabat, & malè sarta basilica, B. Laurentio sacra: quam cum illius loci incolæ tacti religione perire nollent, ad cædendam propinquo nemore materiam fabricæ profecti, ibidem trabes operi instaurando perpoliunt. Iam ædes huc erat deducta, vti assurgeret, cum re serò animaduersa, trabs extitit breuior, quàm operis symmetria posceret. Nec mora, quod manu vix posset, id precibus præstari posse, fiducia ac spes incedebat. Ergo cùm præeunte sacerdote, aptari trabem, & extendi votis pijs optant, & eam in rem Diui patrocinium implorant, ecce tibi, ceu renascente stirpe, trabs se occulta cœlestique mole proferre, eamque in longitudinem ire cœpit, magnam vti eius partem incîdi demum necesse esset. Atque ibi tùm ex vno prodigio varia mox miracula sunt profecta, quando abscissæ trabi partes morbis pellendis salutares,

S. Laurentij ædes.

multis

multis & opem & salutem attulere. Adi Gregor. libr. I. de gloria martyrum c. XL. vbi huius poëmatis exordium narrationi suæ adtexit.

XV.

LIGNEÆ molis encomium: in eo *calces* posuit, quod *calx* latinè dicitur. & Innititur, in Th. Pulmanni codice reperiebam, pro eo, quod varijs MS. erat, *immitior*, sensu parum comperto.

XVI.

CHRODINI Ducis gloriam mirificè extollit, vetustatem generis & collectam rerum magnitudine gestarum apud exteros gratiam, tum rarissimam viri munificentiam, promptumque largiendi studium collaudans. Huius item Gregor. libro VI. cap. XX. meminit: & in anno Childeberti VII. Christi circiter D. XXCV. de earundem virtutum nota commendat; quo tempore diem suum item obijt. Porrò virum fuisse tradit probitate iuxtà ac pietate magnificum, eleemosynis pauperibusque reficiendis deditum in primis, in Ecclesias ditandas voluntate propensissima: munificum in clericos, vt quos benigna manu nutriret, prædijs ac latifundijs auctos locupletaret. Dignos etiam hos versus ob Chrodini memoriam putauit Cæsar Baronius, quibus annales suos illustraret. Chrodinus dux.



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI

LIB. X.

INITIVM ab illa diuina precandi formula sumit, quam CHRISTVS dominus Apostolis suis, ac per eos, omnibus ijs, qui Christianam religionem susciperent, colerentque, proposuit. Cùm autem præceptio Christianæ precationis non adhibeatur solum consilij caussa, sed etiam ex Concilij Tridentini interpretatione, & ecclesiæ doctrina necessarij iussi vim habeat, sanè magna ac præcipua hæc maiorum fuit cura, vt quam Christus orationem suis esse discipulis notissimam voluit, hanc fideli populo impensè commendarent ipsi, & disertè itidem exponerent. Quo modo Tertull. lib. de orat. Cyprian. sermon. 6. Cyrillus catech. v mystagog. Ambrosius libr. v. de sacram. c. IV. Aug. Ep. 121. ad Probam. c. XI. & libr. II. de sermone domini in monte, ijque omnes, qui in c. VI. Matthæi commentati sunt, orationem dominicam pro virili explicarunt. Hos imitatus itaque Venantius eandem precationem de suo ingenio quoque ad populi eruditionem illustrauit; idque eo verborum numero ac pondere sententiarum, vt & ecclesiasticam grauitatem orationis doctrina, & sæculi sui dictionem stylo consequatur. Ceterum sciens sum & hanc orationem, & expositionem symboli ante multos annos Petri Hartungi opera Basileæ, nuper etiam Parisijs Margarini studio editam, & septimo tomo Bibliothecæ SS. Patrum insertam; sed quia mendorum vtrobique silua mansit, & librorum series abscidenda non fuit, recensere hic suo loco cuncta placuit, si non omni gratia nouitatis, at multiplici profectò vtilitate lectionis. Vulgare, inquis,

Oratio dominica.

inquis,& notum negotium; ita fateor, si plenus es: alioqui: *Ieiunus stomachus rarò vulgaria temnit.*

QVOD NISI DOCVISSET.] Ita nuper; nunc cum syluam quandam inutilium fruticum succidimus. NE SI NON DOC. Quia sapientiæ magister Christus summum huic orationi artificium adhibuit, sic vt bona malaque, quibus expetendis aut declinandis animus insistit, omnia contineat; rectè Venantius dixit, hac ignorata, neque tradita, futurum fuisse, vt aut temerè, aut perperam multi peterent. Non ita sanè, quasi Christus vellet, vt quotiescunque preces fundimus, ea duceremus omnia nobis esse petenda, quæ in hac formula præscribuntur: sed vt vel omnia, aut saltem aliqua, vel certè nihil his contrarium: siquidem expetendarum fugiendarumq; rerum summa, hac vna precandi formula continetur. Necessitas & vtilitas eius.

ET QVAM MVLTA SINT IN BREVITATE COLLATA.] Christus hanc orationem breuitate cupiebat in primis esse commendatam, vtpote quam battologiæ Pharisæorum & hypocritarum opponebat. tamen breuitas ista, ait Tertull. loc. cit. magnæ ac beatæ interpretationis substantia fulta est, quantumque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Qua etiam de caussa ab eodem hanc orationem EVANGELII BREVIARIVM appellatam fuisse meminimus. Breuitas.

QVIS ENIM TANTVM SECRETVM MYSTERII COELESTIS HOMINIBVS REVELARET.] PATRIS nomine an solum primam in Trinitate personam, an verò totam ipsam Triadem sacrosanctam accipere debeamus, in percunctando poni solet. Vtriusque enim sententiæ veteres existunt & grauissimi autores. Venantius autem magis inhærere priori videtur, cum Cypriano & Chrysostomo homil. xx. in Matthæum. Vtrauis sanè, doctrina eget cœlesti & reuelata; nam vt ingenij perspicacia Deum esse naturæ parentem, mundique conditorem assequamur, Trinum esse tamen eundem & vnum, intelligere, aut credere, nisi docti PER OS SANCTORVM, QVI A SÆCVLO SVNT PROPHETARVM EIVS, poterimus nunquam. Patris nomen quid accipias.

IMO NVLLVS.] Loquitur aut de perfecta & comprehendente notitia, aut sanè de illa, quæ humani ingenij modum exsuperat, ra-

ròque mortalibus in hac vita, vel nunquam contingit. At verò si ad nullam omninò excellentem claramq; Dei notitiam cœleste magisterium nos aliquando perduceret, ecqua tamen ratione aut esse beati possemus, aut illius sistere vim desiderij, quod nos ad hanc sapientiam nunquam non excitat ac solicitat? cùm maxima præsertim fœlicitatis nostræ pars in eo sita, VT EVM ALIQVANDO VIDEAMVS SICVTI EST. *Ioan. Epist. I. C. III.*

Personarũ S. Trinitatis circũincessio.

FILIVS ENIM IN QVO PATER EST TOTVS, VNITATE SVBSTANTIÆ.] Περιχώρησιν illam admirabilem, & intimam quandam ac perfectissimam vnius in alia personæ mansionem & inhabitationem, hic commendat instituto Veterum PP. ac præsertim Hilarij libr. IV. de Trinit. & B. August. libr. VI. c. vltimo. quorum sententia, singula perhibentur esse in singulis: quin & omnia in singulis, & singula in omnibus & vnum omnia. Vnde & Ioan. X. Pater in me, & ego in eo. & XIV. Non creditis, quia ego in patre, & pater in me est? Ad quæ loca S. Athanas. sermone IV. contra Arrianos. B. Aug. tract. in Ioan. XLVIII. ceterique recentiorum notant, perinde id à Christo dictum atque antea dixerat. Ego & pater vnum sumus, æqualitate puta diuinitatis, &, vt piè Venantius dixit, VNITATE SVBSTANTIÆ, NON CONFVSIONE PERSONÆ, quo sanè ineluctabili telo veteres nouique Ariani configi solent; Erasmo hic nequicquam propugnante nexum caritatis.

Christus caput primum, & fons omnis gratiæ.

ATTAMEN PER GRATIAM VNIGENITI NOS EFFICI MERVIMVS ADOPTIVI.] Caussa meritoria omnis gratiæ, iustificationis, & adoptionis est dilectissimus & vnigena patris æterni filius, D. N. IESVS CHRISTVS, qui capitis præstantia excellentiaque personæ tantùm merendo valuit, vt à prima vocatione ad vltimam vsque gratiæ maturitatem, quidquid adultis cœlestium munerum atque donorum obtingit, id omne numeretur in effectis ac pręmijs meritorum Christi: vtpote qui princeps caussa & commune quasi pretium extitit, quo cuncti etiam se ipsi quodam modo redimere, non tantùm diuina Charismata & cœlestem gloriam emere possent. Etenim sicut in Christo, Apostolo teste, *habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius*; sic, *Pater domini nostri benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in*

bus in Christo. Ad Ephes.c.1. Ceterum de statu & iure filiorum adoptionis, consule Francisc. Toletum in illud 1. Ioannis. *Dedit eis potestatem filios* DEI *fieri, annot. XXXV.*

NON EST IPSE PATER ARIANO, IVDÆO, PHOTINO, MANICHÆO, SABELLIO.] Vnam tantummodò personam in diuina natura Cataphryges agnouere, vt Hieron. ad Marcellum testatur: quod dogma placuit item Sabellio, vt Hilar. libr. IV. de Trinit. Photino, vt B. Aug. hæres. XLI. quo sanè paradoxo magnam ij filio Dei intulere iniuriam. Quemadmodum & hi omnem erga patrem obseruantiam exuerunt, quos, aut filio detrahere diuinitatis æqualitatem, vt Arianos, vel humanam ei naturam negare, vt Manichæos, veritum non est. Non ergo sine caussa à magni patris familia domoque extorres fame pereunt, neque filiorum numero censentur, qui Christum habere Dei filium recusant. Fortiter etiam in Vnionitas hos olim inuectus est doctissimus Christianorum poëtarum Prudentius in Apotheosi. Hæretici sine patre Deo.

Cede profanator Christi, iam cede Sabelli,
Depositorque patris, natique insane negator,
Nonne Patrem violas, dum Natum scire recusas?

Obscurior autem, quæ in MS. sententia, in Parisiensi editione audacter illustrata, sic legitur. *Qui de filio, quàm iniustè sentiunt, tam à Deo patre nostro recisi sunt, & ex patre suo diabolo, fructum carnis recipiunt*: & quia in Codice Pulmanni postrema periodi clausula. f.c.r. posita erat, eam nos iam recepimus, in marginem reiecta veteri.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.] Nominis hic ea notio laudatur, quam aliàs dicimus hominum de Deo præclaram existimationem, & quidquid eo referri potest; quod etiam nomen Hebraismo קדש sanctificari censetur, cum Dei gloria, bonitas ac maiestas colitur atque celebratur; ipseque adeo à nobis vti par, amatur & timetur. eruditè itaque fecit Fortunatus, vt scilicet ad huius notionis vim commentarij sententiam transferret.

ADVENIAT REGNVM TVVM.] Est hæc petitio ex ijs tribus vna, quæ ad Deum pertinent; cùm ceteræ ad nos fermè referantur. Variè autem enarrari solet: vel enim regnum id intelligunt PP. quo in pio- Regnum Dei.

in piorum animis Deus regnat; quo modo Lucæ XVII. dicitur. REGNVM DEI INTRA VOS EST. Aut ſanè quo in beatis Deus regnum obtinet. Vtrumque fermè ſpectat Fortunati commentarius. At Maldonati præfert eos, qui regnum Dei accipiunt, quo Deus ſine hoſte & bello, amicis etiam in tutum receptis, cumulatè rerum omnium aliquando potietur, futurus in omnibus omnia. *Corinth. XV.*

Voluntas Dei.

FIAT VOLVNTAS TVA.] Prorſus in omnibus Dei voluntas vti fieret, nobis optandum eſſet; reſtringit tamen Fortunatus ad certa genera, quæ à Theologis vel præcepti, vel conſilij, imò & ANTECEDENTIS ac CONSEQVENTIS vſitata Scholis appellatione facile intelliguntur. Præclarè verò de GRATIÆ EXCITANTIS AC PRÆVENIENTIS vſu ac neceſſitate, aduerſus Pelagianos horumque ſectatores etiam tum gliſcentes diſſerit; cum ad ſalutis opera ne voluntatem quidem ſatis habilem inſtructamque docet, niſi cœleſti dono excitatam adiutamque, præſertim ſi fidei, ſpei, & Charitatis aggredi negotia velit. Qua profectò diſceptatione egregiè ſenſum approbat Eccleſiæ, quæ ſe cùm alias ſæpe, tum Tridentina nuper ſynodo ſeſſ. VI. c. 2. & 34. aperuit; vbi ſine Spiritus ſancti inſpiratione & ope, qua tum mens illuſtretur, tum voluntas ex ſe quidem imbecilla, erigatur; nihil horum, vti par, ab homine præſtari poſſe, conſtituit. Et huic verò doctrinæ iam ſcholæ ſe lubenter accommodant; traduntque ad iuſtificationem ſui omnino neminem, ſiue proximè, ſiue remotè, ſe met aptare ſolis fretum naturæ viribus poſſe. Id quod tot ante ſæculis Arauſicanus PP. cœtus, c. IV. dixerat, per Spiritus ſancti operationem fieri, non ſolùm vt purgemur, ſed etiam vt purgari velimus. Porrò huius expoſitionis primus paragraphus in quibuſdam libris, interrogatione fuit notatus. *Quid eſt quod ſic petitur, vt fiat voluntas Dei? nunquid aliquis potuit eius reſiſtere voluntati?*

QVI LOQVITVR MENDACIVM.] Nonnihil eam ſententiam ad ſuum inſtitutum detorſit. legitur enim Ioan. 8. c. vbi Chriſtus Iudæos ob caluminandi libidinem pares diabolo facit, qui, cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur. QVIA NON EST VERITAS IN EO. Ceterum cum liberi arbitrij vis ea propria ſit, vt quid-

quid

quid homini conueniens, appetere, similiterque omninò non appetere possit, quod bonum necessarium non est, hinc fit, vt sponte sua nullaque ope aliena possit à regula desciscere quidem sua, nec possit tamen gratiæ munera sine Dei ope indipisci: quia vim appetendi illa nimium superent & excedant. Radix peccati libertas arbitrij

DE NOSTRO SOLVM HABEMVS MENDACIVM.] Anne ergo acies ingenij nostri, ita ad omnem veritatis lucem hebescit, vt inuestigare verum, idemque amplecti oblatum nequeat, magisque fallere aut falli præoptet? Nequaquam hoc Fortunatus dicit: Sed cum fallere homines ac decipi persæpè contingat, adeòque in moribus plurimùm deteriora sequi, quod in actione falsi sensus ac iudicij inerit, totum istuc ab humanæ mentis improbitate manare, nec eius quicquam Deo tribui posse, contendit.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM.] Probatissimas quasque veterum interpretationes amplectitur. In ijs est vna, quæ panis hic nomine corpus domini intelligit; altera, quæ ea solum omnia, quæ necessarij victus cultusque caussa ad vitam sustentandam adhiberi solent. Ceterum Fortunatus cùm ea peti à nobis asserit, quæ & corpori & animæ salutaria sunt; nec præsentis vitæ commoditates præterijt, neque futuræ pignus omisit. Vnde & sui sæculi moribus piè Christi precationem interpretans, ait, vel insinuari saltem, vt Communionem Christi corporis, si possibile est, omnibus diebus, reuerenter sumamus, cùm id etiam tum sumeretur quotidiè à multis. Panis noster.

QVI MONET NE INCIDATVR.] Paris. alijque MS. sic finiunt orationem: etsi pleniorem videatur postulare sententiam.

EPISTOLA II. CONSOLATORIA.

Inscriptam Mumuleno clarissimo viro, tertia, quę hinc sequitur, epistola docere videbatur, & index Vaticanus approbabat, id nominis exprimens; sed quia MS. exemplaribus id præteritum, & in S. Galli codice reperi scriptum, AD VIRVM INLVSTREM SALVTAREM nil affirmatissimè ponere ausim. Leuatur autem dolor ob filiolam susceptus immatura morte sublatam, ostensa ineuitabilis

mali origine, quod à mortiferæ radicis guſtatu iam inde è protoplaſtorum clade exordiens, per tot funerum acerbitates, in omnes manat ac ſæuit poſteros.

INFOELIX CVNCTIS EVA MONADES.] Analogia ſexus, Euæ potius, quam Adamo tribuit funerum exordia, etſi alias, vt Adam parens quidam & fons extitit humani generis, ita & ipſius delictum cum omni pœnarum agmine in poſteros expetijt. Etenim noſtrorum omninò voluntates in ipſius perinde ac capitis arbitrio poſitæ ob pacti rationem cum Deo initi, illo delinquente item deliquerunt, ac proinde, culpa contracta, eaſdem cum ipſo pœnas iure merito exſoluimus. Iam verò MONADA ceu fontem mortis appellat Euam, ſiquidem vnitatis & vnius entis nomine veteres deſcribebant primam rerum omnino cauſam. Quo ſpectabat illud etiam Merc. Triſmeg. ἡ μονὰς ῥίζα τῶν ἁπάντων. Adi Macrobium in ſomn. Scipionis, Plutarch in Homer. Comment. Conimbric. noſtrorum ad lib. 1. phyſic. MONADES autem hic nouo flexu dixit, quod rectè loquentibus, Monas eſt

Eua monas.

NEC FVERAT PLENVS HOMO, SI NON SENSISSET ET TVMVLVM.] At plenos etiam homines eos fuiſſe nouimus, qui tumulum non ſubiere; quare ſi quis tumulum non ſentiret, iccircò plenus homo non eſſet? Voluit id nempe Fortunatus, ex euentu ſepulturæ colligi mortalitatem. Nec imbecilla quidem illa collectio, cum Platonicæ ſcholæ æmulis maioribus noſtris placuerit, hominem diffinire; animal mortale rationis conſilijque particeps: vnde ſi quis mortalitatem negaret, eâdem opera inficiaretur eſſe hominem. Etſi alia via ipſum id conficere poterant. Quæ enim res ex materie conſtat, cuius appetitio vnius poſſeſſione formæ non expletur, ſed ab hac amat tranſire ad quamlibet aliam, ea res natura ſua non ſempiterna, ſed interitui eſt obnoxia, at corpus, quod Chriſtus aſſumpſit, ex eiuſmodi compactum materie fuit: quod ſi ſecus, Chriſtus vtiq; nec mori, ac proinde nec pro mortuo ſepeliri potuit.

Homo mortalis.

HAC EPISTOLA III. APVD PALATINOS, REgumque miniſtros, ſeſe inſinuat, ijſque commendat B. Rhadegundis negotia.

POE-

V.

POEMATA huius libri orditur ab oratorio Artanensi, quod Gregorium Turonum Episcopum amore patriæ, publico decoro, aliorumque sanctorum, ac præsertim Gabrielis Archangeli memoriæ consecrasse, satis apparet: Decimo tertio poëmate describit accuratiùs ædem & reliquias à Gregorio istuc importatas. Atuernum fuisse & ex S. Galli propinquitate loco suo diximus. ARTHONAM verò seu ARTHANAM, ipse Gregorius vicum fuisse memorat in Atuernis. lib. de gloria confessorum cap. v. vbi S. Martinus res olim magnas gessit; vt vel huius memoria, locum istum religione occupatum fuisse, facile creditu sit. Artanense oratorium

VI.

PRÆCIPVAM B. Martini basilicam vetustate collapsam ab eodem Gregorio magnificè reparatam gratulatur. Hanc BRICCIVS B. Martini successor primum exiguam super corpus ipsius sancti locarat. Eandem inde Perpetuus submotam nouis operibus ijs mirandis explicuit & ampliorem constituit, D. Martino in eius templi absidam translato. Cuius rei locuples testis ipse Gregorius in indice Episcoporum Turonensium, vbi tandem de se ipse scribit. *Ecclesiam vrbis Turonicæ, in qua B. Martinus & cæteri sacerdotes domini ad pontificatus officium consecrati sunt, ab incendio dissolutam dirutamque nactus sum, quam readificatam in ampliori altiorique fastigio, septimo decimo ordinationis meæ anno dedicaui.* Et versus hos à Fortunato in ipsa basilicæ dedicatione datos, veri simillimum est. At Perpetui opus præclarè decantat Sidonius libr. IV. epist. ad Lycontium, in epigrammate, quod ecclesiæ nouæ parietibus inscribendum, Perpetui rogatu, elaborauit. vbi inter alia. S. Martini basilica Turonensis.

Nec desistebat ciues onerare pudore,
Gloria magna viri, gratia parua loci.
Antistes, sed qui numeratur sextus ab ipso
Longam perpetuus sustulit inuidiam.
Internum remouens modici penetrale sacelli,
Amplaq; tecta leuans exteriore domo.

Quod verò Victor Giselinus, in eruditis suis ad Seuerum notis, veterem illam basilicæ descriptionem, quam protulit, ad Briccij vel Perpetui opus pertinere maluit, id quidem ob casus temporum & tot interualla annorum, paulò secius interpreter, & ad hoc potius Gregorij opus, si non ad inferiorem ætatem, referendum arbitrer. Descriptio autem illa ex MS. petita sic habet. *Basilica S. Martini abest à ciuitate passus D. ferè & L. habet in longitudine pedes CLX. in latitudine pedes LX. in altitudine vsque ad cameram pedes XLV. fenestras in altario XXXII. columnas XLI. in toto ædificio fenestras LXXII. columnas CXX. ostia VIII. tria in altario, V. in capso.* In vita S. Martini à Richero Abbate Metensi Echoinis versibus scripta, huic Symmetriæ parem ferè dimensionem Iambo Rhytmico expressam legebam, veteri MS. Epternacensis Monasterij.

DE BASILICA S. MARTINI.

Sancti Patris Basilica, diues, decens, authentica,
Locus verè terribilis, angelicus, optabilis,
Fenestris splendens pluribus, columnis atque turribus
Sublimi nitet culmine, sidereoque lumine
Hæc Martini Basilica summo cultu mirifica
Distat ab vrbis mœnibus, ferè quingentis passibus
His quinquaginta copulo, vicino teste populo,
Per quos fit iter peruium ad S. Patris atrium.
Basilica per celebris, fœdo, carens ac tenebris,
Coronis ardet aureis, & tabulis eburneis,
Miris cluens insignibus, & peregrinis opibus,
Sublimem spargit gloriam, per spatiosam Galliam.
Centum & decem sexies in longo passus capies,
Et sexaginta pedibus latum eius comprendimus.
Altum vsque ad cameras penta quaterque decadas,
Et ogdoa sunt ostia per capsum competentia.
Quid de columnis asseres? centum & viginti numeres.
Si decem ducas septies, tot fenestras reperies.
Lampadarum luciferum vix comprehendes numerum,
Reliquam supellectilem credas incomparabilem.

Hanc

Hanc exstruxit Perpetuus Præsul vita conspicuus,
Sacrauit honorificè, sublimauit magnificè.
Roma non habet similem, nec beata Ierusalem.
Non Antiochenapolis, neq́; Constantinopolis.
Lux Nouembris vndecima dat Sancti Natalitia,
Cuius est ordinatio, corporisq́; translatio,
Vel templi dedicatio sub claro mense Iulio.
Certum diem si quæritas, quartum designat veritas.

Delibauit etiam hoc poëma G. Fabrit. at qua solet fide, scilicet Lutherana, & à sanctorum cultu auersa.

LEPROSVM PVRGAVIT &c.

PICTVRARVM argumenta continent hæc septem epigrammata. Nam, vt Fortunatus, *Lucidiùs fabricam picturæ pompa perornat*. Et Gregor. ipse: *Basilicas S. Perpetui exustas incendio reperi: quas in illo nitore vel pingi vel exornari, vt prius fuerant, artificum nostrorum opere imperaui.*

VII.

B. MARTINI acta quædam replicat Brunichildi reginæ & Childeberto filio gratificans, quorum sobolem & incolumitatem eiusdem sancti patrocinio ac tutelæ commendat. De Childeberti verò coniuge Vltrogottone, quam hic nurum Brunichildis appellat, & eius prole Theodoberto & Theodorico ad libr. VI. epigram. VIII. commemini vbi dicitur.

Cum geminis natis tertia mater ouans.

Scriptum verò poëmaticon hoc, Rhadegunde iam extincta, indicat versus,

Stat quoque post lacrymas nunc Rhadegundes opima.

CVI HODIE IN TEMPLO DIPTYCHVS EDIT EBVR.] In Turonensium ecclesia mos anniuersarius obtinebat, vt B. Martini ceu inter cœlites iam dudum recepti nomē clara voce in Ecclesia, cùm diuina fiebant, recitaretur, vt & aliorum beatæ memoriæ Præsulum. Persimile quiddam optat regiæ domui contingere in cœlis, nimirum vt regum nomina in libro vitæ scripta legantur. DIPTY- Dypticho-rum ratio explicata.

CHVS autem quid ſit, cùm à paucis adhuc clarè explicatum habeamus, ſi placet, inquiramus. Operam hanc forſan in parte leuare poterat Caſſiodori clariſſimi ſenatoris liber, quem in Viuarienſis monaſterij ſui nobili bibliotheca collocaſſe ſe ſcribit Inſtitutionis diuinarum lectionum lib. I. c. XXX. curæ ſibi fuiſſe teſtatus, adeſſe antiquarijs & orthographis, ad codices cooperiendos doctos artifices; eamque in rem codicem à ſe relictum, qui multiplices tegumentorum formas haberet, vt, qualem vellet ex his, ſibi ſtudioſus eligeret. Sed diſturbatus hic, vt multa alia voti maioris, ingenij labor. Nominis DIPTYCHI originatio eſt à Græcis, qui à πτύσσω plico, complico, trahunt πτύξ, πτυχὸς & δίπτυχος, ον. quod eſt idem duplicatum ſeu geminum ſe pandens ac porrigens. Vnde Suidas & Heſychius conſenſu dant hoc etymon. Δίπτυχα δύο περιβόλαια ἢ δύο ἐπιβολὰς ἔχοντα, ὥστε τῷ μὲν ὑποστρῶσαι τὸ ἐπίπλεον, τῷ δὲ ὑποβεβλῆσθαι. Diptycha, quæ duabus conſtant tunicis ſeu operimentis, quorum alterum omento ſubſternatur, altero idem obtegatur. Sed à medicis & veſtiario, diptychi ad rem librariam tranſlati ſunt: in qua notant id genus voluminum, quod geminis tabellis tanquam operimentis incluſum, iam plicari, iam denuo replicari ſolet, cuiuſmodi apud antiquiſſimos vſum fuiſſe, ex Herodoto cognoſcimus, qui δελτίον δίπτυχον vſurpauit, id eſt tabellas plicatiles, quod δίθυρον Dionyſius, & Auſonius eleganter dixit, bipatens pugillar. Nam huius generis tabulas ſiue σχεδάρια, πτύχας habuiſſe conſtat; & à Pindaro Olymp. non planè diſpari modo ὕμνων πτύχας, exiſtimant vocatas. Album quoque Gloſſæ reddunt, curiæ polypticum, aut vt P. Coluius reponi maluit, diptychum. Et in ijſdem Gloſſ. Diptycha, tabula manualis, quæ & ephemeris & pugillaris. Ceterum materiam eius variam diuerſi produnt autores. Materia. Philyrinam Dionyſius, cum πινάκιον appellat φιλύρινον δίθυρον. Idem Herodianus libr. I. qui genus diptychorum eâdem operâ depingit. λαβὼν τὸ γραμματεῖον τοῦτο δὴ, τῶν ἐκ φιλύρας ἠσκημένων ἐπαλλήλῳ τε ἀνακλάσει ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένων. Sumpto in manus ex eorum genere libello, qui tenuiſſima elaborati philyra, vtrinque quà aperiuntur, plicatiles ſunt. Philyram autem accipio materiam interiorem, in qua apices exarabant. in Philyris enim ſiue libris arborum antiqui ſcribebant. Plin. libr. XIII. c. XI. *Præparantur ex papyro, quod naſcitur in paluſtribus Aegypti,*

Aegypti, charta diuisa acu in prætenues, sed quam latissimas philuras. MARTIAN. PHILOLOG. *Libri in philuræ cortice subnotati.* & Plin. libr. XVI. c. XIV. subtiliùs describit. *Inter corticem & lignum tenues tunicas multiplici membranâ, è quibus vincula tiliæ vocantur, tenuissimæ earum philyræ, coronarum lemniscis celebres, antiquorumque honore.* Sed obsoleuisse cum æuo philuras, potiusque membranis aut chartis instructa fuisse diptycha ad excipiendum apices, docet vsus ecclesiarum. Exterioris autem ornatus reor materiem fuisse plurimùm ebur: Etsi namque B. Hieronymus ad Lætam scribens placuisse tunc quoque Christianis insinuet, auri & pellis Babyloniæ vermiculatam picturam: obseruo tamen in peruetustis Cathedralium ecclesiarum & cœnobiorum ritualibus, iam inde à Francorum vltima ætate, codices eburneis tabulis gemmatis, & argento affabrè factis inclusos. Et Amalarius libro III. cap. XVI. de ecclesiast. offic. Tabulas testatur, quas cantor in manu tenebat, de osse fieri solitas. Etsi durius apparet & pertinacius ebur, quàm vt stylo, & scripturæ facilè cedat. Meminit tamen librorum Elephantinorum Fl. Vopiscus, qui ex ebore facti magnificis impensis, vt S. C. inscriberentur. Sed dubitant eruditi, num elephantini dicti, quod ex ebore, an quia in corio elephanti scripturam exhiberent. In diptychis autem librorum vitæ quandam ideam adumbrasse Maiores videntur. Vt enim in horum albo nonnulli inscripti, qui non perenni, sed breui iustitiæ laude commendati; alij, qui certo & immutabili numinis decreto in sortem sanctorum cooptati; ita diptychis eorum quoque nomina irrepsisse meminimus, quorum ad tempus simulata virtus id non meruerat, aliorum verò firmiùs insedisse, quorum constans extitit & illibata fidei & morum integritas. Vsus itaque finisque diptychorum fuit in sacris, tum quia memoriæ sanctorum hominum retinendæ, tum quia pacis ecclesiasticæ & communionis sanciendæ: cum dignos cœlo ac sempiterna memoria viros reciperent, indignos verò respuerent & excuterent. Quod posterius, Theodoro Mopsuesteno, Nestorij asseclæ contigisse, Iustinianus Imp. in Edicto de fide Catholica, non siluit: vbi nomen eius deletum, & expunctum fuisse testatur, de sacris diptychis.

Finis & vsus.

chis. Nec dubitat Euagrius lib. IV. c. XI. Iustiniano originem adscribere quatuor œcumenica concilia publicè in ecclesia ex diptychis recitandi, id quod in VI. Synodo, Collatione secunda, factum ab illo prorsus affirmatur. Hinc longè clarissimus iuris interpres, Philip. Berterius Tolosanus Præses, vbi lib. VII. de summa Trinit. τὰς ἁγίας τεσσάρας συνόδους relatas in diptycha, & publicè recitatas meminit Imperator, præclarè corrigit, quod ibi εἰρημένων, scribendum ἱερῶν διπτύχων. & Nouell. c. XV. citans. In Ecclesia ἐν ᾗ πάντες οἱ μακαριώτατοι πατριάρχαι τὰς ἁγίας τεσσάρας συνόδους περιεπτύσσεσθαι, ἤγουν ἀναφέρειν γινώσκοντες, monet ἐντίθεσθαι hic esse diptychis inserere, locumque sic transferendum fuisse. *In qua beatissimos Patriarchas sanctas quatuor synodos in diptychis describere, & publicè recitare, compertum est.* Quare autem in Nouellis Græci etiam, ad ἑπτὰ συνόδους processerint, consule Philip. Berterium Pithanon Diatrib. II. Porro Synodos etiam diptychis chartaceis inscriptas, ostendi potest ex Anastasij bibliothecarij Constantino, quo Romæ sedente, Philippicus Cacodoxus, Iustiniano secundo ad ann. D.CCXI. successit, qui cum formulam prauæ fidei pro diptychis Constantino Papæ obtruderet, clerus & ipse, eâ repudiatâ, Panchartam sex Synodos continentem in ecclesia B. Petri erexerunt. Id quod, scio, de pictura nonnullos, quam de argumento scripto, malle accipere. At imaginem hanc παγχάρτην speciē aliquam diptychi habuisse, sicut & tabulam decalogi Moysi traditam, quam S. Augustinus lib. XV. contra Faustum c. IV. Diptychium lapideum appellat, affirmare non dubitem. Imaginem quippe dictam, quia tabula hæc ornari picturis potuit: Panchartam, quia plicatilis argumenta synodorum inscripta contineret. Cuius meæ coniecturæ rationem ipse suggerit Anastasius, cum populum Romanum omnino noluisse, testatur, hæretici Imperatoris aut chartas, puta quibus formula fidei continebatur, vel figuram solidi, id est, Cæsaris imaginem accipere. Atque ita equidem παγχάρτην accipio, quam benè Berterius notauit apud Anastasium restituendam, pro vocibus scilicet corruptis Votarea & Pancarea, quæ in Baronio & edito Anastasio adhuc leguntur; & nominis originem quoque reperias, in Cebetis tabula, vbi genius describitur ἔχων χάρτην τινὰ ἐν χειρί. Clarius etiam ab ipso Anastasio res explicatur, cum ait, *Philippici*

pici effigiem nec in ecclesiam Romanam introductam, nec nomen eius ad missarum solemnia prolatum; more, quem illustramus, vtroque ad amussim ibi expresso. Atqui DIPTYCHOS, inquis, cum ALBO MARTYRVM confundis, siquidem Cypriano teste lib. III. epist. VI. & lib. IV. epist. V. DIES EORVM, QVIBVS EXCEDERENT, ANNOTARI SOLITÆ, ET ANNIVERSARIA PRO IIS FIERI SACRA GRATIARVM CONSVEVERE. Sed interesse tamen inter illam memoriam & hanc diptychorum, haud obscurum esse potest, cùm hic fermè sanctorum episcoporum in pace catholica defunctorum, ibi promiscue Martyrum victorum & confessione nobilium, nomina personarent, Augustinus libro VIII. de ciuit. cap. XXVII. & lib. XXII. c. X. Chrysost. homil. XXI. in act. Apostolor. Sacra itaque diptycha libri fuêre plicatiles, tunicis seu operimentis affabrè vestiti, materie, quę scripturam exciperet, membranea, chartacea ac philyrina: cui nomina inscriberentur tum sanctarum Synodorum, tum vna fide consociatorum excellentium hominum, ac præcipuè beatorum Præsulum & Episcoporum, vt & ea, quoties anniuersaria Natalis eorum dies recurreret, inter sacrificandum palàm ex ijs legerentur, & eorundem simul in benedictione memoria perennaret: ac denique omnium concors fidei religionisque consensio elucesceret facilius ac coalesceret. Claris id verbis Ægyptij Episcopi in ea testati sunt epistola, quam contra Timotheum sedis Alexandrinæ inuasorem ad Anatolium Episcopum Constantinop. scripserunt, quæsti de eo grauissimè, quod VENERABILI DIPTYCHO nomen impij ac seditiosi Dioscori admiscuisset. Adi Clariss. Baron. tomo VI. ad ann. 430. & quæ, Hormisda Papa, & Ioanne Patriarcha Constantinopoli sub annum Christi 518. acta memorat; vbi crebris postulatis Orthodoxorum flagitatur, vt non Episcoporum modo beatorum nomina, sed & quatuor illa Oecumenica, & toto orbe celeberrima Concilia, quæ Ecclesia tunc colebat, in diptychis reponantur. Porrò notissima figura dixit hic, diptychus ebur, pro eburneo. Sed de Diptychis postquam hæc scripsimus, accuratè Rosvveydum nostrum in Onomastico, quod vitis Patrum subiecit, differentem, consule.

Discrimen ab albo martyrum.

VIII.

PROSEVTICON, quo Childeberto regi, eius matri, soboli regiæ populum fidelem, incolumes opes, sospitem denique familiam precatur. Versibus qui inde excurrunt, *Vt tibi quæ floret*, Brunichilden alloquitur.

IX.

Mosellana nauigatio. HODOEPORICON, quo iter suum prona Mosella ab vrbe Mediomatricum per Treuiros & Confluentes Antonnacum vsque nauigio factum descripsit, insigni antiquitatis illustrandæ ornamento iuxta ac præsidio. Et quia huius poëmatis olim gratiam in Mosellæ topothesia delibaui, non faciam, vt quæ alibi obseruata mihi, frustrà conteram; &, iuxta Hesiodi dictum, cum maiora per occupationes iam nequeam, σμικρὸν ἐπὶ σμικρὸν καταθέσθαι, contentus ero.

Orna flu. GVRGITE SVSCIPIOR SVBTER QVOQVE FLVMINIS ORNÆ.] ORNAM etsi nauium haud potentem & tenuem, ad fluminis tamen honorem euehit. Recipitur Mosella quinque plus minus passuum millibus supra Theodonis villam. Nam iuxta * Rieseburgum ex confragosis in fertile solum sese dimittens, plano paulisper exspaciatus, mox absorbetur.

* Riecheburg.

Sura. QVA SE VOLVERE SVRA VALET; &. AD SVRAM PRONIS LABIMVR AMNIS AQVIS.] SVRÆ ortum cursumque & salmonum prouentu piscosissimum, alibi laudabimus. Eius ostia apud AQVÆBILLICHVM, id vico non incelebri nomen, egregij pontis opere instrata visuntur. * statiuis Romanorum, & S. Willibrordi inclita sede Epternacensi Abbatia, Ausonijque ingenio, laudatus riuus. Duobus milliaribus supra Treuiros meridiem versus miscetur Mosellæ.

* Andethanna.

Treuiris amplitudo PERDVCTOR TREVIRVM, QVA MOENIA CELSA PATESCVNT.] Itane mœnia adhuc celsa istoc sæculo, in funesta & tot ruinis lacera ciuitate? fuisse enim olim, Ausonium legens quis ambigat?

Lata per extentos excurrunt mœnia colles.

Et in

Et in horum mœnium ruinis posterius etiam S. CRVCIS castellum fuit, vbi hodie angustum oratorium cernitur, monstranturque vestigia in Australi colle, vbi nunc Carthusiæ vinea; & stationes ad S.Crucis supplicantium. Fortunati autem æuo plus extitisse veterum mœnium, ad fidem probabile est. Aptissimè verò vtitur voce PATESCIT. nam prona Mosella labentibus ex Mediomatricum & Lucelburgiorum regione post anfractuosos fluuij gyros aperit se vallis, in qua Treuiris olim mœnium amplitudine emicuit.

VRBS QVOQVE NOBILIVM NOBILIS ÆQVE CAPVT.] Non hic ambitiosè priscam replicabo nobilitatem: satis in præsentia sint ea, quæ huius poëtæ sæculo viciniora. Mela lib. III. *vrbes opulentissimæ, in Treuiris Augusta.* Ammian. Marcell. lib. XV. *Treuiris domicilium principum clarum.* Auson. in Cl. vrb. *Armipotens.* Nobilitas & antiqua vrbis & gentis maiestas.

Imperij vires, quod alit, quod vestit, & ornat.

Saluian. VI. de Prouidentia. *Vrbs Gallorum Treuir opulentissima.* Idem. *Non agitur in Treuirorum vrbe excellentissima.* De ciuibus non longè abiero, vt idem ostendam. *Vidi,* inquit, quem ilicò iam citaui, *Treuiros domi nobiles, dignitate sublimes, licet iam spoliatos atque vastatos, minus tamen euersos rebus quàm moribus.* Quod si exsangues & senio proximi tales erant Treuiri, subijce tibi spiritus eorum, de quibus Tac. histor. libr. IV. vbi frendens miles Romanus; *Hanc esse* CLASSICI, *hanc* TVTORIS *patriam, horum scelere clausas cæsasque legiones: Insuper, stare in confinio Germaniæ integram sedem, spoliis exercituum & Ducum cædibus ouantem.* Et Cerealis apud Tacitum ad Treuiros & Lingonas in communi. *Ipsi plerunque legionibus nostris præsidetis, ipsi has aliasque prouincias regitis. Nihil separatum clausumue.* At, ô, mortalium imbecillam conditionem, illa veteris imago potentiæ & laudatæ frequentia nobilitatis antiquæ, quò, Christe bone, tandem recidit? Ostentata raptaque simul omnia, ceu in theatro, peractâ fabulâ; vt nusquam fermè minùs illos iam Treuiros, quàm in ipsis inuenias Treuiris. Declinatio.

QVO PATET INDICIIS IPSA RVINA POTENS.] Constantini æuo Treuirorum vrbs sua senecta, vt reor, sponte prociderat Ruinæ.

Panegyr. Constantino dictus. *Inde tot incussis arietibus & flammis iniectis annon periret?* Saluian. libr. VI. de Prouidentia. *Expugnata est quater vrbs Gallorum Treuir opulentissima.* Et ne putes per leues incursiones aut direptiones. *Quadruplici, ait, est euersione prostrata.* Vtpote Hunnica, Wandalica, Gothica, Francicis repetitis. Vtique ergo potens non iam mœnium, Basilicarum, Theatrorum, Circorumque tenus, sed ruinarum, quas multiplices fuerat perpessa. ἀλλ᾽ εἴη vt de Ilio quidam loquitur, ἀμφιβαλῶσι τεῖχος. Etsi magnum illud extitit in publicis priuatisque malis solatium, quod, vt è rosa succisâ fragrantior interdum odor adspirat, sic ab vrbis excidio religionis Christianæ & Catholicæ pietatis longè maior gloria succreuerit.

VNDIQVE PROSPICIMVS.] Faciem Mosellæ hic graphicè depingit: & vitium culturam suo etiam tempore accolis fuisse studio, docet. Id quod Ausonius in Mosella sua, cumulatè præstiterat.

Contrua seu condta QVA SE RATE CONTRVA COMPLET.] Suspecta dudum mihi de mendo CONTRVA, cùm nullum eius vestigium oculis ac mente flumen obeunti se vspiam offerret. CARDONVM vel COVERAM erat, cùm interpretarer: siquidem vterque hic vicus, insignem habebat ab antiquitate commendationem: sed ratio pariter abiudicabat ac etymon: nam quæ CARDONA est hodie, maioribus fuit, CARADONVM vel CARADONA: & COVERA, etsi coniectoribus CAVERNA, priscis tamen vicus fuit COBERINVS: At verò Contrua Fortunato hic non tam vicus est, quàm fluuius, cùm eam rate compleri testetur. Nusquam ergo pedem alibi inuenio, vbi tutius defigam, quam in exigui nominis riuulo, qui duobus tribusuè passuum millibus supra Confluentes ex Trichoriæ partibus defluens in Mosellam præcipitat; CONDTA nomen retinens: quod item ad vallem & nobilem familiam quandam Zu der Kondt/ postea transijt. Perhibent riui licet hodie tenuissimi vestigia tamen ea superesse, vt alueo longè maiore, & ostio sat lato, olim Mosella receptum, appareat. Denique lectionem CONTRVÆ, quotquot MS. exempla nactus sum, adfirmarunt: vno excepto F. Tiliobrogæ. vbi CONSTRVA:

STRVA: adiectum & Sangallensi codici egregio glossemation, CONTRVAM proprium fluminis nomen interpretans.

TVNC VENIO, QVA SE DVO FLVMINA CONFLVA IVNGVNT.] CONFLVENTIVM hic periphrasis; qui non vtroque solum flumine Mosella & Rheno, sed municipio celebri quoque, & disciplina olim Romana, statione Ripensium militum, inde multiplici religione locorum, pontificum Treuirensium, quibus parent, preclaris institutis, regum omnis ætatis ornamentis, & domestica demum laude abundè claruerunt; florentq; hodie Clero numeroso iuxtà, ac prudentissimo magistratu, Catholicæ pietatis & artium omnium honestarum amantissimi: denique Collegio Societatis IESV magno ciuium & illius reipub. bono à Ioanne Archiepiscopo eius nominis VII. gentis Schônenburgicæ magnificè exstructo fundatoque, hac ætate nostra sunt nobilitati. Confluentes.

NE TAMEN ILLA MIHI.] Iter quod è Treuiris susceptum, vel ipso presente Childeberto rege cum liberis, aut eius saltem impensis, & addito comitatu peregit: nam tubarum & cornuum cantus, quibus montes passim prouocati, adparatum arguunt maiorem, quàm pro priuatis.

ANTONNACENSIS CASTELLI.] Hoc in castello tunc domicilium & aula Austrasiæ regum siue Mediomatricum, vt hic disertè Fortunatus. Castellum verò, quod vocat, olim inter claras & celebres fuit Germaniæ secundæ ciuitates: Ammian. Marcell. lib. XVIII. *Cum Alemani ripa Galliarum occupata, plurima Romani soli loca peruasissent. Iulianus hoc oppidum hostibus ereptum & munitionibus instruxit, & mœnibus reparatis ornauit.* Verba eius. CIVITATES OCCVPATÆ SVNT SEPTEM, CASTRA HERCVLIS, QVADRIBVRGVM, TRICESIMÆ, NIVESIO, BONNA, ANTONNACVM, BINGIVM. Celebratur & in Itinerario perantiquo quod Antonini appellant, & imperij NOTITIA. Situ cultuque iuxtà & hodie amœnum, etsi verso nomine in Andernacum, octo circiter passuum millibus infra Confluentes ad Rheni ripam assidet, vetusti operis ecclesia; Valentiniani Imperatoris monumento, & alia item elegantia visendum. Treuirorum præsuli in sacris; Agrippinensium in ciuili ditione paret. Antonnacum.

X.

POEMATE huius libri primo. ALBA TOPAZVS. Insulæ nomen in qua nascitur, vsurpat pro topazio. Albam verò quod hic, & poëmate de partu virginis, nuncupat, quam virentem alij describunt, nisi affinitas coloris excuset, ratio me fugit.

XI.

Poëma subitum.

ETSI maioris ingenij, quàm artis vulgo censeatur, versus subitò pangere, meritoque iudicij acerrimi poëta carmen reprehendi velit, quod non multa dies & multa litura coërcuit, placere tamen sibi pergunt, semperque placebunt poëtæ, cum subitum & ex tempore quidpiam effundunt, ipsa insperati euentus fœlicitate quoque lætiores. Dictauit autem hosce versus ad calamum, ipsa die Resurrectionis Christi, inuitatus musicorum acroamatum dulcedine, quæ apud Francos in conuiuijs & epulari accubatione tunc etiam adhibita.

XII. XIII. XIV. XV.

Seruitus Francorũ.

QVATVOR hisce epigrammatis, eodem argumento, commendat abreptam in neruum filiam à iudicibus, patris pietate & precibus flexus, orans maiorem in modum, vt vindicijs secundum libertatem acceptis, asseratur. Gregorius hic, Turonum episcopus est. Romulphus autem & Florentinus, qui lib. IX. hist. Franc. c. XXX. vitiosè forte Florentianus; ambo in Childeberti Mediomatricum regis aula, summæ gratiæ & honoris locum obtinuere; ille Maior domus regiæ, hic Comes Palatij. Causam verò huius puellæ Gregorius notare videtur, quando in vectigalis publici descriptionem exactionemq; Proceres istos, Childeberti iussu, adijsse Pictones, ac Turones inde quoq; delatos, perhibet. Suspicari itaq; liceat patrem hunc confessi æris ac debiti iudicatum, cum soluendo non esset, amisisse filiam. Gallienum verò non reperio, nisi archidiaconum, & Gregorij Turonensis amicum, quem lib. V. c. XLIX. laudat; etsi diuersum Comitis hic appellatio faciat.

XVI.

EPISCOPIS Galliarum alicubi in synodo vel conuentu degentibus Italum commendat peregrinum.

PLATO

XVII.

PLATO hic Pictonum creatus episcopus, & ex Ecclesiæ Turonensis, vt apparet, gremio assumptus. Testatur id versus.

Vt colat Hilarium, quem dat Martinus alumnum.

Platonis adhuc archidiaconi meminit Greg. lib. v. c. XLIX.

Plato Pictauus episcopus.

XVIII.

EPIGRAMMA hoc Calarit. editione positum libr. v. in Veneta omissum; M.S. vt & Vaticanus index, ad hunc locum referebant, legitur & in breuiario vitæ, sed mendose, quod operibus Gregorij præfigi solet. Laudatur Armentaria nobilis prosapiæ matrona, & virtutum magna præstantia Gregorij Turonensis episcopi mater. Eam supplex in cœlis viuentem inuocare non dubitat, cum Machabæorum matre illam contendens. Natione Burgundam fuisse, & maritum Heduum, scribit Ioann. Sauaro, commentario ad Sidonium.

Armentaria Greg. Tur. mater.

XIX. XX.

EVCHARISTICA ad Sigoaldum Austrasiæ Comitem ex palatino: qui olim Fortunato in Sigeberti regnum venienti dux itineris & curator à rege datus erat: eius eximiam in pauperes liberalitatem, & munificentiam prædicat. & illud memorabile prodit, quod moderator iuuentæ Childeberti regis, pro eius incolumitate & regni salute, D. Martini memoriam honorificè coluerit, peregrinatione quoque in Turones votiua suscepta.

Sigoaldus Comes.

XXI.

EPVLVM paschale à Defensore præbitum gratulari videtur Sigoaldo Comiti, ceu muneris autori.

XXII.

HVIC item Galactorio poëma XXXI. lib. VII. fuit inscriptum. Optat ei, vt per Comitis gradus ad Ducis paulatim fastigia conscendat. Procliuem enim hanc esse gloriæ viam; vt qui Defensoris, Iudicis, Comitisque honores præclarè gesserit, ei tandem ducalis apex obueniat.

Galactorius.

AD VE-



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI

LIB. XI.

Expositio Symboli.



QVI hanc cum Rufini contulerit, facilè is viderit; illius esse velut epitomen,&ex Rufini ingenio natam. Porrò editio Parisiensis, quæ in Bibliothecæ PP. VII. tomo extat, mendis mirè quàm abundat,& scripturis non ex autoris animo, sed correctoris audacia profectis. Ceterum in re protrita, non tam ego commentarium hic nouum propono, quàm Fortunati explanationem purissimæ Catholicorum doctrinæ esse consentaneam ostendo.

Symbolum ab Apostolis conditum.

ITAQVE RESVRGENTE CHRISTO.] Apostolos prius tradidisse fidei canones, Christianique dogmatis præcipuè scitu digna capita in symbolon contulisse, quàm in orbem terrarum Euangelij caussa diuisi prouincias diuersarum gentium obirent tam locupletes ab omni antiquitate docent testes, vt Erasmus & Valla, id primùm reuocare in dubium ausi, meritò culpam apud omnes magnæ sustineant temeritatis. Neque verò mihi hic propono actum agere; siquidem res hæc à Scholasticis in 3. dist. 35 & ad D. Thomæ 22. accuratè discuti solet. Qui digestos sibi velit in ordinem teste, inspiciat is, per me licet, annal. Baronij Tom. 1. in annum Christi XLIV. Ioann. Hessel. XXIII. Tract. de Inuocat. Sanctor. Vnum ego, scilicet Fortunatum stipulatorem accedere vetustati; & testium augere numerum percupio: quem hic de Symbolo ab Apostolis nimirum exhibito

bito sic loquentem aduertimus, ceu sæculo suo nil ea re esset in Ecclesia vulgatius aut certius.

SYMBOLVM GRÆCE DICITVR COLLATIO. DICITVR ET INDICIVM] Rufini hic vestigia legit; cuius hæc eadem fermè sententia in præfat. Symb. Apost. vbi & explicatiùs etymon reddens, *Ergo omnes*, inquit, *in vno positi & Spiritu sancto repleti breue istud futura, sicut diximus, prædicationis indicium conferendum in vnum, quod sentiebat vnusquisque, componunt, atque credentibus hanc dandam esse regulam statuunt*. Adi Io. Stephanum Durantum de ritibus Eccl. Cathol. lib. II. c. XXIV. Indicium cur dictũ.

ERGO VEL IN HVMANIS NVLLVM OPVS INCIPITVR.] Rufinus. *Nihil denique est, quod in vita geri possit, si non credulitas antè præcesserit. Quid igitur mirum, si accedentes ad Deum credere nos primò omnium profitemur, cùm sine hoc nec ipsa exigi possit vita communis*. At vt cernimus, non subtilem illam ac propriam hic credendi voci notionem subijcit, quo modo ex S. Augustini doctrina libr. de prædestin. Sanctorum. *Credere nihil est aliud, quam cum assensione cogitare*, cùm & illi fidei, qua futurum omnino credimus, quod promittitur, ratio spei quædam annexa sit, fiduciaque effectus futuri. Credere.

QVI IN NOBIS IPSIS NESCIMVS, QVOD SAPIMVS.] Breuiùs hoc, quàm Rufinus, sed obscuriùs dixit. Rufinus itaque nobis sit interpres. *Expedi*, inquit, *primò, si potes, quomodo mens, quæ intra te est, generet verbum, & qui sit in ea memoriæ spiritus, quomodo hæc cum diuersa sint rebus & actibus, vnum tamen sint, vel substantia vel natura: & cum è mente procedant, nunquam tamen ab ipsa separentur &c*. Summam huiusce rei difficultatem exaggerant tot acerrima confligantium inter se philosophorum ingenia de animæ, & potentiarum eius vero ac multiplici discrimine, de vitalibus earundem functionibus, & functionum effectis. Id quod nisi puluis scholarum nos doceret quotidianus, planius omninò facerem, ex acuti Theologi nostratis Thomæ Argentinensis q. 2. prologi in 1. sententiarum. Ignoratio.

QVIA PATER OMNIA CREAVIT PER FILIVM.] Τὸ quia, quemadmodum sit ætiologicon ex Rufino discis, cuius hæc est

hh oratio.

Filius quomodo creator.

oratio. *Omnipotens ab eo dicitur, quod omnium teneat potentatum. Tenet autem omnia pater per filium, sicut & Apostolus dicit, quia per ipsum creata sunt omnia visibilia, siue inuisibilia, &c. Quod si per ipsum sæcula instituit pater, & per ipsum creata sunt omnia, & ipse est hæres omnium; per ipsum ergo & potentatum omnium tenet. quia sicut lux de luce, & veritas de veritate, ita de omnipotente omnipotens natus est.* Nam, vt præclarè Cardinalis Toletus ad cap. 1. Ioan. *Creare patrem per filium, est patrem vnà cum filio creare, communicando filio essentiam & virtutem, qua scilicet vnà cum ipso patre creet.* Neque enim, vt Arriani olim insaniebant, PER, particula magis instrumento ac ministranti causæ, quàm principali, est, quod tribui debeat, vt fusiùs ibidem ille doctor exsequitur.

QVI NATVS DE SPIRITV SANCTO EX MARIA VIRGINE.] Sic MS. & textus Rufini, quem Parisiensis editio tamen correxit ex vsu vulgario. *Qui conceptus est de spiritu sancto.* &c. sed duabus hisce præpositionibus, DE, & EX eadem fermè sententia redditur. & vt almo spiritui ob eximium amorem tota tribuitur Incarnatio, sic & natiuitas ac conceptio: siquidem, vt architecti ipse & efficientis munus, ita Beatissima Virgo materiem ad fœtum præparantis & castissimum sanguinem suum largientis officium expleuit.

VNVM TAMEN EXEMPLVM.] Idem cum Rufino plerique PP. explicant. Adi B. Virginis vitam nuper Ingolstadij è varijs concinnatam.

Crucis dimensiones

QVID SIT ALTITVDO, LATITVDO, PROFVNDVM.] Haud commodè hic reddita, ne dicam prauè, Rufini sententia. *Docet,* inquit, *Apostolus Paulus illuminatos esse debere oculos cordis nostri ad intelligendum, quæ sit altitudo diuinitatis, latitudo & profundum. Altitudo ergo & latitudo & profundum descriptio crucis est: cuius eam partem, quæ in terra defixa, profundum appellauit; altitudinem verò illam, quæ super terram porrecta, sublimis erigitur. Latitudinem quoque illam, quæ distenta in dextram læuamque manus, protenditur. Vnde sciendum est, quod crux ista triumphus erat. Trophæum enim insigne; triumphus autem deuicti hostis indicium est. Quia ergo adueniens Christus tria pariter sibi regna subiecit, &c. conueniens mysterio mors quæsita est, vt in*

aere

aere sublimatus &c. Quæ quidem omnia hic placuit attexere, vt vitium, quod in Fortunati oratione erat, detegerem. Nec occupo ingeniosos aliorum labores, quibus vt perfruare, adi Iacobum Gretserum Societatis nostræ, de hoc genere dimensionum copiosius edisserentem. lib. 1. de Sancta Cruce. c. III. & de Tropæorum imagine. c. XLIV.

PRINCIPALE SVPPLICIVM.] Aut principale tormentum. Docuit hoc, quem antea laudaui, c. XXXVI. Commune namque supplicij nomen crux propter atrocitatem fecit suum. Vnde à Callistrato & Paulo I.C. summum supplicium: Ab Vlpiano supremum, ab Apuleio extrema pœna, à Cicerone crudelissimum supplicium appellatur. Suppliciũ.

DESCENDIT AD INFERNVM.] Quod alij ad inferos. sed signatè locum Fortunatus exprimit, qui sit nec ne, noui Sceptici ex Lutheri & Caluini schola, iam dubitare etiam incipiunt. Quorsum verò locus iste, Tu es qui venturus es, hic ad stabiliendum Christi descensum ex Matthæo promatur, miretur festinus lector; sed si commentarios adeat antiquorum, inueniet Patres ita sensisse complures. Ioannem ista legationis suæ summa, nil voluisse aliud, quàm cum Christum, verum esse Messiam non ignoraret, eâdem opera num moriturus & ad inferos descensurus esset, intelligeret. Qui commentarius etsi autoritate non contemnenda stipatus BB. Hilario, Chrysostomo alijsque meritò non placuit, vt videre licet apud eximium Maldonatum nostrum in cap. XI. Matthæi. Descensus Christi.

VT REX INTRANS CARCEREM, NON VT IPSE TENERETVR, SED VT NOXII SOLVERENTVR.] Quàm hic Fortunatus præclarè cum Caluino dimicat, qui Christum non vt regem & victorem, sed vt reum & pœnis obnoxium ad inferos impiè detrusit. Qua de re disputantem fortiter audi Cardinalem Bellarminum Tom. 1. Controuers. 2. lib. 4. c. 6. & seq. DE DESCENSV CHRISTI AD INFEROS.

ASCENDIT IN COELVM, NON VBI NON ERAT VERBVM DEVS, QVI SEMPER IN COELIS EST, SED VBI ADHVC VERBVM CARO FACTVM NON SED ERAT.] Egregia

quidem confeſſio, ex ore licet Rufini miſſa, totius tamen eccleſiæ conſenſu tunc recepta, quando Fortunatus hæc ſcripſit. Quid ni ter infœlices erubeſcant huius ſæculi noſtri dogmatiſtæ, qui CHRISTI humanam naturam per κοινωνίαν ἰδιωμάτων mentiuntur ab ipſo ortu omnia replentem, extitiſſe locorum vbi vbi. Quod cum ipſo hoc non minùs articulo, quàm cum eius interpretatione pugnat. Nam quo modo peruenire aliquo vſque illa caro poterat, & ibi eſſe, vbi non fuiſſet, quæ, ſimul ac naſceretur, ipſi diuinitati omni in loco & vbique præſens eſſet. Rectè ergo, qui ſapuere maiores, Vbiquitate contempta, inuenêre locum, vbi adhuc verbum caro factum non ſederat, vt ita demum homo CHRISTVS in cœlum, vbi non extitiſſet antè, conſcenderet.

Christi aſcenſus.

PROVECTVM SEDIS NON DIVINA, SED HVMANA NATVRA REQVIRIT.] Sedis ſeu ſeſſionis titulo vel potentiam ſignificamus & maieſtatem humanitati CHRISTI datam, aut honoris & maioris dignitatis adeptionem, quæ CHRISTO naturæ licet diuinę præſtantia patri non inferiori, tunc tamen tributa cenſeatur, quando præter ſeſſionem ab æterno vſurpatam, etiam patris ei dextera tanquam faſtigij maioris index obuenit. Vtrouis autem modo capias, rectiùs tamen & ſimpliciùs, ſeſſionem hanc ad dextram, CHRISTO ſecundum humanam naturam conuenire, tradimus, non hoc tamen ſenſu, quaſi factum ſit, vt humanitas ipſa in ſe conſideret ad dextram, id quod optant Vbiquiſtæ, & Brentiani, ſed quod illius ÆTERNI VERBI & diuinæ ſcilicet perſonæ HVMANITAS, AD THRONVM PATRIS, vt B. Leo loquitur, ET AD IPSIVS CONSORTIVM GLORIÆ SIT EVECTA: Conſule Ioan. Maldonat. comment. in Marci cap. XVI. Franciſcum Suarez ad 3. part. D. Thom. quæſt. 58.

Conſeſſus ad dexterã.

CREDO IN SPIRITV SANCTO.] Sic & Rufinus. Quid verò IN cum auferendi caſu iunctum voluerit, ita declarat. *Vt in vna*, inquit, *eademque Trinitate diuinitas doceatur, ſicut dictum eſt in Deo patre credi adiecta prapoſitione* IN, *ita & in Chriſto filio eius; ita & in Spiritu ſancto memoratur.* Non ergo magni diſcriminis apud veteres fuit, (quod eruditè Franciſcus Ribera ad III. caput Ionæ olim notarat vſita-

vſitatum ſcripturæ,) ſiue in ALIQVAM trium hypoſtaſion, ſiue in ALIQVA ſe credere dicerent, etſi ſcholæ rigor Beati Auguſtini veſtigijs hærens, in hac loquendi formula quæſtionem habet. Ad 1. ſentent. diſtinct. 23. & D. Thom. 22. quæſtion. 2. art. 2. quam nuper ex Chaucis adlatrare cœpit, neſcio quis Druſius. B. Auguſtini tract. 29. in Ioan.

POEMATA ET EPIGRAMMATA.] quæ hinc ad B. Rhadegundem & Agnen antiſtitam ſcripta extant, cum ex ipſis titulis clareſcant nullius fermè commentarij indigent. Elucent paſſim caſti & fortis amoris indicia, quo poëta fœminas illuſtres Deoque caras proſecutus eſt. neque reſtitiſſe ab earum contubernio longiùs, cum hæc epigrammata ſcripſit, teſtantur verſus prope familiares & domeſtici, munuſcula item lactea, florea, quæ vltrò citróque miſſa.

IX.

PRO ELOGIIS TRANSMISSIS.] Eulogiarum vſum & rationem quia Cardinalis Baronius annal. Tomo 3. ad ann. 313. & Ioan. Steph. Durantus libr. 11. de ritibus Eccleſiaſt. Cathol. c. LVIII. accuratè diſcuſſerunt, multis etiam veterum eam in rem allatis teſtimonijs, faciam, ne cramben recoxiſſe videar, vbi paulò diſtinctius id vnum enarrauero, hac voce Maiores panem ſignificaſſe benedictum concordiæ ſymbolo ſanciendæ retinendæque, ab epiſcopis primùm conſecrari, inde in parochos ſacerdotes diſtribui ſolitum, vt hi porrò ſubiectis ſibi populis præberent, & ad diuerſa loca perferri iuberent; Appellatus is, modò fermentum, quo diuerſum ab azymis Euchariſticis intelligeres; modò ſacramentum, quia tanquam catholicæ pacis & vnionis ſignum; modò Eulogia, quia ſacerdotali benedictione & τῇ εὐλογίᾳ conſecratus. Eius duo perhibent fuiſſe genera, alterum publicè in eccleſia vſitatum; alterum quod inter ſe amici inuicem dare ac mittere ſolent. In hoc vnum moneo, non panem modò, ſed quoduis obſonij & fructuum genus, cui ſacerdos benè precatus antè fuiſſet, EVLOGIARVM nomen in eccleſia ſortitum: id, longiùs ne abeat, qui teſtatum ſibi cupit, epigramma 8. 9. & 11. inſpiciat. Eulogiæ.

XI.

SI FVGITIVA PLACENT QVÆ TAM CITO LAPSA RECEDVNT,
INVITENT EPVLÆ NOS, PARADISE, TVÆ.

PICTE & eleganter deſcripſerat roſarum gratiam, quibus inſtrata fuerat menſa familiaris. Illa verò iam aſſurrectione ex floribus ad florum architectum, quanto pulchrior Fortunatus ipſe?

XXVII.

TITVLO huius poëmatis nihil potuit ſcribi corruptius, ſed liquere iam cœpit meliorum codicum indicio, ita vt poſuimus rectè exprimi. Ad eaſdem de itinere ſuo, ſuper qua lectione teſtatus olim fui MS. Treuerici fidem. Quin tamen libri nonnulli de Oratorio Illacenſi, vel Tincillacenſi titulum prætulerint, negari non poteſt, & Indicis Vaticani lacunæ id innuerunt, de ORATIO - PILIAVENSI; torſitque non parum ea lectio Pulmannum, qui in indice ſuo hoc titulo reperto, de ORATORIO APILIACENSI, negat in Metelli & Gualteri membranis, vllum carmen ab ſe repertum. Eſt autem hodœporicon, quo nomine illud Tritthemius, vt putamus, ceu ſingulare opuſculum, recenſuit.

EOMVNDVS AMATOR.] Proprium viri nomen iam reſcribimus, quod in quibuſdam exemplaribus Egomundus, ea forma, qua Edmundus & Egmundus.

TVNC ILLACENSI PERFEROR INDE LOCO.] Miram varietatem recipit hic locus. Veteres libri tres G. S. & Frid. Tiliob. Tincillacenſi legunt: alij retinent lectionem indicatam. At Vaticani & Pulmanniani ductus veſtigia Illaco quidpiam ſuperaddendum ſuadent, quod ex ipſorum ſcriptura facile elicias, referente Apiliacum, & Piliacum, pro quibus equidem, donec in alterutram partem magis liqueat, Dullacum olim erutum repoſuerim; vbi & oratorium extiterit, de quo nonnulli meminere

libri.

libri. Ceterum ex Beati Domitiani illata memoria peregrinatum apparet in Campania; is enim virtute clarus episcopus Catalauni sedem habuit, & nauigationem eam tam difficilem Fortunato euenisse in Matrona fluuio, cui assidebat Domitianus, facilis hinc etiam coniectura suppetit. Porrò Albinum hic non alium à poëta celebrari existimo, quàm illum, cuius acta vitæ litteris memoriæque mandauit. Is Albinus apud Andegauos maximè claruit: vbi Fortunatus villam extitisse Dullacensem Ætheriæ fœminæ illustris miraculo claram, perhibet, quæ eadem forte cùm hoc Illacensi loco: procliui ob litterarum affinitatem scribentium errore.



AD



AD VENANTI HONORI CLEMENTIANI FORTVNATI QVATVOR LIBR. DE VITA SANCTI MARTINI.



Poëmata de S.Martino extemporaria.

Cur hic obiter perlustrata.

QVATVOR de gestis rebus S.Martini libros paraphrasticè propemodum dedit ex Sulpitij Seueri opusculis, carmine, vt Giselinus censet, haud nimium Fortunato, bimestri tamen non amplius spatio, & vt ipse loquitur, inter friuolas occupationes tempore messis effuso. Quæ celeritas ingenij poëtæ tunc ludo fuit, & Gregorio Turonensi placuit, cuius rogatu opus absoluerat. Argumentum est notissimum, vt immorari minimè nos deceat. Versati in eo sunt, Paulinus & Seuerus; hic prosa, iste versu; nec mediocri vterque laude. Operam eodem contulere viri diserti Sigonius, & Victor Giselinus, Seueri iam interpretes; qui obscuris lucem, distortis sanitatem, nitorem quoque simul abstrusis rebus impertierunt. Vnde frustrà sit, qui eundem laborem hic à nobis exspectet. Sed ne attingere quidem hosce libros, iam fixum erat animo, ni comperissem tot iteratis editionibus plurimum adhuc emendationi relictum fuisse loci. Vt enim membra, & versuum hemistichia, plerisque locis restituta, sileam, reperias alicubi singulos versus aut ternos, alicubi septenos etiam de nouo illatos, qui vulgatis prætcrita, iam exciderant. At enim pauperis, inquies, est numerare pecus. Professus equidem sum non semel, instituti haud esse suscepti, Criticorum more appendere in lancibus verba, optare me tamen persuasum fieri vulgo, sine minuto hoc pecore non arari campum hunc litteratum; quin sterilem etiam à multis haberi & infœcundum, ni leuium, vt aiunt, hæc curatio succe-

succedat. Quanquam, vt leuis hæc plaga censeatur ab ijs, non intelligo, quâ imposita, sensus & mens scriptoris emoriatur & pereat tandem omninò, necesse est.

LIB. I.

Prologi vice suffecta ab alijs epistola, quæ initio operis legitur; à Calaritano licet retentus, amisso tamen capite, & cæteris omnibus fermè membris lacer.

STEMMATE, CORDE, FIDE, POLLENS PAVLINVS.] Difficulter poëtam hic ego ab errore vel lapsu memoriæ vindico, si Aquitanum illum & postea Nolæ Episcopum vitæ S. Martini scriptorem laudat. Interesse namque inter vtrunque annalium ecclesiasticorum columen obseruauit ad ann. CDII. Tom. V. Sed euicisse videtur idem V. C. Ioan. Sauaro ad epist. C. Sollij XII. libro VIII. vbi opus id multo post tempore dicatum Perpetuo Turonensium episcopo, adscribit Benedicto Paulino, cuius in epistola Fausti Reiensis, quæ legitur tomo tertio bibliothecæ PP. clara memoria, cum eum dicit *gemina eloquij & fidei luce præfulgidum.* Paulini diuersi poëtæ.

GENEALOGVS OLIM ALCIMVS.] Alc. Auitus Viennensis præsul genesin carmine percurrit, quod in Bibliotheca SS. PP. extat. sic Mosen ipsum Prudentius in Apotheosi appellauit, Genealogum.

ERGONE DIGNVS ERAM.] hic aliquot versuum lacuna expleta.

FORMOSAT ET FACETAT.] hæc, quibus hic vtitur, non minus asperneris, quàm, VENVSTAT; quod elegantioribus etiam pulchrum videtur.

LIB. II.

SANCTA EMPTICA NAVTÆ.] EMPTICAM, ni fallor, vocat onerariam nauem, quam, si carmen fauisset, fortè dixisset EMPORETICAM, quæstui plurimum, destinatam; cui acceptioni fauet alter ille locus, quo Paulini Nolani abdicationem, & sæculi fugam commeminit.

Vt petat ad portum, rerum facit emptica iactum.

RHENVS, ARAR, RHODANVS.] Eodem modo orditur versum quendam. C. Soll. Sidonius in Maioriani Aug. Panegyrico.

CYPRVS, COLOPHONA, SAREPTIS.] Colophoniam resinam agnoscit Plinius, & Colophon ab auro, quam vino notior est. Quod autem illi Sareptis etiam generosi Bromij ferax, in eo forte Sidonium respexit: qui carmine XVII. ad Ommatium.

Vina mihi non sunt Gazetica, Chia Falerna,
Quaque Sarepteno palmite missa bibas.

VEL QVALIA PENSAT ARAGVS. SERICA PVRPVREIS STERNVNTVR VELLERA VILLIS.] Arachne ex MS. reposui, quod proba Græcorum nota signatum ἀράχνη aranea. PENSAT verò, etsi vix obuio significationis vsu, germanè tamen vsurpari existimo, pro carpere vel ducere pensa, quomodo veteres accepêre pensum lini lanæúe manipulum ex colo pendentem, & fuso trahi solitum. Nihil ergo vetat priscos sic pensandi voce in Latio vsos, vt apud Ouid. lib. 2. fastorum.

LVMEN AD EXIGVVM FAMVLÆ DATA PENSA TRAHEBANT.

Presbyter inde toro veneranda reclinat in vlna.

Venerandam vlnam hic accipio locum accubitus sancto præsuli vicinum, vbi sella potius ille, quam lecto receptus. Et proximum iacuisse vel sedisse conijcio presbyterum, quod regale poculum sanctus ita pronè ad hunc, ceu vicinum transtulerit.

Anubis. NVNC SE MENTITVS ANVBEM.] Sulp. Seuerus libr. vitæ S. Martini c. XXIV. Nam interdum in Iouis personam, plerunque Mercurij, persæpè etiam se Veneris ac Mineruæ transfiguratum vultibus (Dæmon) offerebat. Latrator Anubis haud incelebris Virg. VIII. Æneidos, Cynopolitarum in Ægypto Deus, quem canino capite, Isidis & Osiridis custodem fabulati sunt: vnde & inter ornamenta antiqui operis Romæ in palatio Cardinalis Rodolphi Pij Carpensis ostenditur Anubis cynocephalus. Refert etiam Iulius Firmicus Maternus de mysterijs & erroribus profanarum Religionum, Anubi venatori caninum caput impositum, quia lacerati Osiridis corporis partes artificio canis vestigantis inuenisset. Pendebam animi, temere ne Fortunatus Mercurium eundem

dem cum Anubide fecisset, quod à bonis etiam Scholiastis id cernerem neglectum; sed nihil mihi Seruius ad eum Virgilij locum relinquebat ambiguum, cùm sua ætate receptum fateretur, Anubin interpretari Mercurium, quia nihil sit cane sagacius. Vide Octauium Minutij Felicis, Prudentium in Apotheosi.

RADIATILIS.] quod in vulgatis libris, *radiantius*, sed illa desitio poëtæ grata passim, in lymphatilis, furiatilis, foliatilis.

AC LATVS ET FOSSAS TRVCVLENTO MILITE COSTAS.] Sic perperàm pro eo, quod prisci suggerunt libri; *effossas traiecto missile costas*. Id enim Fortunato perpetuum in similibus, auferendi casum per E. exprimere. Cuius generis sunt, pensile pluma, immobile planta, mobile rupe, auro subtortile, missile verbo.

VISIBVS EXCLVSVS CELLAM FOETORE REPLEVIT.] De cacodæmone sermo est. Manuscripti libri sic finiere versum. *pedore cruminans*. Sacculi quippe genus apud Plautum est CRVMINA, vnde *cruminare*, prisci festiuè traxerunt ad eam corporis partem, quà operari naturæ solemus. id quod satis in illo expressit. Crumino.

Agnitus indiciis, sua per vestigia sordens.

LIB. III.

MIHI TEGMEN DEFER AMICE.] Verba sunt Beati Martini: qui cùm detractam sibi vestem in ecclesia pauperi donasset, promi aliam sibi ab ignaro Diacono flagitabat: narratque Seuerus sumptam à proximis tabernis BIGERRICAM breuem atque hispidam, siquidem posci pro paupere eam putabant. Quod igitur apud Seuerum dicitur. *Mihi vestis, quæ præparata est, deferatur*, id Fortunatus, emendatâ scripturâ, dixit. MIHI TEGMEN DEFER ABOLLÆ. ABOLLA verò vestis, Nonio teste, à militia fuit honorata, Abolla. duplex instar chlamydis, cuius vsus pro ætatum conditione non raró mutauit. Prudentius pro senatoria accepit. lib. 8. contra Symmachum; vbi nobilissimos ex Romano senatu Christo perhibet dedisse nomina.

Quin & Olybriaci generisque & nominis heres
Adiectus fastis, palmata insignis abolla,

Martyris ante fores Bruti submittere fasces
Ambit, & Ausoniam Christo inclinare securim.

Amphibalin, siue amphibolen ea forma qua Pollux χλανίδα δίβολον, quod vtrinque amiciret, vsurpauit. Bigericam vero ciuitas vtique Bigerra Pyrenæo adiacens inuexit, quæ aduersus montana frigora, villosis, imo se pellitis vestibus obmuniebat. Vnde & Bigerrones Aquitani Getarum epitheton tulere. Paulin. ad Auson. epistol. 2.

Dignaq; pellitis habitas deserta Bigerris.

FORTE AD SE SACRVM COMITATVM COMPERIT IRE.] Transuersa scriptoris hic mens, quæ ex Seuero facilè colligi poterat. Cùm antiquis ergo legendum. *Tum pia caussa sacrum ad comitatum compulit ire.* Nam Comitatus, Palatino more, dictus quiuis locus, vbi Cæsar, Imp. vel Princeps degeret, adi Balsamo. ad Can. 109. Synod. Carthag. Apoll. Sidon. lib. I. epist. XI.

ET VETATA FORIBVS.] Hic versus cum duobus sequentibus desiderabatur in nonnullis vulgatis.

Cataclistus. CATACLYSIS EFFORA RASIS.] Verborum hæc monstra quædam sunt. Vetus liber Treuir. CATACLISTIS: Est enim κατάκλειστος seu CATACLISTVS vestis vndique clausa; à qua paulò diuersum abit hic poëta. Cycladem quippe describere videtur efforatam, ex qua conspicui cataclisti certis locis eminerent, quod cultus specimen hodieque cernimus apud nobiles esse in delitijs. Similiter lib. IV. Cataclisticum vsurpauit.

Qua manus artificis cataclistica fila rotauit.

APTISSIMA VITTA CAPILLIS.] positum id ibidem, pro amethystina vitta.

LIB. IV.

Mox resoluta mouet faucis lyra tinnula plectrum,
Atque insueta canit camerati concha palati.
Dente relisa cauo producens verba fritillo.

Quod mendosè legebatur *lyra inutile plectrum*, id optimè correxit Sydonij interpres *lyra tinnula*. Sed Alcimum Auitum hic Fortunatum non tam expressisse, quam æquasse dixeris.

Flexilis

Flexilis arctatur recauo sic lingua palato,
Pressus vt in cameram pulsantis verbere plectri,
Percussus resonet modulatus in aëre sermo.

Porro, vt in parua re Homero ἕρκος ὀδόντων, sepimentum dentium, sic in officina oris non magna, volupe fuit, Fortunati coæuis, *cameram & concham palati*, fingere. quomodo & ipse in vita S. Hilarij dixit. *Non lingua torpens intra palati cameram volubilis excurrebat.* Imitatus vtique Sidonium, qui dictionem S. Remigij, & lenitatem orationis eius laudans, epist. VII. lib. IX. talem esse describit, *quæ lectoris linguam inoffensam decenter expediat, ne salebrosas passa iuncturas per cameram palati volutata balbutiat.*

Fritillus vero pyrgus aut pixis erat, qua tesseræ mittebantur & iaciebantur in abacum. Et in ijs humanæ vocis quædam imitatio. De eorum crepitu sæpiusculè C. Sollius in Narbone.

Hic promens teretes pilas, trochosque;
Hic talos crepitantibus fritillis.

Epistola IX. libr. II. frequens crepitantium fritillorum, tessararumque strepitus; puta in aleæ lusu, vnde hæc translata sunt. Sed adi Martialis optimum interpretem Raderum nostrum ad XIII. & XIV. lib.

NEC SYRA BRACHA.] Veteres libri *Syrobara*, pro vnguenti exotici, aut pretiosi liquoris specie. SARABARAM alioqui Tertull. de pallio accepit, pro fluente ac medica veste aut crurum operimentis. Turneb lib. VII. aduers. cap. XX. Syrobara.

PROGRESSIS SOCIIS IBI SE ANDETHANNA PROPINQVAT.] Dissimulauit hunc locum, vt alia multa, Seueri corrector. Dialogi tertij cap. XV. legitur. *Postero die Martinus se inde* (è Treuirorum vrbe) *proripiens, cum reuertens in via mæstus ingemisceret se vel ad horam noxiæ communioni fuisse permixtum, haud longè à vico cui nomen est* ANDETHANNA, *quà vastas solitudines syluarum secreta patiuntur & c. ille subsedit.* Sæpè in huius vici designandis vestigijs obhæsi. Non longe abfuisse à Treuiris vel Sulpitij docet narratio. Coniectores ad Antonini itinerarium haud infœliciter metantur, cùm Andethennam in Epternaco ponunt, quod apud Suram, vt olim meminimus, inclytum est in Treuiris cum vico monasterium, tredecim Andethānæ topothesia. Epternacum.

millibus passuum circiter ab vrbe dissitum. Originatio non difficilis reputanti, scriptum antiquis Epternacum: vt autem posteris ex Antonnaco factum Andernachum, sic prona mutatione verti potuit Andethanna in Echterna, quomodo in idiomate proprio hodieque sonat. Hanc in partem eo me facilius deduci passus sum, quod celebri vico locum aptiorem nusquam inuenerim: ipsaq; Romani itinerarij descriptio prorsus illuc me trahat. Faciamus enim B. Martinum ex Belgica II. sic Treuirim aduentasse.

A Durocotoro Triueros vsque, id est à Rhemorum vrbe in Treuirorum Augustam.

Yungum alij Vungam. Vic. Leg. XXII.

Epoisum vic. Leg. XXII. Gregor. Turon. Eposium, nunc Iuodium.

* XX. XXII. Orolaunum vic. Leg.* XV nunc Arlunum.

* XX. Andethannale, aut Andethannam. vic. Leg. * XV. Epternacum.

Treuiros ciuit. Leg. XV:

Iam in regressu B. Martini, eccistum tibi vicum prope à Treuirorum Augusta: quem sequioris ætatis Francos Asternacum & Absternacum appellasse ex Alcuini Willibrordo, & alijs cognoscas.

NAMQVE AD PSEVDOFORVM.] Sulp. Seuer. lib. III. dialog. c. XVI. PSEVDOTYRVM dixit, à quo non temere in eiusmodi Fortunatus abcedere solet.

RAPIVNTVR SIGNA CERVCHIS.] Legeram olim Chiruscis obscura voce; pro qua & reponebam Chiruchum conti genus, quod Lucano manus, ea forma compositionis, qua dicitur Ophiuchus. Et licet Ceruchos Isidorus interpretetur nauium funes, rectè tamen Sirmondus noster ad Ennodium pro Antennis à Lucano, Flauo, Apuleio & alijs vsurpari, admonuit. Nam κέρουχος Græcis est corniger. Antennæ verò in nauibus cornuum speciem præferunt. Vnde & hic Antennæ coeuntia cornua.

PERGIS AD AVGVSTAM, QVAM VINDO LYCVSQVE FLVENTANT.] Huius versus luculentam enarrationem reperias apud CL. M. Velserum rerum August. l. I. sub finem; cuius ego sacra non

moueo:

moueo: etsi pro candore monui, omnium vetustiorum librorum fide, pro eo quod in vulgatis legebatur, Virginis Afræ, legi, Martyris Afræ, id quod & historiæ apprimè fauet.

Inde Valentini Benedicti templa requires.

Hunc interpretor, qui S. Seuerino Noricorum Apostolo coæuus ab Eugippio scribitur, ex Abbate lectus Episcopus Rætiarum puta Batauis. Vnde pulsus, in alpibus postea sanctè vixit; *in castro Magiensi vel Mays, VII. Idus Ianuarij depositus*. Consule scholia erudita in vitam S. Seuerini, & auctorem vitæ S. Valentini apud Surium tomo IV. & Molanum in addit. ad Vsuardi martyrologium.

IN COLLE SVPERBIT AGVNTES.] Hic iterum monitu Rosvveidi nostri, secundum Antuerpiense exemplar locum certè abstrusum, recuperatum imus. Nam veteri scriptura AVVNTVS erat, eique prope compar AGVNTVS. Cui Amintus & Aunitus iam cedere merito coguntur. Aguntus autem eo flexu, quo Lugdunus, Toletus & Mediolanus oppidum in Noricis, Plinio, Ptolomæo, Antonino, celebratum, quod & Paulus in Longobard. hist lib. 2. c. 13. in itinere Fortunati castrum AGVNTVM appellauit. & libro 4. cap. 41. apud Aguntum infeliciter pugnasse Glaribaldum Tassilonis Boiorum ducis filium, & à Slauis deuictum meminit. Ptolomæo dicitur ἄγυντον. Plinius libro tertio, capite vigesimoquarto. *Rhætis iunguntur Norici, oppida eorum, Virunum, Celeia, Teurnia, Aguntum.*

INDE FOROIVLI &c.] totus is versus ab alijs omissus.

PER RVPES, OSOPE, TVAS.] quod vulgo mendosissimè: *per rupes gelidisque tuas*. OSOPVS autem in Foriiulij ditione apud Tiliamentum riuum, à Leandro describitur, haud procul à Ventionis vico, qui hac ætate ditionis Venetorum, & Ducum Austriæ, Carinthiæque terminus est. Osopus, vel Osupus

ET SVPER INSTAT AQVIS REVNATILIA MONTIS.] Corruptè hic *renuta telia* legi, quis non aduerteret? sed difficilis tamen correctio, ni MS. Treuir. opem tulisset. Paul⁹, vt antea monui, Roinam nominauit, si tea lectio proba sit. Loci item inuestigatio visa nihilo expeditior. repperisse tamen eum me puto, Leandro duce in Foriiulij descriptione, si mihi credideris id primum, op- Rheunatilia.

pidi

Pidi seu loci nomen coaluisse ex Reuna vel Roina & Tiliamento amne. Nam Geographus, vbi ex Paulo Diacono, Candido & Amasæo originem repetit Ducum Foroiuliensium Longobardici generis in Rodoaldo. *Oppidum*, inquit, *erat Rheuna Tiliamento impositum, ea parte, qua mons imminens & collis Princianus amnem stringunt, nomenque hoc loci lingua Celtica vadum significabat.* Quibus sanè verbis ceu radio mihi designare Reunatiliæ vel Roinatiliæ, situm videtur. Et quia breuitatem hic amplectimur, eâdem opera Marchiam Taruisinam adi, industria item Leandri depictam, in qua, vno excepto Retenone, cetera diligenter loca subijcit.

CANTIANOS DOMINI NIMIVM VENERERIS AMICOS.] Cantius, Cantianus, Cantianilla martyres, illustri Aniciorum prosapia, Aquileię, Diocletiano & Maximiniano Impp. passi de quibus ad xxxi. Maij Cæsar Baronius. Pontificemque pium Paulum. P. Diacon. de gestis Longobard. lib. 2. c. 10. *Beatus Paulus Patriarcha, Longobardorum barbariem metuens, ex Aquileia ad Grados insulam confugit; secumque omnem suæ thesaurum Ecclesiæ deportauit.* & c. 25. *Paulus Patriarcha annis* XII. *Sacerdotium gerens ab hac luce subtractus est, regendamque ecclesiam, Probino reliquit.*

AVGVSTINVS ADEST.] per attributionem, siue patrocinij, siue similitudinis alicuius.

ILLVSTREM SOCIVM FELICEM QVÆSO REQVIRE.] De eo ex Pauli Diaconi lib. II. c. XII. & XIII. in vita Fortunati cap. 2. Vt verò ophthalmiæ suæ depulsorem S. Martinum hic Fortunatus sua, & Felicis vice, ita Benedictus Paulinus in II. libro vitæ S. Martini ad calcem, suo & cognominis Nolani Paulini nomine patronum eundem profitetur & celebrat.

Reddat vt antiqui rursum mysteria facti.
Nomen idem, medicus idem, par caussa medellæ.

Qui certè versus argumento quoque sunt, auctorem esse diuersum à Sancto Paulino Nolano.

LIBRI

LIBRI SINGVLARES.

Ad I.

DE EXCIDIO THVRINGIÆ.] Opuſcula quidem hæc ſingula nota fuere diu, ex catalogo illuſtrium V. V. Tritthemij, ſed eorum adſpectus & vſus reſeruatus Bibliothecis modo priuatis. Porrò vni Treuirorum bibliothecæ debetur vniuersè editio; exemplar illius loci titulum hunc gerebat: ITEM ALIVD INCIPIT OPVS EIVSDEM FORTVNATI, DE EXCIDIO THVRINGIÆ. Tritthemius verò titulum eum aliò transferens, ſcriptum hic reliquit IN PERSONA RHADEGVNDIS. Mallem equidem ſtare Treuirenſis libri fide. Nec breuior hic excidij ſermo, quàm in alio, etſi non totum in Thuringiæ cladibus, ſed in amiſſorum fletu & deſiderijs abſentium pars eius quoque non minima ponatur. Præcipuum enim obtinent luctum prolapſa tot gazis & auito decore nobili Thuringorum regia, clades atroces regni totius & triſtia parentum atque cariſſimorum funera, in quibus vel maximè luxit germani fratris necem, & Hamalafredi ex patruo nepotis abſentiam, quem Orientis regiones adijſſe, poſt patriæ excidium parentibus ſuperſtitem, teſtatur ita. Thuringiæ excisæ planctus.

Bellica Perſidis, ſeu te Byzantion optat,

&,

An Hieroſolymæ reſides vicinus ab arce?

Eundem Francorum gratia amicitiaque floruiſſe liquet ex eo, quod illius commendatione apud reges vtatur Rhadegundes.

HEV MALE TEXERVNT INHVMATA CADAVERA CAMPVM.] Francicarum in Thuringos expeditionum ſummaria attigi ad lib. VI. poëma. II. Fuerunt eæ Thuringicæ genti ſanè graues, adeoque funeſtæ, vt arbitrio victorum, ſtemma regium velut à ſtirpe reuulſum perierit excidio. Enimuerò coniugis Herminefridi Amalabergæ ingenio Scythico, fuit enim illa neptis Theodorici Gothorum regis, primùm parricidialis ſuſcitata ciuilis belli inter fratres reges ſemina, quo facilius Thuringorum robur domeſtico ſanguine turbatum, externæ patuit iniuriæ. Inde Francorum arma è Mediomatricum & vicinis Auſtraſiæ populis illata, ſupremam Turingis Thuringica bella.

importauere pestem, prælio apud VNSTRVDAM fluuium, Theodorici regis auspicijs edito funesto, quo & Herminefridus rex Thuringorum fugatus, & postea diademate pariter ac vita exutus est, Tolbiaci in Eifliæ regione Treuiris & Agrippinensibus confini, de oppidi mœnibus præceps actus. *Greg. lib.* III. c. VII. & VIII. Ipse verò Hermenefridus, vt anteà Berthario iunctus Badericum fratrem bello victum obtruncauerat, sic odio rursum fraterno diuisus Bertharium fratrem, S. Rhadegundis parentem vi oppresserat: quare quod in fratres turbidus audacia odioque fecerat, merito tandem ipse passus est.

Hamalafredus Herminefridi F.

HAMALAFREDE TIBI.] Hamalafredum potiùs Herminefridi, quem Baderici fuisse filium, priusquàm poëma, quod disertè id testaretur, inspexissem, apud me statuebam; quia Badericus maturè sublatus, & post eum Bertharius. Fatetur autem Rhadegundes à pueris se cum Hamalafredo educatum, adeoque, patre extincto, se parentum loco eum habuisse, quod de fœlici potiùs & florenti Herminefridi regia, quàm euersa & prostrata aliorum fratrum, accipi debet. Fidei itaque proximum sit, Hamalafredum mox à patris casu, quo, bello superatus Franco deditus fuit, bona pace victorum, concessisse in Orientem; Thuringia iam tum in Francorum potestatem ditionemque redacta.

DE NECE GERMANI CVR DOLOR ALTE TACES?] Memorat Fortunatus in vita B. Rhadegundis, quæ apud Surium in mense Augusto legitur, Rhadegundem obuenisse Chlotario regi sorte, quam victores inter se fratres commiserant. Erat illa tum orba vtroque parente, & fratrem habebat vnicè dilectum, quem cum Chlotharius captiuum in Galliam abduxisset, haud longo tempore medio, improborum gladijs necandum obiecit, absente tum adhuc & peregrinante Hamalafredo. Rem gestam enarrat Greg. lib. III. c. VII. ex eo delibauit cum alijs Cardinalis Baron. ann. DXXVII. CHRISTI.

Ad II.

AD IVSTINVM IVNIOREM IMP. AVG.] Titulum hunc etsi in MS. desiderabam, exprimi tamen intelligebam à Tritthemio. Poë-

ma est

ma est intercalare, & cura quadam elaboratum, refertumque memoriæ iucundissimæ, & hucusque fermè latentis historiæ, quam in margine poëmatis pœne totam, visum est exprimere. Occasio scribendi sumpta videtur à legatione Rhadegundis, quæ missis in Orientem & sacra Palæstinæ loca clientibus & famulis, cùm alibi præstantia Diuorum sacrarumque rerum pignora collegit, tum à SOPHIA Augusta crucis salutiferæ portionem notabilem impetrauit, vt copiosè Gregor. libr. I. de gloria mart. cap. V. litteris prodidit. Laudat verò IVSTINI & SOPHIÆ acta, & mirificè illud edictum extollit. quod exordio imperij ab ijs propositum memorat Euagrius, qui Iustinum testatur simul atque honores adeptus gerere res cœpit dedisse mandata, *vt omnes Episcopi & sacerdotes, qui ex omnibus locis in vnum Constantinopoli conuocati erant, ad suas ipsorum dimitterentur sedes, vti consuetos cultus Deo sanctè religiosèque adhiberent: nemoque quicquam, quod ad fidem pertineret, nouare moliretur.* Quibus ex verbis satis constat ad cæteras molestias & iniurias, quas Iustinianus Imp. Episcopis alias in Trium capitulorum caussa irrogauit, multis sub finem imperij, postquàm in Aphthardocitarum se labyrinthos induit, tristia facessiisse negotia. Consule Baron. in ann. DLIII. Vigilij XIV. Iustinian. XXVII. & ann. DLXIV. DLXV. qui vltimus fuit imperij Iustiniani.

Rhadegundis in orientem pro reliquis sacris legatio.

Iustini & Sophiæ Augg. acta

Duo in primis memoranda hoc in poëmate reperiuntur. Iustinum Imper. cathedræ Petri adhæsisse, nihilque aliud, quàm ipsa doceret, traderetuè, edictis iussisse. Deinde acta Concilij Chalcedonensis, quæ Leo pontifex Romanus olim autoritate sua confirmârat, approbasse: cuius sanè Concilij ea tum dignitas erat, & veneratio, vt vna cum Leonis nomine sacris tabulis & diptychis illatum, ceu exploratum haberetur germanæ religionis indicium. Qua quidem in re Iustinum seniorem mihi imitari voluisse videtur, de quo apud Surium tomo VI. v. die Decembris, in probatissima Sabæ vita sic legitur. *Cùm post Anastasium piè assumpsisset imperium, eum per vniuersum orbem misisse edictum, vt orthodoxi quidem remitterentur ab exilio, Chalcedonensis autem Synodus scriberetur in sacris tabulis, & veteres honores redderentur Orthodoxis, & rursum tranquilla pace frueretur Ecclesia.*

Iustinus catholicus Imp.

Chalcedonensis Synodi vindex.

Ad III.

Artachis ex stirpe regum Thuringiæ.

AD ARTACHIN.] Excidio Thuringiæ hi demum versus, autore Tritthemio, inscribuntur, sed MS. Treuir. hic disertè reposuit *Artachi Rhadegundis nepoti*. Nam Fortunatus Rhadegundis affectuum & solicitudinum conscius, ex ingenio piæ fœminæ hæc fermè cuncta patheticè finxit. Scripsit verò hosce versus postquam de Hamalafredi obitu renunciatum esset, in quo non facile dictu, quantum spei atque solatij ipsa collocarat. Huius igitur abrupta vita, & amicitia desperata, ad Artachin nepotem vnicum regiæ Thuringicæ columen perfugit; eiusque patrocinio & solatio monasterium, quod sibi statuerat, interuisi, ac recreari postulat. Quia verò pristinarum cladium hic etiam dolores ac vulnera renouat, non abs re de excidio Thuringiæ id quoque poëma nomen ferat.

NAM PATER ANTE CADENS, ET AVVNCVLVS INDE SECVTVS.] Auunculus hic, patruus Herminefridus, quem disertè Hamalafredi patrem fuisse, canit.

Nam mihi Bertharius pater, illi Erminefridus.

Ceterum lectio Herminefridi pluries euariat. Cassiodorus IV. variarum. *Herminafrido regi Thuringorum Theodoricus rex. Desiderantes vos nostris aggregare parentibus, neptis caro pignori, propitia diuinitate sociamus: vt qui de regia stirpe descenditis, nunc etiam longius claritate imperialis sanguinis fulgeatis.*

Adtextum his poëmatis MS. Treuirensi totum id erat de Phœnice poëma, quod Lactantio ascribi vulgo solet, suauitate quidem illud Fortunati venæ non dispar, at nitore ac elegantia cultus paulò splendidius, quàm pro eius sæculi more, quo Venantius vixit; Neque verò in alijs indicibus aut libris satis argumenti inuenire potui, quo Fortunato laborem remotioris æui & litteraturæ vindicarem.

STEM-

STEMMA THVRINGICVM A FORTVNATO EXPRESSVM.

a { Basinus { c Badericus. c Herminefridus *d.* Amalberga. quæ ex Amalfreda Hunnerici Wandalorum regis in Africa coniuge, & sorore Theodorici regis Gothorum nata. horum F. Hamalafredus.
Basina c Bertharius, cuius filius anonymus à Chlotario cæsus. Filia B. Rhadegundes
. . . . . Nepos Artachis.

b. Basina { Childericus Francorum. Clodoueus F.

a. Fortunat. vita B. Rhadegundis. b. Gregor. Turon. Franc. histor. l. 2. c. 12. c. Idem lib. 3. c. 4. & c. 7. & Fortunatus, passim in poëm. & vita B. Rhadegund. d. Cassiod. libr. 4. var. epist. 1. & Paulus Diacon. ad Eutropij Epitom. libro 16.



INDEX ET BREVIS CHRONOLOGIA PERSONARVM AC RERVM MEMORABILIVM, QVAS VEN. HON. CL. FORTVNATVS ATTIGIT; EXPANSA SVPER

annos Francorum regum, illustrandis ijs, quæ hic enarrauimus.

Christi ann.

515. CHILDEBERTVS Chlodouei F. rex Parisijs. Vltrogotho eius coniux. alij pro varietate Epochæ ann. 511. & 514.

Fratres { Chlotharius Suessionum, Chlodomirus Aureliæ, Theodoricus Mediomatricum. } reges.

525. Aurelian. Synodus II. al. 533.

527. Thuringiæ clades, & regiæ stirpis internecio.

537. Theodobertus Theodorici F. rex. Mediomatricum. al. 534.

Theodechildis Theodorici coniux & Theodoberti mater. Berthoara Theodoberti F.

540. Aurelian. synodus III. al. 542.

541. Aruernense concilium.

B. Gallus Aruernis, B. Nicetius Treuiris — episcopi florent.

545. Aurelian. synodus IV.

550. Theodobaldus Theodoberti F. rex Mediomatricum. al. 547.

552. Aurelian. synodus V. al. 549.

555. Theodobaldi Italica expeditio per Leutharin & Buccelinũ duces.

Chlo-

Chlotarius Mediomatricum rex. B. Rhadegundes ei desponsa, quæ sorte belli ei obtigerat. al. 554. 556.
Parisiense concilium. 1. 559.
B. Germanus Parisiensis
B. Euphronius Turonensis episcopi clarent.
Chlotarius totius Franciæ solus potitur.
B. Martinus episcopus in Gallicia floret. 560.
Moritur Chlotarius. al. 561. Inguinaria Galliam depascit. 565.
Succedunt quatuor Chlotarij F. F. regno iterum inter se partito al. 562. al. 564.
Charibertus natu maximus, rex Parisijs.
Fratres { Chilpericus Suessionum. Guntramus Aurelianensium. Sigebertus Mediomatricum. } reges
Sigeberti nuptiæ cum Brunichilde F. Athanagildi Gothorum regis, in Hispania rerum potientis.
Chilperici nuptiæ cum Gelesuenta natu maiore Athanagildi F.
Ven. Hon. Cl. Fortunati aduentus in regnum Mediomatricum, & cæteras Galliæ partes.
Santonense concilium. Leontius Burdegalensis claret. 566.
Iustin. iun. Imp. & Sophia Aug. Iustiniano succedunt.
B. Rhadegundes in Orientem suos dimittit, pro adorandæ & viuificæ crucis, aliorumque sanctorum, colligendis reliquijs. 567.
Longobardorum celebris in Italiam migratio, Alboino duce. 568.
Saxones à Londobardis diuisi, ex Italia redeunt in Gallias; vbi variè à Francis rerum dominis, exagitantur. 570.
Turonensis synodus II. al. 567. Felix Nannetum celebris episcopus.
Chilpericus succedit Chariberto Fr. Parisijs.
Gregorius, Turonum fit episcopus. 574.
Fredegundis facinorosa, pellex Chilperici.
Sigebertus rex Mediomatricum, perit Parisijs, dolo Fredegundis.
Childebertus Fr. ei succedit. al. 575. vel 578. 579.
Brennaci synodus coacta: Chilperico & Fredegunde actoribus. 583.

B.Mar-

B.Martinus Galleciæ Apostolus moritur.
Igidius Rhemorum antistes.
Pestis in Gallia sæuit.
584. Gogo dux clarus apud Mediomatrices.
585. Inguinaria lues in Gallia: quâ sublatus Felix Nanneticus.
587. Lugdunensis synodus II.
Syagrius episcopus Augustoduni claret.
588. Matiscon. synodus II.
Theodorus Massiliæ
Magnericus Treuiris episcopi sedent.
Childeberto regi Mediomatr. nascitur Theodobertus F.
Chlotarius II. Chilperico succedit.
590. B.Rhadegundes Pictauis moritur.
593. Ven.Hon.Clem.Fortunatus sedet Pictauis Episcopus.
600. Childeberto apud Mediomatrices succedit
Theodobertus F. al. 596. aut 699.

Synopsin hanc Chronologicam quam olim dedi, retineo, gnarus post tot eruditorum de temporum Epochis disceptationes, apodixes non esse Lectori exspectandas, sed in binio satis esse si viam insistat, qua non longissimè à scopo veritatis abducat.

Gloria Deo virginique S. Mariæ.

I.

EPITAPHIVM, B. MONICÆ MATRIS S. AVGVSTINI, QVÆ APVD OSTIA Tiberina decessit, Timasio atque Promoto Coss. sub annum CHRISTI CCCLXXXIX.

HIC POSVIT CINERES GENITRIX CASTISSIMA PROLIS,
AVGVSTINE, TVIS ALTERA LVX MERITIS.
QVI SERVANS PACIS CÆLESTIA IVRA SACERDOS,
COMMISSOS POPVLOS MORIBVS INSTITVIS.
GLORIA TE MAIOR GESTARVM LAVDE CORONAT
VIRTVTVM MATER FERTILIS HAC SOBOLE.

II.

ORATIO B. EVGENII TOLETANÆ SEDIS ARCHIEPISCOPI, QVI IVSTI Successor, Ildefonsi antecessor, XL. fermè in hoc munere præclarè positis annis, obiisse scribitur circa annum DOMINI DCXXXVI.

REX DEVS IMMENSI QVO CONSTAT MACHINA MVNDI.
QVOD MISER IMPLORO PER CHRISTVM PERFICE MITIS.
DA VIGILEM SENSVM REX REGVM CVNCTA GVBERNANS;
DA PRECOR INGENIVM; DA MENTIS LVMEN HONESTVM,
SIT MIHI RECTA FIDES; NEC FALSIS OBVIA SECTIS.
SIT MIHI PRÆCIPVE MORVM CORRECTIO PRÆSENS,
SIM CARVS; HVMILIS, VERAX CVM TEMPORE PRVDENS,
SECRETI TACITVS ET LINGVÆ FVLMINE CAVTVS.
DA FIDVM SOCIVM, DA FIXVM SEMPER AMICVM;
DA BLANDVM, SOBRIVM, PARCVM CASTVMQVE MINISTRVM.
NON ME PAVPERTAS CRVCIET, NEC LANGVOR OBVNCET; Imitatur Ausonij orationem in Ephemeride.
SIT COMES ALMA SALVS ET SVFFICIENTIA VICTVS;
ABSINT DIVITIÆ, FASTVS ET IVRGIA, LITES,

INVIDIÆ, LVXVS, ET VENTRIS PENSIO TVRPIS.
CRIMINE NE LÆDAM QVENQVAM; NEC CRIMINE LÆDAR.
SIC BENE VELLE QVEAM, QVO PRAVVM POSSE RECEDAT;
TVRPE NIHIL CVPIAM, FACIAM, NEC PROLOQVAR VNQVAM.
TE MEA MENS SITIAT, SERMO CANAT, ACTIO PROMAT.
DA PATER ALTITONANS VNDOSVM FLETIBVS IMBREM,
QVO VALEAM LACRYMIS CVLPARVM SOLVERE MOLES.
DA PRECOR AVXILIVM, QVO POSSIM VINCERE MVNDVM,
ET VITÆ STADIVM PLACIDO PERCVRRERE PASSV,
CVMQVE SVPREMA DIES MORTIS PATEFECERIT VRNAM,
DA VENIAM CLEMENS, CVI TOLLIT CVLPA CORONAM.
GLORIA SVMMA TIBI CÆLI, TERRÆQVE REDEMPTOR,
QVI DEVS ES TRINVS REGNANS SVPER OMNIA SOLVS.

III.

VERSVS FLACCI MAGISTRI, QVI ALIO NOMINE ALBINVS DICITVR, in locum, vbi Scriptores sedent.

HIC SEDEANT SACRÆ SCRIBENTES FAMINA LEGIS,
NEC NON SANCTORVM DICTA SACRATA PATRVM.
HIC INTERSERERE CAVEANT SVA FRIVOLA VERBIS,
FRIVOLA NEC PROPTER, ERRET ET IPSA MANVS,
CORRECTOSQVE SIBI QVÆRANT STVDIOSE * LIBELLOS,
TRAMITE QVO RECTO PENNA VOLANTIS EAT.
EST LABOR EGREGIVS SACROS NVNC SCRIBERE LIBROS:
NEC MERCEDE SVA SCRIPTOR ET IPSE CARET.

FINIS.

INDEX

INDEX.
MEMORABILIUM EX NOTIS AD FORTUNATUM.

A



ABEL quo modo ! & ansarculi incussu perierit. 213
Abolla. 251
Abrincum oppidum in Lgudunensi.II. 107
Achæmenia signa. 190
Achilliaca cithara. 186
Aconius episcopus Maurionensis. 42
Acrostichides 150. *Acrosticha cur stæchi.* 151
Ægircius fluuius. 23. *etymon eius.* 24
Ægyptius fõs quo Christus infãs putatur lotus. 147
Ætius Patricius Galliarum vindex. 66
Agaunum Thebaor. palestra. 40. *Agaunenses martyres.* 199.195
Agericus Virodunẽsis episcopus. 105. *illiusq; laus.ib.*
Agnes Pictauiensis Abbatissa. 104.105.195
Agricola Cabillonensis episc. 97.98. *Fortunati condiscipulus.ib.vita & mores.* ibid.
Agricola patricius. 101.102
S. Albanus Britanniæ martyr. 198
S. Albinus Andegauensis. 247
Alcima. 18
Alcimus Auitus Præsul Viennensis. 104
Alemanni apud Dannubium: 8
Allobroges. 44
Alpes Iuliæ in Pyrenæo. 172
Ambitarinus vicus in Treuiris C. Caligulæ Cæs. patria. 85
Amelius Leontii Burdegalensis decessor 15
Amphion presbyter. 106
Anaunenses martyres. 9
Andethanna & Andethannalis vicus. 234. *eius topothesia.* 253
D. Andreæ apud Rauenates basilica. 8
Anniciorum prosapia. 114
B. Anno Colon. episcop. 56
Antes. 129
Anthemius Imp. 70
Antiphonarum origo. & vsus. 135
Antonnacũ & Antõnacense castellũ. Andernacũ, eiusque situs & commẽdatio. 234. *Anubis.* 237
Apollonius. 174
Apostoli portæ. XII. 205
Aquitaniæ episcopi. 11
Archadius F. 118
Archidiaconus S. Lubentii. 185
Arduenna nemus, eiusque fines. 181.
Aredius Lemouix Abbas. 152
Aremorici descriptio. 61. *incolæ.* 62. *fines ib. & seq. Armoricus limes.ib. Aremorici tractus situs & vicissitudo.* 64. *An sub Maximo Imp Britanniæ nomẽ acceperit.* 64. *Aremorici diu post Maximũ Imp. incolumes.* 66. *sub Ætio. Littorio. Exuperantio.* 66. *Aremorici inclinatio.* 68. *Aremoricorũ famuli.ib. eorũ contracti fines* 68. *cur tandem Armoricus dicta Britannia.* 68.69. *Aremorici etymon.* 71
Argentoratum. postea Strataburgum. 98
Armentaria Gregorii Turon. mater. 239
Artachis ex stirpe regum Thuringiæ. 260
Artanense oratorium. 227. *Arthona vicus.* 227
Aruandus Galliarum præfectus. 70
Aruerni Austrasiæ Regum portio. 120
Assuerus Prumiensis Abbas. 160
Athanagildus Gothorum rex. 153
Auitus Aruernorum episcopus diuersus ab Alcimo Auito. 104. *Auiti Aruernorum episcopi laudes.*

Ll 2

laudes.138.conuertit Iudaeos.. 138.
Auleni.. 62.
Austrasia.42.Austrasiae fines.173.limites.. 178
Austru Tolosana baptismo sanata. 147
Auolus Cabillonensis presbyter. 119..
Axona fluuius. 178.

B

BAllista Nicetiani Castelli.87. Confluentinae. ibid.
Baptismo tolli morbos. 147. non semper tamen.. 148.Baptismi solemnis ceremonia.. 143
Baptisterij structura. 18
Barbaria 158
Basilius & Baudegundes. 12.118
Basilius Pictauus.. 118
Baudonualdus Meldensis episcopus.. 215
Belgica II. prouinciales ecclesiae.47.& Belgicae primae ciuitates prouinciales.. 94.
Berechildes virgo.. 168
Berthoara regina.39.Bertuara. ibid.
Bertramus Burdegalensis episcopus. 98
Berulfus Dux. 187
S.Bibianus Santonum episcopus.. 16..
Birrus amnis. 6.
Blattea vestis. 27
Bodegisilus dux.182 in Astrasia.& Massiliae. ibid.
Boiarij eorumque sedes. 7..
S.Bonifacij Thebaei translatio Treuiris in montana Vogesi. 42.
Bordaa fluuius. 184
Breones.. 7.218
Brinnacensis synodus.. 208
Brinnacum villa regia. 208
Britanniae minoris politia,iura,sedes.. 57
Britones.62.Britannorum in Armoricum migratio.69.successus.ibid.dispersio per Gallias..70.. Britonum siue Britannorum errores.conuersio. 74 Britonis & Britanni discrimen. 74.
Brunichildes Sigeuerti,Austrasiae regis coniunx 153..

C

S.CAEcilia,quomodo in Sicilia. 199
S.Caesarius & eius regula.130.195. quomodo post episcopatum monachus.132.S.Caesaria Caesarij soror.. 195
Calix sacer.. 17.
Caenobus.. 53.54
Cantus ecclesiasticus. 35
Capitolia priscorum.. 33
Caritas auiterna.121.caritatis inhaerens donum 97
Carminis venusta compositio. 122 123
Carolus Egmundanus Gelriae dux postremus.. 179
Cassius & Florentinus Bonnae.. 43
Chalactericus Carnutensium episcopus. 115.
Cataclistus. 253
Charentinus Agrippinensis antistes. 96
vitae eius commendatio.. 96
Chares fluuius:vulgo Cheir.. 180
Chariberti regis Parisiorum lubrica vita,cum encomio. 158
Cherusci piratae in Germania magna. 53. Ii Albis fluu accolae.. 166
Childebertus Chlodouaei filius.. 162
Chilpericus rex Galsuintae coniugis interfector.169. etymon nominis.208.. seruatur a B. Lupicino. 209.Doctus habetur.ibid.literas Francis tradit. 210.ibid.eius poësis.& 211
Chlodouaei baptismus.. 262
Chlodobertus & Dagobertus Chilperici filij. 214
Choraules pueri.. 34
Christophorus Moersi & Sarauuerdae comes.. 179.
Christi apparitiones in veteri testamento.141. per angelos.142. non hypostaticè tamen assumpto corpore.ibi.fons gratiae.222.. descensus ad inferos.243.ascensus.confessus. 244.
Chrodini ducis celebritas.. 219.
Chronopius Petragoricum episcopus.115.eius genus & aetas. 116
Chrotildis regalis monialis. 192 207.

Chrotta musicum instrumentum. 186

Cluenclancus. 176

Coloniæ Agrippinæ origo 96 deductio. 97.

Condo vir in Austrasia illustris, sub regibus. 189. *maior domus. Gũtrami regis cubicularius altus.* ibid.

Confluentes. 237. *Confluentiæ elogium.* 237

Constantinus lepra baptismo purgatur. 147

Contia Musellæ torrens. 236

Corona sacerdotalis priscis sacrosancta. 126

Corpus domini extra v,um asseruari solitum. 103.

Credendi necessitas. 241

Cremona monasterium in Galliis. 111.

Crucis cultus & adoratio. 26. 217 *S. crucis acrostichides.* 200. *crucis antenna.* 200. *dimensiones.* 242 *supplicium.* 243

Cucuma. 174

D

DAni quæ gens. 184

Dedicatio templorum, encænia. 58

Dei regnum 22. *voluntas.* 224.

Desideratus Virdunensis episcop. 106

Dypty,hi eorumque ratio fusè explicata. 229. & *seq. materia.* 230. *finis & vsus.* 231. *discrimen ab albo martyrum.* 232.

Diuodurum an idem cum Mediomatricibus. 94

Domitianus Catalauni episcopus. 58

Domnulus Cenomanorum episcopus. 59 176

Domnus 5. *Domni vox, quem vsum habuerit.* 50. *fuitque blandientium & reuerentium.* ibid.

Droctouei Abbatis memoria. 217

Droctulfus dux Alemannus. 10

Dynamius Massiliæ rector 175. *casus illius.* ibid.

E

EBruicanus limes. 62

Echinades. 52

Egidij Rhemensis antistitis vita, casus, laus. 97. 98

Elisis. 176.

Emerius Santonum episcopus. 16. *Euemerus.* 109.

Episcoporum continentia. 74. 115. *opes.* 86. 215 *Episcopi vnius loci nomen interdum nationis habent.* 81. *Episcopi quantum potuerint apud minores Britannos.* 57. *quantum apud Impp. &* Barbaros. 117

Epithalamium Sigeberti regis & Brunichildis. 154

Epternacum. vide Andethanna.

Eua Monas. 226.

Euarix Gothorum rex. 116.

Eu nius Viennensis episcopus. 51

S. Eulalia. 198

Eulogiæ. 245.

Euphrasia Viennensis matrona. 123.

S. Euphronius Turonum episcopus. 49 58.

S Eu, hronius Augustodunensis. 126

Eusebia virguncula. 124.

Eusebius Sanctonum episcopus. 16

S. Eutropius apud Santones inuentus. 11. *primus Santonum episcopus.* 17. *martyr & Clementis discipulus.* 17.

F

FAustus Auscensis episcopus. 11.

Faustus Reiensis episcopus. 132

Felix Nannetum episcopus. 52. *eius fama defensa.* 56 *autoritas.* 57. *magni apud* Britannos *nominis. ibidem. templum Apostolis ab eo exstructũ.* 58. 60 *præconium.* 61. *Grates ei dicit Fortunatus.* 151. *fama doctrinæ.* 75. *munificentia in fluminibus deriuandis.* 78. *mors.* 79. *Felix Romæ consul.* 81

S. Felix Vicetinus. 198

S. Ferreolus martyr. 60. 34

Filius Dei quomodo creator. 242.

Florum vsus in templis & sepulchris. 206

Fortunatus apud Mettenses agit, atque inde nauigio publico euehitur. 174.

Franci Germani. 157. *Sicambris cognati & ὁμο-φῦλοι.* 164 & *seq. item.* 167. *sedes eorum.* 166. *Francorum Germania parens.* 170. *ritus inaugura-*

gurandi apud Francos.172.173.leges.90.Fraci Salij.ibid.horum sedes.ibid. Batauia incolæ, & Taxandria.91.ipsorū in Galliā seruitus.238
Francofurtum duplex. 185
Fredegundes regina Chilperici impia coniunx.207 211.204
B.Fulgentius Ruspensis episcopus. 212.213

G

GAbata aut Gauata. 191
Galactorius comes Burdegalensis. 192 239
Galli an sub Francis vsi literis Græcis. 210
Gallisuebi. 129
Gallomagnus Referendarius. 183
S.Gallus Aruernorum episcopus. 111. genus ibid. Quintiani discipulus, Treuirorum & Coloniensium apostolus, Cremonæ monachus.propheta.quandiu sederit. ibid.
Ganta. 178
Gaufridi Asiphensis historia de XI.millibus Virginum fluxæ fidei. 64
Gelesuintha Athanagildi Gothorum regis F. 168. Chilperici mariti fraude perit.169. nuptias celebrat Rhotomagi. 172
S.Genesius Arelatensis. 198
Genitura an idem quod creatura ex Arrianorum sententia.45.Genitura non defectuosa. ibid.
Georgij Fab.techna,& mala fides.27.44.76.195. 201.204.
S.Gereon Agrippinæ. 43
S.Germanus Parisiensis.34 eius psalmodia. ibid.
S. Germanus Antisiodorensis Aremoricos conseruat. 66
S.Goaris memoria,oppidum,cella. 160.161
Gogo dux paranymphus Sigeberti regis. 154. nutritius Childeberti. 177
Gothorum in Aquitanicas ecclesias sæuitia. 116. Gothi torui.121.Gothia,Gothalania. 171
Graphiola. 152
Græcorum fastus se Romanos iactantium. 161
Gregorio Turonensi dicata Fortunati poemata. 5. Ipsius historia.10.exordia.episcopatus.133. ipse alumnus S. Iuliani martyris. ibid. consecratus episcopus ab Aegidio Rhemensi. 134
S.Gregorius Lingonum episcopus. 109
Gunteramus rex colit SS.Thebæos 41

H

HÆresis monstrosa. 203
Hamalafredus rex Thuring. 258
Hæretici sine patre Deo. 223
Harpa genus musici instrumenti. 186
Hedua & Heduorum ciuitas vide Augustidunum.
Herminefridus Thuringiæ rex. 257.258.260
S.Hilarius Pictauiensis.44 patria, dignitas, zelus illius.45.exsilium 46.
Hilarius Gabalitanus episcop. 98
Hilarius presbyter. 118
Hildulphus Treuirorum episcopus. 42 182
Himus montis fortè nomen. 192
Hypostatica vnio.202.203. hypostaseon confusiones vt & naturarum ac proprietatum. 203

I

IBerus fluuius. 156
Ignis infernalis actio gemina.121. Ignis Christi iudicis prodromus.122.ad probandum & vrendum. 122
Illa loci nomen.Illacensis nauigatio. 246
Infantium baptismus 119
Ioannes Anethus Metensis decanus. 88
Ioannes Rauennæ episcopus 9.eius memoria vindicata. 10
Iouinus Prouinciæ Massiliaque rector. 187
Isara fluuius Galliæ Narbon. 179
Ithyphallici ludi. 55
Iudæorum apud Aruernos conuersio. 138. Iudæi quomodo ad fidem cogendi. 138. Iudæi spurij. 142.Iudæis fœtor an agnatus.143.144. Fœtor Iudæorum incurabilis.144.curare se putant sanguine Christianorum.145. Iudæi natura & educa-

ducatione malè olent.145.146. odorem hunc baptismo tolli posse. 147
S.Iulianus martyr. 133
Iuliani epitaphium. 118
Iustina monialis Pictauiensis. 207
S.Iustina Patauina. 198
Iustini & Sophiæ Augg. acta. 259
Iustinus Imp. Catholicus, & Synodi Chalcedon. vindex. 259

L

LAudebodes & Berethrudes. 33
Laugona seu Logana & Lona flu. 185. eius accolæ principes, nobilitas. ibid.
Lemouicum. 113
Leontij senioris & iunioris epitaphia, opes, autoritas. 117. Leontii Burdegalensis episcopi templa. 12.15.16 laus, genus, 17. rediuiuus. 22. prædia. 23.
Leysen, Liedt, Lieder. 176
Ledi Germanorum cantus. 187
Liger fluuius. 53.79
Liliola virgo. 196
Lingones qua regione. 109. Lingonum episcopus Par Franciæ. 110
Lirinus insula 130. Lirinense monasterium 130. Lirinenses monachi, illustres sanctique viri. Lirin. statuta. 131.132
Litania pro ieiunio. 189
Literarum conceptacula. 190
Littorius dux Roman. in Galliis. 66
Lonsteinium oppidum Rheni. 185
S.Lubentius Treuir presbyter. 185
Lupus dux. 183
Lychni miraculum apud Gelesuintæ reginæ sepulchrum. 173

M.

MAgnericus Treuirorum Archiepiscopus. 87. eius laus & sepulchrum. ibi.
Magnentii Mauri Rhabani opus Stœchorum de S. cruce. 149
Magniacum & Magniacēsis pagus in Treuiris. 85
Magnulfus Austrasiæ senator. 187. Tolosæ episcopus. ibid.
Maguntiaci dignitas. 37. baptisterium, templa. 38 excidia & ruina. 38. martyres. 38 cella veteris monasterium. 39. S.Georgij basilica. 39
Manzeres Iudæi, id est, spurij. Manzæra agmina. 142 143.
Maracharius Engolismensis episcopus. 59
S.Martinus Galliciæ Apostolus. 125. 126. 127. Primipilus post Paulum. 127. Sueuos conuertit in Hispania. 128. poeticæ gnarus. 127. Pannonia oriundus. 128. S. Martini in Treuiris monasterium. 87. S. Martini basilica apud Turones. 227
Matisconensis synodus. 51
Maximi imperium & aduentus in Galliam. 65. Maximus ex Britannia, qua Gessoriacus, appellit. ibid. Treuiris agit. ibid.
S.Medardi memoria 46. mors. ibid. templum apud Suessiones. ibid.
Medianum monasterium Lotharingiæ. 42
Mediolanum in Treuiris & alibi. 85
Mediomatricum vrbs; vnde iā Mettis 93. Mediomatricū reges, vbi extra Austrasiā dominati. 180
Meldæ ciuitas Belgicæ.II. 107
Metensis vrbis pulchritudo, damna. 95
Methe vox, id est, mater. 94
Metropolis & episcoporum constitutio iuris ecclesiastici. 82
Miltum. 215
Minuritio. 36
Missi pro Legatis seu literis. 172
Monas pro prima caussa. 226
Monastice quomodo cum episcopatu consistat. 132
Monstrātiæ vsus pantiquus, p corpore Domini. 102
Mortalitas hominis. 226
Mummulenus vir clarus. 188
Musella vinifera. 178. eius pratoria & arces. 86. etymon. ibid.

Musellana nauigatio. 234
Myoparones. 53.

N

NAbis, Nabus, Nablis, fluuius in veteri Saxonia. 155.
Naddauer Æthiopiæ ciuitas, vbi quiescit S. Matthaus. 196
Nammatius Classis præfectus aduersus Saxones. 43.123. Nammatius Viennensis episcopus Pantagathi successor. 123.
Nanceium, Nansium, Nauriacum. 175
Nannetum vrbs, Namnetis. 53. Nannetes. 62.
Nanneticus & Rhedonicus Limites. 70
Narbo ciuitas, & eius ornamenta. 171
Nassouii. 185
Natalitia episcoporum. 135
Nauis emptica. 249. seq.
S. Nicetius Treuir. antistes. 79. eius genus. natalis, sanctimonia. 180. mors. ibidem. sepulchrum in Treuiris. Pontificum caput, primas. 81. S. Nicetii castellum apud Mosellam, & situs illius. 84
Neruicus limes. 63. reuocatur in dubium. ibid.
Neustria seu VVestria. 42
Nicolaus Matthæi Metensis Canonicus. 88.96
Nicolaus Psalmeus Virdunensium episcopus. 88
Nouiomum & Nouiodunum. 47.48.

O

OCtodurum. 40
Onestrudes Eichsfeldiæ fluuius. 155.
Ophites carminis genus. 108
Orationis dominicæ commendatio. 220.221
Orbis quadratus. 176
Orna flu. 234.
Orentius poeta christianus. 119.
Osopus. 255

P

PÆan. 36
Palaina Gallomagni filia. 183
Palladius Santonum episcopus. 11
Panis quotidianus. 225
Pannoniæ episcopatus sub Iustiniana prima 128
Pappolus Lingonum episcopus. 110. interitus illius. 110.
Paradisus Dei, homo ipse. 126
Parisius. 107
Paschalis hymnus Fortunati. 76.
S. Paternus ex Abbate Abrincis episcopus. 107.191.
Patrini seu susceptores. 143
Patris nomen in oratione dominica. 221
S. Paulini Treuir episcop. genus. 18. templum Treuiris. 43
Paulini poetæ diuersi. 249
B. Paulus Hispaniarum apostolus. 125.
S. Paulus iurisconsultus. 196.
Peccati radix. 225
Pegasius Petragoricum episcopus. 116
Pelagius hæreticus natione Brito. 74.
Personarum in Trinitate circumcessio. 222
Petragorices, vbi, & eorum aliquot episcopi. 115. 116.
B. Petri claues. 123 134. ianua. 129
Pictauus vrbs. 44. violatio ibi facta sanctorum. ibid.
Placidina Leontii. 12.13 20. genus Imp. 20.
Plato Pictauus episcopus. 239
Poematum recitatio. 99. vbi loci. 100. Poematis de B. Virgine commendatio. 201. poema subitum. 238.248
Pontii Paulini, 18
Porphyrii poeta Stæchorum opus. 149
Prætorii 23
Primmia Mediomatrica. 95
Principum laudes. 158

Q

QVadragesimæ vsus. 206
Quintianus Aruernorum episcopus. 111

S. Quinti-

S. Quirinus Siscia in Pannonia episcopus. 197

R

S. RHadegundes regina. 25. Helenæ æmula. 25. se subiicit Agneti Abbatissæ. 104. eius vitæ encomium. 183. erga S. crucem veneratio. 217. in orientem mittit pro reliquiis. 259.
Rhagnemodus Parisiensis episcopus. 216
S. Remedius. 40
B. Remigius Rhemorum episcopus. 83. Chlodouæi baptizantis oratio 162
Reunatilia. 255
Rhelonicus limes. 70
Rhemensis ecclesia sedes Treuiricæ soror 83. eâdem inferior. 83
Rhodanus fluuius aut riuulus in Treuiris. 85
Rhotomagum vrbs. 172
Ricitius Varus Ebruici limitis an Neruici præfectus. 64
Roma à Gothis capta tempus. 67. Romania & Romani, raræ quædam notiones. 158. & seq. Romani nominis inuidia 159. probrum 161. Romanus pro Catholico sumptus 162. Romanæ fidei & vrbis nomen. 162
Runa quid vocis. 190
Ruritii Lemouici episcopi 112. Anniciani sanguiguinis. 114. Ruritius senior eloquens. 112. iunior. 113
Rutilius Claudius præfectus prætorio. 67

S

SAba flu vel Sata. 180. & seq.
Sasæ gentes. 194
Sacramenti Eucharistiæ veritas. 20
Saffarius Petragoricum episcopus. 115
Salia vel Sella flu. 89. eiusq; lusus apud Metin. ib.
Salicæ legis deriuatio. 48. 89. 90
Sanctorum inuocatio. 43. 51. cultus. 126
Santones. 11. Santonus. 19
Sara fluuius 179. Pons Saræ. ibid.
Saræ pontis & Sarauuerdæ ac Mòersi comitum gentes. 179
Sarepta vidua; an Euangelica. item Sareptana. 103.
Sarracum. 170
Saturninus Tolosatium episcopus 32. eius martyrium. 32. miracula. 33
Saxones piratæ in ora Britannica. 53. Saxonicum litus in Gallico mari. 53. Saxonici litoris dux. 43 Limites 65. Saxonum myoparones. 53. errores & bella per Galliam. 78. Saxones & Cherusci in Aremorico 56. Saxonum in Britanniã aduentus. 69. in Gallia baptismus. 77
Schaldis flu. descriptio. 180
Scrupula horarum 76
Sedeleuba Burgundiæ regina. 42
Serpentinum carmen vel Ophites. 108.
Sicambria non fabulosa. 167. Sicambri vel Sygambri Francorum progenitores. 162. eorum antiquitas & sedes inuestigatæ 163. Habitus. 164. sedere quo hodie Cliuij & Gelrij. 164. Frisiis finitimi. 165. coniuncti Francis Saliis. 165. 166. ad Vahalim flu. 166. confusi tandem cum Francis. 167
Sidonij Maguntini episcopi encomium, & magnificentia. 215
Sigebertus rex Mediomatricum. 151. Sigeberti regis Thuringica bella. 157. potentia & interitus. ibid.
Sigismundus Burgundiæ rex templo ornat Thebæos. 41
Sigoaldus comes. 239
Siluius. 20. 24
Sindulphus diaconus. 108
Siscia oppidum Pannoniæ. 197

Solœcismi veterum. 212
Somenaflu.181.Francorum olim limes. ibid.
Sophos cuius vsus. 99
Stœchi vel stoichi carminum genus. 149
Suessionum vrbs. 47
Sura flu.181.234.eius ostia & ornamenta. ibid.
Syagrius Augustodunensis episcopus.148.qui Gregorio magno carus. ibid.
Symplegades. 54
Symbolum ab Apostolis conditum.240.Indicium dictum. 241
Synodus Brinnacensis. 208

T

TAgus Hispaniæ flu. 173
Taxandria vel Toxiandria vbi 91
Templorum ornatus. 16. 17. profanatio.216. Templi S.Laurentij miraculosa fabrica. 218
Tetricus Lingonum episcopus. 110
Thebai & eorum certamina Agauni.40 Saladori 42. Treuiris. 42. Bonnæ.43 Sanctis.43. Thyrsus & Bonifacius Thebai duces in Treuiris 41.eorum monumenta ibid.
Theodechildis nomine regina dua. 168
Theodechildis Chariberti coniunx. 119
Theodechildis regina.117.fortè coniunx Theodorici regis apud Mediomatrices. 120
Theodobertus rex. 39
Theodorici regis Sueuorum conuersio. 127
Theodonis villa an Diuodurum. 94
Thuringica expeditio regum Francorum. 155
Thuringiæ excisæ planctus.257.& seq. Thuringica bella 257.Thuringicum stemma. 261
Tolosa. 32
Traiano foro poematum recitationes, & statuæ doctorum Victorini, Claudiani, &c. 100
Trasaricus. 40
Treuirenses martyres.42.Treuirensis ecclesia primatus.80.81.82.83.Treuirenses episcopi, Eucharius, Agricius, Maximinus, Paulinus. 81.
Treuirorum Archiepiscopus Galliæ Belgicæ primas, & Rhemensi Archiepiscopo æqualis, & superior. 81.82
Treuirorum Augustæ dignitas, amplitudo. 234. nobilitas.235. declinatio.ruinæ.rel gio ibid.
Trinitatis mysterium in veteri lege cognitum, & locus Genes.19.ad id explicatus. 139

V

VAchalis & Vahalis ex Rheno fluuius. 164. 166.173.
Vapincum vrbs. 40
Vasa sacra in quibus corpus Domini. 20
Veneti in Armoricis. 71
Veragri. 40
Vernemetis basilica. 15
Vicetia oppidum Venetorum. 198
S.Victor & socii Thebai, Sanctis. 43
Victor Tricassinus episcopus. 58.59
Victorianus Agaunensis Abbas. 117
Vigenna flu. 172
S.Vigilius Rauennæ cultus, & inter Aunenses. 9
Vilithuta Dagaulfi coniunx.genus,educatio.ætas 120.
S. Vincentij apud Garumnam basilica 13. qui martyr Aginnensis.13.diuersus à Cæsaraugustano. 14
Vincentij Cæsaraugustani reliquiæ. 36
Vinnochus Brito. 75
Virduni vrbis encomium, etymon.105. varij successus. 106
B.Virginis laus vindicata & asserta. 201.204.
Vitalis Rauennæ episcopus. 8
Vlpia castra.Colon.Traiana Sanctorum oppidum 43
Vltrogotho Childeberti regis coniunx. 173.229

SS.*Vndecim millium virginum historia delibatũ examen* 64.*an desponsatæ militibus virgines.* 64 65.
Vogesi nemoris recessus & oblectamenta eremi sanctorum, 181

W

WEtzflaria oppidum. 185
VVitgensteinium. 185
VVittekindus. 185

IN FORTVNATO LEGE

PAG. 2.versu.9.C.Sollium.38.5.in marg.* labor.40.33.in marg.* Orbe.41.7.renouante.42.25.dele &.48.22.aruo.77.28.in marg.* perperuò.121.28.dele in.127.14 supercrescente.&ibid.32.in marg.* vindicet.151.28.abdita lapsu.178.2.affatu.183.9.Scythicas.189.Lorica,clypeo galea.217.20.secundent. 130.28.docere. 241.1.releuationis.226.30.vtrosq;.300.15.cœtumq;.307.in marg.percussus.308.dele iumenta.309.33.in mar.Ad mortui reditũ magna fit infidelium conuersio.313.8.* ignem.& 10.ad marg. Dialog.l.2.c.10.335.20.Reunatilia.

IN NOTIS CORRIGE

Pag.11.ỽ.2.narrat.24.7. ἀλξ. 31.10.cortice.42.8.maculis.71.29.Treuerensium.74.5.Bathildis.92.8. in marg.Franconia.137.24.Romani.167.12.potest asserat.13.Attica.14.viderit.168.11. quampridem.13. Ansuarios.201.21.exemplo.227.29.Perpetuus.

FINIS.

HRABANI MAVRI EX MAGISTRO ET FVLDENSI ABBATE ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI.

POEMATA DE DIVERSIS

Nunc primum vulgata & scholiis illustrata.

STVDIO. R. P. CHRISTOPHORI BROVVERI
Societatis IESV Presbyteri.



MOGVNTIAE.
Sumptibus Bernardi Gualtheri Biblip. Colonien.
Excudebat IOANNES VOLMARI.

ANNO M. DC. XVII.

AD PASCHALEM Papam.

PONTIFICALIS apex, primus & in orbe sacerdos,
Petri successor, Pauli dignissimus hæres,
Paschalis pastor, Sanctorum ciuis in arce,
Respice nos miseros, perduc ad pascua vitæ,
Paschalem sequimur, Paschalis ad æthera pergat,
Christe Deus noster, Christus Rex suscipe votum.
Limina pande poli, Paschalis vt intret in aulam,
Grexque suus secum, tu Pastor sancte, valeto.

Ad Gregorium papam de libro Sanctæ crucis Sancto Petro directo.

SEDIS Apostolicæ Princeps, lux aurea Romæ,
Et decus & doctor, plebis & almus amor.
Tu caput Ecclesiæ es, primus Patriarcha per orbem, Pontifici summi illustre præconium.
Præclarus meritis & pietate potens.
Sal terræ, mundi lux, atque vrbs inclyta Christi,
Perpetuæ præbens lucis iter populo.
Vestra valet cœlum reserare, & claudere lingua,
In terris positus clauiger ætherius.
Tu renouator ades patriæ, spes, rector, honorque,
Dulcis amor cunctis, dignus amore Dei.
Tempora sunt huius vitæ nunc plena periclis,
Bella mouent gentes, hostis vbique furit.
Vnde opus est valde, tua quod protectio fortis
Succurrat miseris, quos inimicus odit.
Eripe sancte piis monitis precibusque sacratis
Commissum tibimet Pastor ab hoste gregem.
Vt tua laus maneat, merces & gloria semper,
Cum Christo in cælis regna beata tenens.
Principi Apostolico Petro coniunctus in æuum,
In terris * vicem cuius & ipse geris. *

Offert munus Pontifici.

PRÆSVL amate Deo te Papa Gregorius, oro
Tit. opere Winphe- ligiano.
Inter oues proprias me vt miserum numeres.
Sisque tui famuli protector verus, & ipsum,
Æterno Domino restituas precibus.
Qui se totum offert, parua hæc & dona ministrat,
Opus de S.Cruce.
Commendans tibimet seque suaque simul.
Per te vt alma Crucis laus nunc acceptior extet,
Principi Apostolico munere missa Petro:
Quæ Christi ad laudem conscripta est, tempore prisco,
Ludere dum libuit carmine versifico.
Credo quidem memet per te conquirere posse,
Vitam, quam nequeo per propria merita.
Te Deus æternus mundi mitissimus auctor,
Tempore longæuo protegat atque regat:
Vt valeas, vigeas, sanus & prospera captes,
Hic & in æternum regna superna metas.
Gregorius vt vigilet.
Te vigilem seruet, qui non dormitat in æuum,
Nominis atque tui restituat meritum.
Vt vigil, & cautus Pastor Gregorius adsis,
Sancte tuis ouibus, Papa beate, Vale.

Versus Mauri ex persona Albini magistri sui de libro Sanctæ Crucis ad Sanctum Martinum directo: vbi Magister pro discipulo suo Sanctum Martinum deprecatur.

SANCTE Dei Præsul meritis in sæcula viuens,
Caussam, quam ferimus, suscipe mente pia.
Albini officium apud Turones.
Nempe ego cum fueram Custos humilisque minister,
Istius Ecclesiæ dogmata sacra legens
Hunc puerum docui, diuini famine verbi,
*
* Ethicæ monitis, & sophiæ studijs.
H.abanus Francus sed orientalis.
Ipse quidem Francus genere est, atque incola siluæ,
Bochoniæ huc missus discere verba Dei.
Abbas namque suus Fuldensis Rector ouilis,
Illum huc direxit, ad tua tecta pater.
*
Quod mecum legeret metri * Scholasticus artem,
Scripturam & sacram, rite pararet ouans.

Ast vbi

Ast vbi sex lustra impleuit iam scribere temptans,
Ad Christi laudem hunc edidit arte librum.
Quo typicos numeros, tropicas & ritè figuras,
Indidit, vt dona panderet alma Dei.
Passio quid Christi mundo conferret honoris,
Qualiter antiquum vinceret & * celydrum.
Quod sic venturum sancti cecinere Prophetæ,
Ac libri legis grammate ritè dabant.
Et quia se meminit nutritum in * domate claro,
Istius ecce loci, hinc tibi dona feret.
Quæ licet indigna & vilia sint, tu tamen ipsa,
Patronus mitis, accipe quæso, piè.
Altithrono et redde pignus quod præstitit ipse,
Instanter poscens artifici veniam.
Qui quantum potuit, fecit, * non quantum debitor ipse,
Extitit, vt grates redderet ore Deo.
Crimine pro miseri largas tu funde potenti,
Alme preces Domino, sicque iuuato tuum.
Qui multa infanda semet * fatetur egisse,
Ætas lasciua, quanta patrare solet.
Sed spes firma manet, bonitas & firma Tonantis,
Ipsum quod saluet Omnipotens medicus.
Sanguine qui proprio laxauit debita mundo,
Abluit & fonte crimina multa sacro.
Tantum tu precibus ipsum meritisque sacratis,
Commenda Christo, sicque beatus erit.
Præsentem & vitam peragit, sospesque futuræ,
Seruatur patriæ, protege Sancte, tuos.

S. Crucis Acrostieha

*Chelydrum qui serpens aqua terraq; victitans seruio quasi chersydrus ἀπὸ τοῦ χέρσα ὕδωρ

Apud Turones Hrabanus vixit.

* nam.

Ad S. Martinum.

* semet egisse fatetur.



AD GERFRIDVM Episcopum.

I.

SIT longæuus amor, sis sospes tempore multo,
Cum Christo regnans tempore perpetuo.
Hoc Rhaban vilis Gerfredo poscit vbique,
Exaudi Christe, tu sine fine, Vale.

2. *Oratio Mauri ad Deum.*

OMNIPOTENS genitor, qui rerum es maximus auctor,
Nate coæqualis, Spiritus atque Dei.
Vnus natura, personis trinus & ipse,
Viuificans cuncta, vita beata Deus.
Respice me miserum, flenti & miseratus adesto,
* Qui grauiter peccans æger in orbe * dego.
Eripe me his inuicte malis, procul omnia pelle,
Quæ mentem & corpus crimina dira tenent:
Nam vitam varijs macularum erroribus omnem,
Atque tuam legem spernere non timui.
Lingua, mente, manu commisi noxia multa,
Textus Euangelij quæque vetare solet.
Et quid tunc volui deceptus fraude maligni,
Quemue sequebar amens, decipulam hostis amans.
Ac miser inferni redolentia sulphure stagna,
Ignem cum verme, perpete cum gemitu.
Elegi amare magis, quam dulcia gaudia cæli,
Thuriferos campos, quam Paradise tuos.
Heu miser, heu demens, vbi nunc tua vita periret,
* Quosue dares gemitus tortus in igne * dirè.
Ni Deus immensæ bonitatis verus amator,
Humanæ formæ, retraheret miserans.
Fit quoque, quod dudum Psalmista ast voce canebat,
Cum stupuit mirans dona superna Dei.
Ni foret adiutor Dominus, iam infernus haberet,
Sontem trux animam, & cruciaret eam.
Nunc Deus alme tuum famulum pietate süeta,
Conuersum recipe, quem dolor excruciat.
Sana contritum, flentem solabere mæstum,
Indulgens quæso crimina cuncta tuo.
* mœrentia. Da mihi spem veniæ, fac corda * merentia læta,
Commutans lacerum, iam facias placidum.
Daque fidem plenam, da spem, da pignus amoris,
Mandataque tua corde manuque geram.
Strinxi me voto, comple hoc pius arbiter orbis,
Natura fragilis quod celerare nequit.
Sitque opus omne tuum, quodcunque expendis alumno,

Sit ti-

Sit tibi laus ſoli, gloria ſitque tua.
Cum velis vitæ finem, finemque laboris
* Imponere, ſeruo tunc miſerere tuo. *
Ne occurſus ſæuus noceat, ne Tartarus ardens,
Miſſus ſed lucis ducat ad aſtra poli:
Dum iudex venias meritorum iura rependens,
Iuſtifices ſeruum tunc, precor ipſe tuum.
In dextra ponens, cum iuſtis præmia reddens,
Cernam quod vultum lucis in arce tuum.
Te bone Ieſu precor, Rector, Saluator & auctor,
Quicquid protuleram ritè loquendo prece hîc.
Suſcipias miſerans famulum clementer, & audi,
Ardua poſcenti, des quoque regna poli.
Portio ſim plebis, laudes & in ordine cantem,
Sanctorum gratulans cantica grata tibi.
Gloria magna Deo, ſemper tibi gloria Chriſte,
Amen, in æternum, gloria magna Deo.

3. *Verſus ad amicum.*

SALVE fidus amor, felix dilectio ſalue,
Soſpes in orbe mane, ſoſpes in ore mone.
Carmina nempe tua dico meliora Maronis,
Carminibus celſi cantibus Ouidij.
Odis, quas cecinit Flaccus, verboſus Homerus,
Corduba quem genuit, Africa quem tenuit.
Hi quia protulerant pompoſis falſa Camœnis,
Ritè tabeſcentes morſibus inuidiæ.
Tu deuota pijs connectis vincula verbis,
Decantans placidè pectora amica notans.
Hoc rogo noſter amor faciat, rogo verſibus; oro,
Quod noſtris ſcriptis ſedulus ardor eat.
Sermo decorus ouet, ſeruetur regula dictis,
Nexibus & certis verſus in arte meet.
Sic tua tunc ſobrio decoratur fiſtula cantu,
Laudaturque modo iure Poeta bono.
Det tibi ſumma Patris ſermonem lingua loqueſa,
Chriſtus in arce Deus, Rector in orbe pius.
Spiritus atque ſuus faciat tibi corda benigna,
Mentibus ac verbis vt Domino placeas.

Hæc

Hæc tibi nunc breuiter festinus calle viator,
Scribere compulerat, tu sine fine Vale.

Ratisbonensem.

4. *Ad Baturicum* Episcopum ex persona Isanberti.*

VADE libens charta, pro me transire iuberis,
Ipsa salutatum domata Patris adi.
Ratisbona Vrbem Regensem minitantia mænia cælo,
Qua fluuius Regan labitur arua rigans.
Inlustrem hicque virum Batoricum quæso require,
Norica tellus. Cui domus & patria Norica tellus ouat.
Hunc ibi si inuenias, supplex ei dicito, Salue,
Præsul honeste Dei, plebis & altus honor.
Te celsum humilis Monachus, te sancte Sacerdos,
Compellat scriptis, dona superna petens,
Viribus vt corpus vigeat, sapientia mentem,
* Imbuat, & totus sospes vbique *degas.
Grates sponte offert, laudat largissima corda,
Prædicat & dona, quæ sibi contuleras.
Altithronum poscit, qui diues regnat vbique,
Mercedem meritis reddat vt ipse tuis.
Accipe sancte Pater, labijs quod pręstat alumnus,
Offert suppliciter quod tibi mente manu.
Nomen namque tuum perpendas, sicque verenter,
Officium tractes, quod dedit omnitenens.
Baturici Episcopi laus. Tu Decus es populi, vocitaris Episcopus ipse,
Et superintendens, dux eris atque gregis.
Sal terræ, mundi lux accensaque lucerna es,
Vrbs firma, & celsi montis in arce sita.
Ducque via populos angusta, & præuius ito,
Vexillum portans primus in arma pete.
Victor victores superando hostilia castra,
Exponis Regi præmia larga metens.
Pastorum summus Pastorem constituit te,
Pasce gregem Christi, proximus ecce venit.
Sic catus & cautus attendis ouilia circum,
Ne lupus inrumpat, ne leo dilaceret.
Nec fur effodiens intrans mactauerit agnum,
Sed Pastor veniens omne pecus habeat.

Iudex

Iudex præcinctus migrans tibi ritè ministret,
Et superexaltet omnia dona sua,
Agmina quo læta exultant, quo Virginis agnus
Pascit cum toto & grege rite suo.
Huc, huc tu properans festina pergere Pastor,
Hucq; tuos tecum insere sancte Pater:
Sicque tui iure censeris nominis auctor,
Si Batorich pateas ore monendo tuos. Baturici etymon.
Si Christi regnum cœlorum, si annuis arcem,
Aufers si vitia, si sacra dona dabis.
Hæc quoque pauper inops, quamuis sis summus honore,
Misit congesta; accipe mente pia.
Nec spernas vilem, cum gazas gestet in arca,
Mens tibi deuota munera grata ferat.
Nominis ergo mei, si vlla te cura momordit,
Nomen Isanbertum me retinere scias.
Tu lapis altaris, tu gemma in stemmate Regis,
Tu clauis regni es, limina pande poli.
Sum tibi deuotus, saluet te gratia Christi,
Sum tibi mente pius, audit ab arce Deus.
O pater alme poli custodi semper amicum,
Hoc peto Nate Dei, Spiritus atque Dei.
Qui triplex, simplex cœlorum sceptra gubernas,
Mundum fine capis, lumen & arce dabis.
Viuat hic sospes, vitam super æthera quærat,
Possideat vitam semper in arce tuam.
Quem videam lætum, lætus simul ipse manendo
In cœlis tecum summus in arce Deus.
Amen, hoc fiat, O-sanna fideliter hoc sit,
Poscamus ambo hoc, dulcis amice Vale.

5. *Oratio ad Deum.*

O Deus æterne, mundi sanctissime Rector,
Te mea mens ambit, animæq; ac viuida virtus,
Laus, amor atque decus, cordis tu lumen honestum,
Membrorum gestum, tu oculorum reddis & vsum,
Auribus auditum, manibus opus indis amatum.
Quicquid tellus habet, Pontus atque * æthera claudunt,
Et quicquid sentit, sapit, est, & viuit vbique,

Omnia nempe tua ſapientia condita fulſit,
Viuificat, ſeruat, valido & regit omnia nutu,
Fac me ſumme pius toto te corde fateri
Te ſermone loqui, te diſcere dogmate recto,
Quærere te manibus, pura te & mente precari.
Tu via, tu virtus, tu vita, & ianua vitę,
Tu merces operis, tu factor, tu quoque doctor.
Da mihi nunc veniam miſero, & mea crimina laxa:
Fac me velle bonum, ſcire actu, & rite probare,
Sicque tuum lætum tribuas tunc cernere vultum,
Perpetuo, & vera me gaudia carpere fructu.

6. *Ad Præclarum Epiſcopum.*

ANTISTES Domini meritis in ſæcula viuens,
Doctor in orbe pius, magnus amor populis.
Nomine Præclarus, præclarus & arte magiſter,
Clarus & imperio, clarus & officio.
Sanctus Apoſtolica præfulgens mente Sacerdos,
Gaudia qui Chriſti de grege, Paſtor habes.
Iuſtitiæ cultor, ſanctæ & pietatis amator,
Firmus in officiis, verus in eloquiis.
Tu decus Eccleſiæ, plebis laus, gloria Cleri,
Exemplum vitæ, forma ſalutis ope.
Sal terræ, ſeu lux mundi, atque vrbs inclyta Chriſti
Æterni Regis ſtemmate gemma nitens.
Te Deus æternus multis feliciter annis
Concedat ſacrum multiplicare gregem.
Veſtra valet cælum reſerare & claudere lingua,
In terris poſitus Clauiger ætherius.
Te accendit Chriſtus, poſuitque in plebe lucernam,
Omnibus vt niteas dogmate, pace, fide.
Pande viam cunctis per dogmata ſacra ſalutis,
Vt ſis perpetuæ lucis iter populo.
Tempora ſunt huius vitæ nunc plena periclis,
Nunc ruit orbis honor, deficit ipſe ſimul.
Quæ ventura Deus prædixit ſanctus in orbem,
Sæpius adueniunt ſigna tremenda nimis.
Frondea nunc ficus, flores ę cortice mittit,

Præclari Epiſcopi encomiũ.

Æſti-

Æstiuos signans accelerare dies.
Sic hæc signa diem Domini testantur adesse,
Qua pius & iustus Rex Deus adueniet.
Eripe sancte piis monitis precibusque sacratis,
Commissum tibimet Pastor ab hoste gregem.
Illius est studium, cum pergit ouilia circum
Vt mactet, perdat, dissipet ac noceat.
Nempe tuus nisus semper sit de grege Christi,
Inlæsum vt serues, consocianśque iuues.
Ille tumens cecidit celsa de sede superbus,
Tu humilis scande regna superna poli.
Ille ima suadet, at tu cœlestia semper,
Plenus & ille dolo, tuque amore Dei.
Hoc opus antiqui Patres fecêre per orbem,
Quorum dicta modo pagina sacra canit.
Et virtutis honor lato celebratur in orbe
Cœlestis quorum nomina charta tenet.
Hoc opus, hoc studium magni est Pastoris in orbe,
Nempe talenta sibi multiplicare data.
Nam iudex vigilat hominum super acta supernus, Meritorū examen.
Vt cunctos propriis iudicet ex meritis.
Flammiuoma veniet Dominus cum nube coruscans,
Actaque cum verbis discutiet hominum.
Tunc famulus sumet meritorum dona fidelis,
Lætus & intrabit gaudia summa Dei.
Vt tunc esse bonis felix merearis in istis,
Nunc durus tibi sit nullus in orbe labor.
Est rudis hic populus, est durus, quem regis ipse,
Sed miserante pio mitis erit Domino.
Mitia tradantur primo præcepta salutis,
Mentibus ignaris in nouitate fidei.
Vt tener in lacte gaudet infantilis ætas,
Fortia sic fortis dicta tenere valet.
Sit pius & prudens populorum doctor vbique,
Personæ agnoscens quid cui conueniat.
Lacte riget paruos, foueat & pane valentes,
Cum pietate omnes curet, alat, doceat.
Horrida nulla tuam frangat temptatio mentem, Tentatio.
Fixus sed maneas, vincere sicque vales.

Aurum flamma probat, iustos temptatio mundat,
  Purior vtq; anima sidera celsa petat.
Hæc est vita viro iusto temptatio tota,
  Sed patiens tolerat cuncta pro amore Dei.
Quis sine vel miles capiet certamine palmam,
  Bella nefanda dabunt præmia magna suis.
Stemmate iam gaudet, belli qui scammate vincit.
  Prælia post terræ regnat in arce poli.
Cum Christo vt regnes, concedat gratia Christi,
  Summe Pater Pastor tempus in omne simul.
Et tua laus maneat, merces & gloria semper,
  Cum Sanctis cœlo, & sine fine Vale.
Sis memor ipse mei, memoret te gratia Christi,
  Præsul in æde Dei, sis memor ipse mei.

7. *Idem ad eundem.*

OMNIBVS in horis semper te sancte Sacerdos,
  Deuotum cernent lumina Sancta Dei.
Sit tibi lex Domini dulcis super omnia mella,
  Carior atque auri millia multa super.
Mentis præcedant operis nam lumina gressus,
  Consilio facias, quæque tuis iubeas.
Exemplũ Rectoris quid valeat.
Sis Rector placidus, mansuetus, iustus vbiq;,
  Exemplum cunctis moribus egregijs.
Quæ culpare soles, hæc tu ne feceris ipse,
  Sermoq; sit sophiæ conditus atq; sale.
Sufficiat, rerum dederat tibi quod Deus ipse:
  Sat diues est famulus, quiq; habet Dominum.
Omnia finis edax deuastat gaudia mundi,
  Pauper tum iustus regna superna capit.
Qui venturus erit Christus Rex inclytus orbi,
  Vt cunctis reddat nam propria merita:
Teq; tuosq; simul superam perducat ad arcem,
  Vt viuas lætus regna beata tenens.

8. *Item ad Præclarum Episcopum.*

PERGE mea citius Præclaro chartula nostro,
  Prospere pacifice nunc ministrante Deo.
Et pete Præclari præclara tecta Magistri,

Fersan-

Per sanctam pacem Præsulis atq; bone.
Pectus amor nostrum penetrauit perpete flamma, Amoris vis.
Ipse calore nouo semper inardet amor.
Nec mare, nec tellus, montes, nec silua, vel alpes
Huic obstare queunt, aut inhibere viam.
Quo minus, alme Pater, semper tua viscera cingat,
Hic amor, ac penetret pectus amare tuum.
Omnibus est locuples, qui rebus abundat amicis,
Plures quam * expedit, nullus habere potest. *expediat.
Optimus est * amicus Christi vestitus amore. *
Semper amicus amat, semper amandus erit.
Diligit Omnipotens sophiam nam semper amantem,
Cum sophia gazis omnibus est melior.
Semper amanda quidem est rerum doctrina bonarum,
Deuotus doctor carus erit Domino.
Non te, non mundum, Christum sed dilige solum,
Nullus te verbis vituperet merito.
Non opibus bona fama datur; sed moribus almis,
Non perdit pietas, quæque dabit misero.
Nil oculi prosunt, quibus est mens cæca videndi,
Luminis experti deuia cæca petunt.
Quonto maior eris, tanto moderatior esto,
Omnibus sis æquus, Rector vbiq; pius.
Viue Deo, vita felix, & viue per æuum,
Vera, beata, bona est viuere vita Deo. Beata vita.
Lætus in æternum Christo sociabere ciuis,
Ille manet semper, tu quoq; semper eris.

9. *Idem ad Prælatum.*

Conditor omnipotens, Rector mihi mitis adesto,
Munera da verbi Conditor omnipotens.
Dicere quod valeam, signent quid prisca figuris, Christi figuræ.
Quid referet Christus, dicere quod valeam.
Vnicus ipse tuus tecum qui cuncta creauit,
Cuncta modo recreat, Vnicus ipse tuus.
Principio Dominus paradisum plantat Eoo, Paradisus.
Ecclesiam format principio Dominus.
Flumina quadrifida Paradisi à fonte * manarunt,
De Christo fonte flumina quadrifida.

Adam. Virgine progenitum terra Deus extulit Adam,
Eua. Iesum de matre Virgine progenitum.
Eua. Condidit ex latere, sponsamq; viro dedit Euam,
Sic Christo sponsam condidit ex latere.
Lignum scientiæ boni & mali. Mors fera de stipite miserum sibi subdidit orbem,
Nunc prostrata iacet mors fera de stipite.
Inuidus, ergo necem frater iusto intulit olim,
Cain Abel. Sic Iudas Christo inuidus ergo necem.
Terra maledicta. Terraq; per hominem maledicti famina sensit,
Inuenit pacem terraq; per hominem.
Arca Noe. Arca pios reuehit, tumidum ne absorbeat æquor,
Ne in mundo pereant, arca pios reuehit.
Cham patris irrisor. Frater iniquus enim nudum patrem improbè risit,
In cruce pendentem frater iniquus enim.
Isaac immolatus. Hostia grata Patris fuerat senis vnicus hæres,
Saluator mundi hostia grata Patris.
Rebecca. Nupsit & ipsa viro insigni nam ritè Rebecca,
Ecclesia Christo nupsit & ipsa viro.
Iacob. Præuenit ecce minor seniorem munere fratrem,
Antiquum populum præuenit ecce minor.
Ioseph. Reppulit ille famem Ægypto tunc emptus Ioseph,
Venditus est Iesus, reppulit ille famem.
Moyses. Repperit in fluuio Pharaonis filia moysem,
Barbara gens Christum repperit in fluuio.
* Agnus paschalis. Agnus ab hoste sacer * redemit in sanguine Patres,
Nosque cruore tulit agnus ab hoste sacer.
Mare rubrum. Obruit vnda nefas, populo gradiente per æquor,
Nunc totius mundi obruit vnda nefas.
Aquæ deserti. Fons mara dulcis erat, ligni dulcedine mersa,
Sic crucis ex ligno fons mara dulcis erat.
Manna. Murmurat impietas manna veniente refecta,
Panis adest Christus, murmurat impietas.
Petra percussa. Post petra protulerat virga bis flumina cæsa,
Et passus Christus post petra protulerat.
Tabulę legis lapideæ Scribitur à Domino tabulis lex prima petrinis,
Nunc tabulis cordis scribitur à Domino.
Lex dedit indicium sontes persoluere pænas,
Tabernaculum. Quodue salus veniat, lex dedit indicium.
Scęnaq; clara Dei in populo constructa priore,

Eccle-

Ecclesia est Christi, scænaq; clara Dei.
Hæc quoque candelabrum est septem distincta lucernis, Candelabrum.
Quod luceat mundo, hæc quoq; candelabrum est.
Arca Dei tegitur nam propitiante tabella, Arca fœderis & propitiatorium.
Ecclesia, & Christo arca Dei tegitur.
Continet hæc tabulas, vrnam, sceptrumque triumphi,
Cum Christo binas continet hæc tabulas.
Victima hic placita est, araq;, ille ipse Sacerdos, Altare.
Pro mundi offensis victima hic placita est.
Fratribus ipse quidem cunctis præfertur honore, Aaron.
Chrismatis, & dono fratribus ipse quidem.
Virginis hunc thalamus habuit meretrice negata, Rahab.
Ecclesiæ sponsæ Virginis hunc thalamus.
Ecce duo referunt vectores arbore Botrum, Exploratores terrę promissę.
Et populi Christum ecce duo referunt.
Carpitur igne sacro munus votumq; priorum, Datan Core Abiron.
Seditiosa tribus carpitur igne sacro.
Regna beat a Patris legis non contigit hæres, Iesus Naue seu Iosue distribuēs terrā.
Iesus dispensat regna beata Patris.
Pellitur atq; foras pugnis possessor iniquus, Hostes expellens.
Cum vitijs Zabulus pellitur atq; foras.
Destruit arca Dei muros dum circuit vrbem, Iericho corruit.
Sic vrbem mundi destruit arca Dei.
Hostis enim mulier perfodit tempora palo, Iahel Sisaram clauo perimens.
Et crucis in clauo, hostis enim mulier.
Area vellus habet, madido sed vellere sicca est, Vellus Gedeonis.
Siccum tota madens area vellus habet.
Hostica castra fugat, lagena, lampade, sistro, Idem Madianitas vincit.
Victor victorum hostica castra fugat.
Vincit honore Dei promisso in munere Iephte Iephte filiam vouet.
Affectum natę vincit honore Dei.
Agmina plus moriens strauit hostilia Sampson. Sampson.
Saluator noster agmina plus moriens.
Tu decus omne tuis, qui sternis cæde Goliam, Dauid.
Qui vincis mundum, tu decus omne tuis.
Fortis & ipse manu, qui conteris ora leonis,
Immanis beluæ fortis & ipse manu.
Rex quoq; pacificus construxit mænia templi, Salomon.
Ecclesiam Christus Rex quoq; pacificus.

Helias. Astra petiuit ouans Vatis quondam aurea curru,
Cuncta super Christus astra petiuit ouans.
Helisæus. Morte Propheta refert puerum, quod virga nequiuit,
Quod lex non valuit, morte Propheta refert.
Ionas. Ventre voratus enim latuit vt piscis Ionas,
Sic terræ Christus ventre voratus enim.
Zorobabel. Nehemias. Dux bonus ille quidem redeunt quo à carcere plebes,
Quo ad vitam iusti Dux bonus ille quidem.
Maxima dona Dei cuncti cecinêre Prophetæ,
Christus vmbras prophetarum explet. Impleuit Christus maxima dona Dei.
Virgo Deum genuit, verum hominemque Maria,
Nam prægnata Deo, Virgo Deum genuit.
Casta Virago nitet nullo temerante pudorem,
Post partum Pueri casta Virago nitet.
Vnicus adueniens compleuit vota priorum,
Firmauit nostra vnicus adueniens.
Sic homo, qui Deus est, spes dudum optata piorum,
Spes in fine piis, hic homo, qui Deus est.
Gloria cuncta bonis tua sit præsentia Christe,
Tormentum omne malis, gloria cuncta bonis.
Gloria magna tibi Trinus vere, & Deus Vnus,
Conditor omnipotens gloria magna tibi.

10. *Ad Fridericum Episcopum.*

SPIRITVS alme veni, dulces mihi condere versus,
Dilecto vt præstes mittere dona Patri.
Qui mox vt notus fidus mihi adhæsit amicus,
Non nostri merito, sed bonitate sua.
Spiritus hunc cernens pietatis munere plenum,
Ex humili in celsum extulit ipse locum,
In quo Euangelij sententia vera probata est,
Quæ Saluatoris edita voce manet:
Humilitas. Qui se humilem præbet, sursum exaltabitur ille,
Quique superba petit, pronus in ima cadit.
Sic te care Pater Antistes sancte sacerdos
Erexit Dominus millia multa super,
Vt verbum fidei claro tu famine narres,
Sis via, dux plebis ad sacra regna Dei.
Vos dixit Christus lux mundi, vosque lucem an,

Vos

Vos quoque sal terræ, hoc memorare piè.
Luceat en vestra lux ceu sol splendidus orbi,
Fiat opus vestrum gloria magna Deo.
Condat dogma bonum fluitantia corda reorum,
Ne malè putrescant nec ea vermis edat.
Nomen posco tuum, videas quid continet ipsum,
Et sic extemplo discere facta potes.
Sic monet ergo piè, resonans, vlciscere pactum,
Quod gemino sensu vertere ritè valet.
Fœdus cum vitiis hominum tua vt vltio scindat,
Et Christi pactum firmet vbique piè.
*Non dedit hoc nomen dudum tibi cura parentum, — Allusio ad nomen Friderich. *Nam.
Baptismum quando sorte tua suleras.
Nunc quoque valde tibi nomen hic conferat ordo,
Perpendens disce mystica dona Dei.
Nam superintendens piè, Episcopus ipse vocaris,
Quod monet, vt caute omnia semper agas.
Sic pater alme modo facias, vt diceris ipse,
Nomine & vtroque actio digna tua est.
Sollers intendas super omnes Pastor honestus,
Pactum & defendat vltio digna Dei,
Sisque memor nostri, precibus insiste sacratis,
Pro tibi deuotis semper vbique piè.
Nam precibus Christum pulsamus perpete voto,
Vt tua de cœlis tempora ritè regat.
Hoc quoque nos omnes deposcimus ore fideli,
Hoc Fridurich semper Rhaban & ipse peto,
Vt viuas sospes in terris tempore multo,
Et post hæc scandas regna superna poli.
Quod peto, tu facias sacris altaribus astans,
Me vt Christo reddas sancte Pater precibus;
Christus Rex cœli, terræ Rex, conditor orbis
Me tecum faciat lucis habere locum.

II. *Ad Otganum Archiepiscopum.*

SPIRITVS alme veni, supera directus ab arce
Vt præstes famulo dona sacrata tuo.
Pectoris arcanum comple, da munera linguæ,
Dilecto, vt Patri carmina grata canam.

Quem primum vt vidi, dilexi ſemper, amaui,
Cui bona hîc opto læta & in arce poli.
O pater ô paſtor, cui Chriſtus dona ſuperna
Iam dedit & plebem paſcere * vice ſua.

Orgarii Moguntini Archiepiſcopi laus.

Tu renouator ades patriæ, ſpes, Rector, honorque,
Dulcis amor cunctis, dignus amore Dei.
Pande viam cunctis per dogmata ſacra ſalutis,
Vt ſis perpetuæ lucis iter populo.
Tempora ſunt huius vitæ nunc plena periclis
Nunc ruit orbis honor, corruet ipſe citò.
Quæ ventura Deus prædixit Chriſtus in orbem,
Sæpius adueniunt ſigna tremenda nimis.
Gentibus en gentes, regna contraria regnis
Exiſtunt bello, pax perit, hoſtis ouat,
* Fames cum peſte cruciant ac fortiter vrgent
In terris, populos mors & amara premit.
Sic hæc ſigna diem Domini teſtantur adeſſe,
Qua pius & iuſtus Rex Deus adueniet.
Eripe ſancte piis monitis precibuſque ſacratis
Commiſſum tibimet Paſtor ab hoſte gregem,
Ne ſæuus perdat, quem verus iure redemit
Filius altithroni ſanguine nempe ſuo.
En ſeruare iubet Rex terræ fædera certa,
Legemque ac iuſſa vult retinere ſua.

Diuina humanis anteponenda.

Sic Rex cœleſtis mandat diuina docere
Præcpta, atque ſequi ritè ſua monita.
Nec ſinit humana præponi lance nefanda,
Diuinis potius, ſed ſupereſſe cupit:
Iuſque poli mauult præcelli, & in arce teneri,
Mundano iuri negotioque ſimul.
Lex terrena quidem hic in multis vtilis extat,
Sed lex cœleſtis ſola ſalubris erit.
In hac vera quidem fulget ſapientia tantum,
In qua eſt laus merces, vita, ſalus hominum.
Hanc tu præ cunctis opibus gaziſque caducis
Semper amato Pater, firmiter atque tene.
Hæc te inlæſum ſeruat, axaltat proteget atque, *
Et cunctis placitum ipſa ſatisfaciet.
Qui ſequitur Chriſtum, gaudebit in arce ſuperna,

* inl. exaltat proteget atque.

Cum

Cum sanctis pariter regna tenendo poli.
Quem peto ritè sequens tu eius vestigia serua,
  Semper in hac vita, sicquoque victor eris.
Proteris atque hostes, cœlum penetrabis & ipse,
  Liber ouas semper lucis in arce manens.
Quod Deus æternus, mundi mitissimus auctor,
  Christus Saluator conferat ipse tibi.
Protegat atque regat longæuo tempore sanum,
  Virtutum titulis augeat & meritis,
Vt tua multiplici concrescat gloria laude
  Cum Domino & sanctis semper in arce poli.
* Sexies en denis cecini has versibus odas,
  Summa bona exoptans sancte Pater tibimet.
Doctrina vt sis sanus, perfectus moribus atque,
  Perfectum Dominum ritè sequens famulus.
Viue Deo gratè, felix sic viuis in æuum,
  Ergo beata bona est viuere vita Deo.
Vita tua valeat sospes sanctissime Pastor,
  Semper in æternum vita tua valeat.
Meque iuuet precibus orando sceptra superna
  Commendans Domino, meque iuuet precibus.
Lucis in arce manens, quod tecum gaudia carpam,
  Æternæ vitæ lucis in arce manens.

12. *Ad Brunuvvardum ChorEpiscopum.*

VERSIBVS his paucis liceat mandare salutes
  Doctor amate tibi, dulcis amice, vale.
O quem te vocitem, ne controuersia constet,
  Vulgus vt omne vocat, an aliena petis?
Dicite Pierides, illum quo nomine dicam,
  Carmine quem memoro, oreque mente, manu.
Hoc quoque pollente vultu, hoc ordine sacro,
  Nescio, quæ fraus est nominis in capite,
Vltima quem clarum, hunc caussat prima nigellum
  Syllaba, nec certum res dabit ipsa modum. Ad nomen Brunvvard allusio.
Dicunt Pierides, censentit Maurus & ipse,
  Nec dissensio, nec nomine fraus latitat.
Te Deus ex humili summum exaltauit in orbe,
  Vt Rector populis, sis amor atque decus.

Prima monet, fueras, quod nunc es, syllaba laudat
  Vltima, lux, speculum, præsul in æde Dei.
Sic reor vt sponsa hymnorum in carmine cantat,
  Illi quid virtus, quidque labor tribuat.
Sum nigra, sed pulcra, cœlestis filia regni,
  Castrorum vtque acies terribilis decore.
Te rogo, teque tui vt factor sis nominis almus,
  Vtque operi verbum consonet atque fides:
* Vrbs æterna Dei estis vos & lumina mundi,
  Vos Christus statuit castra * tuere sua.
Vos fontes viui, paradisi & flumina sacra;
  Doctores populi, laus gregis atque duces,
Sal terræ, lapides pretiosi, in stemmate Christi
  Vos mater, frater, ipsius atque soror.

Episcoporum ornamenta & epitheta.

Multiplica ergo pio præcepta talenta labore,
  Maxima quod cœlo præmia percipias.
Ne iudex veniens thesaurum quærere promptus
  Terra defossum turpiter inueniat.
Omnibus *exemplum sis normaque recti,
  Iustitiæ cultor & pietatis amor.

*- vitæ.

Ebria diuina rogo sint præcordia laude,
  Impia non Bacchi pocula corda premant.
*Sæpius excubiis visites & mœnia Christi,
  Pro te proque tuis ipse precare Deum.
Septies inque die Dominum laudare memento,
  Vt Psalmista canit, Dauid ab ore Dei.
Hinc tua multiplici concrescit gloria laude,
  Cum Christo & sanctis perpes in arce poli.
Sis memor vtque mei, testor per sceptra Tonantis.
  Te Pater & Pastor, sis memor ipse mei.
Viue Deo felix, felix & viue per æuum
  Cum Christo & Sanctis regna beata tenens.

13. *Ad Ratgarium Abbatem suum.*

TE, pater alme virum, Monachorum atque optime pastor:
  Inuoco propitium ipse tuus famulus,
Vt tua nunc pietas miserum me exaudiat alma,
  Ad te clamantem Rector vbique pius.
Iam mihi concessit bonitas tua discere libros,

Sed

Sed me paupertas * suffocat ingenii.
Me quia quæcunque docuerunt ore Magistri
Ne vaga mens perdat cuncta dedi foliis.
Hinc quoque nunc constant glossæ paruique libelli,
Quos precor indigno reddere præcipias.
Serui quicquid habent, Dominorum iure tenetur,
Sic ego quæ scripsi, omnia iure tenes.
Nec mihi ceu propria petulans hæc vendico scripta,
Defero sed vestro omnia iudicio.
Seu mihi hæc tribuas, seu non, tamen Omnipotentis
* Diuinitas semper det tibi cuncta bona,
Certamenque bonum cursu consummet honesto,
Cum Christo vt maneas semper in arce poli.

*
Librorum copiam petit.

Paupertatis studium in Hrabano.

14. *Ad Eigilum de libro quem scripsit.*

LEx pia cumque Dei latum dominans regit orbem,
Quam sanctum est, legem scribere, namque Dei.
Est pius ille labor, merito cui non valet alter
Æquiparare manus quem faciat hominis.
Nam digiti scripto lætantur, lumina visu,
Mens voluet sensu mystica verba Dei.
Nullum opus exurgit, quod non annosa vetustas
Expugnet, quod non vertat iniqua dies.
Grammata sola carent fato, mortemque repellunt,
Præterita renouant grammata sola biblis.
Grammata nempe Dei digitus sulcabat in apta
Rupe, suo legem cum dederat populo,
Sunt, fuerant, mundo venient quæ forte futura,
Grammata hæc monstrant famine cuncta suo.

Scripturarum lectio, scriptio tractatio.

Litteræ immortales.

Item ad eundem.

PResbyter ætate, meritis & præsbyter alme
Eigil, te Christus saluet in orbe Deus.
Sis mihi, quod posco, quodque opto, hoc esto benignus,
Præceptor, Pastor, semper amicus, honor.
Nec me contristant tua corripientia verba,
Cum scio, quod semper pectora amica tenes.
Verum dico tibi, nec me sententia fallit,
Te vnum præ multis corde tenere volo.

Reprehensio amici.

Sis mihi ſemper idem, quia ſum tibi ſemper & idem,
Semper amicus amet, ſemper amandus erit.
Omnipotens Dominus Regnator ſummus olympi,
*horis te Omnibus te * horis protegat incolumem.
In terris ſeruet, cœli perducat ad arcem,
Me tecum pariter dulcis amice Vale.

16. *Ad Gerbohum Presbyterum.*

CLAVIPOTENS frater ſimul * omonimuſque ſagitta
*homonimuſque Paruula hæc liceat carmina ferre tibi,
Quæ rapuit calamus ſubito dictantis ab ore,
Muſaque laſſa dedit tempore non ſolito.
Carmina ſacra tibi reſonent, cariſſime frater,
Sit ſemper Chriſtus carmen in ore tuo.
Gerhoh, id eſt, ſagitta. Ipſe Prophetarum ore fuit electa ſagitta,
Hic clauis Dauid, Sophia & alta Dei.
Qui te perpetuis clemens conſeruet in annis,
Gaudentem ſecum ſemper in arce poli.
Dicere quid poſſum de magna laude librorum,
Quos ſub claue tenes frater amate tuo,
Quicquid ab arce Deus cœli direxit in orbem,
Scripturæ ſanctæ per pia verba viris.
Illic inuenies, quicquid ſapientia mundi
Protulit in medium temporibus variis.
Hæ te delitiæ larga pietate fluentem
Delectent, habeant, poſſideant, teneant.
Nil tibi cum mundo, mundus dum præterit omnis,
Illius ac pariter & decus, & ſpecies.
Verbum namque Dei, & verbi ſcrutator honeſtus,
Perdurant ſemper lumine perpetuo.
Viue Deo vita felix, & viue per æuum,
Nempe beata bona eſt viuere vita Deo.
Dulcis amor Chriſti, dulciſque domuncula ſemper,
Dulce melos tibi ſit, dulcis amice, ſuum.
Sis memor atque mei ſacris altaribus aſtans,
Sit memor vtque tui gratia magna Dei.
Hæc relegens valeas multis feliciter annis,
Cumque choro fratrum hæc relegens valeas.

Item

17. *Item ad eundem.*

TE Deus omnitenens semper carissime frater
*Prospere conseruet tempora cuncta benè,
Et maneas sospes, nobis & sospita poscas, *
Auctor vt ipse Deus pacifica tribuat.
Sic Psalmista docet, quæ ad pacem sunt, rogitate,
Vrbe Dei * copia est hæc & amantis erit. *
Pacem animus nulla trepidus formidine seruet,
Nec * timet prauæ crimina diffidiæ. *timeat.
Sic & ames frater, semper sic rursus ameris,
Mutuus vt nullo tempore cesset amor.
Instantes precibus simus in laude Tonantis,
Hesperus hoc videat, Lucifer hoc videat,
Poscamus veniam, poscamus munera Christi,
Liberet à pœnis, augeat & meritis.
Conditor omnipotens cœli mundique Redemptor,
Conseruet Christus nos rogo pace simul.
Vt sicut semper sunt verè ille & Pater vnum,
Vnum sic in se nos fieri faciat.

18. *Ad Samuelem Presbyterum.*

VIVE meæ vires, lassarumque anchora rerum
Naufragio & littus, tutaque terra meo.
Solus honor nobis, vrbs tu fidissima semper,
Curisque afflicto tuta quies animo.
Sintque licet montes inter cum fluctibus arua
Mens tecum est nulla quæ cohibetur humo.
Te mea mens sequitur, sequitur quoque carmen amoris,
Exoptans animo prospera cuncta tibi.
Qui mihi te notum dedit & concessit amicum,
Conseruet sanum Christus vbique mihi.
Ante solum terræ, cœlique volubile * cyclum
Prætereant, noster quam quoque cesset amor. *τὸ κύκλον Græcis etiam orbis est.
Hocque Pater monui, moneo te, iterumque monebo,
Sis memor vtque mei, sicut & ipse tui.
Vt Deus in terris quos hic coniunxit amicos,
Gaudentes pariter iungat in arce poli.

19. *Item ad eundem.*

TE Deus æternus hominum sanctissimus auctor
Stelligeram cœli summus qui continet arcem,

Perspicit

Sis mihi ſemper idem, quia ſum tibi ſemper & idem,
Semper amicus amat, ſemper amandus erit.
Omnipotens Dominus Regnator ſummus olympi,
*horis te Omnibus te * horis protegat incolumem.
In terris ſeruet, cœli perducat ad arcem,
Me tecum pariter dulcis amice Vale.

16. Ad Gerhohum Presbyterum.

CLAVIPOTENS frater ſimul * omonimuſque ſagitta
*homonimuſque Paruula hæc liceat carmina ferre tibi,
Quæ rapuit calamus ſubito dictantis ab ore,
Muſaque laſſa dedit tempore non ſolito.
Carmina ſacra tibi reſonent, cariſſime frater,
Sit ſemper Chriſtus carmen in ore tuo.
Gerhoh, id eſt, ſagitta. Ipſe Prophetarum ore fuit electa ſagitta,
Hic clauis Dauid, Sophia & alta Dei.
Qui te perpetuis clemens conſeruet in annis,
Gaudentem ſecum ſemper in arce poli.
Dicere quid poſſum de magna laude librorum,
Quos ſub claue tenes frater amate tuo,
Quicquid ab arce Deus cœli direxit in orbem,
Scripturæ ſanctæ per pia verba viris.
Illic inuenies, quicquid ſapientia mundi
Protulit in medium temporibus variis.
Hæ te delitiæ larga pietate fluentem
Delectent, habeant, poſſideant, teneant.
Nil tibi cum mundo, mundus dum præterit omnis,
Illius ac pariter & decus, & ſpecies.
Verbum namque Dei, & verbi ſcrutator honeſtus,
Perdurant ſemper lumine perpetuo.
Viue Deo vita felix, & viue per æuum,
Nempe beata bona eſt viuere vita Deo.
Dulcis amor Chriſti, dulciſque domuncula ſemper,
Dulce melos tibi ſit, dulcis amice, ſuum.
Sis memor atque mei ſacris altaribus aſtans,
Sit memor vtque tui gratia magna Dei.
Hæc relegens valeas multis feliciter annis,
Cumque choro fratrum hæc relegens valeas.

Item

17. *Item ad eundem.*

TE Deus omnitenens semper carissime frater
*Prospere conseruet tempora cuncta benè,
Et maneas sospes, nobis & sospita poscas, *
Auctor vt ipse Deus pacifica tribuat.
Sic Psalmista docet, quæ ad pacem sunt, rogitate,
Vrbe Dei * copia est hæc & amantis erit. *
Pacem animus nulla trepidus formidine seruet,
Nec * timet prauæ crimina dissidiæ. *timeat.
Sic & ames frater, semper sic rursus ameris,
Mutuus vt nullo tempore cesset amor.
Instantes precibus simus in laude Tonantis,
Hesperus hoc videat, Lucifer hoc videat,
Poscamus veniam, poscamus munera Christi,
Liberet à pœnis, augeat & meritis.
Conditor omnipotens cœli mundique Redemptor,
Conseruet Christus nos rogo pace simul.
Vt sicut semper sunt verè ille & Pater vnum,
Vnum sic in se nos fieri faciat.

18. *Ad Samuelem Presbyterum.*

VIVE meæ vires, lassarumque anchora rerum
Naufragio & littus, tutaque terra meo.
Solus honor nobis, vrbs tu fidissima semper,
Curisque afflicto tuta quies animo.
Sintque licet montes inter cum fluctibus arua
Mens tecum est nulla quæ cohibetur humo.
Te mea mens sequitur, sequitur quoque carmen amoris,
Exoptans animo prospera cuncta tibi.
Qui mihi te notum dedit & concessit amicum,
Conseruet sanum Christus vbique mihi.
Ante solum terræ, cœlique volubile * cyclum
Prætereant, noster quam quoque cesset amor. *τὸ κύκλον Græcis etiam orbis est.
Hocque Pater monui, moneo te, iterumque monebo,
Sis memor vtque mei, sicut & ipse tui.
Vt Deus in terris quos hic coniunxit amicos,
Gaudentes pariter iungat in arce poli.

19. *Item ad eundem.*

TE Deus æternus hominum sanctissimus auctor
Stelligeram cœli summus qui continet arcem,

Perspicit

Perſpicit atque omnem fortis dominator abyſſum,
Exaltet, ſaluet, ſeruet te, diligat, ornet,
Concedatque tui Omonimi meritumque locumque,
* Extitit vt templi typici hic *ſeruitor, amator,
Vtque habeas omnem Samuel Samuelis honorem.
Samuelis Propheta. Eſto memor proprii quem nominis vltima *notet
* Syllaba, hicque tui cordis laus ſit hic feruor amoris,
El. nomen Dei. Sit tibi vita, ſalus, tibi ſit via, gloria, virtus,
Protector, Rector per ſæcula cuncta valeto.

20. *Item ad Samuelem Presbyterum.*

QVI cœli culmen, terræ qui continet vna,
Qui ponti fluctus, ſidera quique regit,
Cuius quæ fuerant, ac ſunt, & cuncta futura,
Stant in conſpectu, ipſeque cuncta videt.
Veſtrum fructiferum cuſtodiat ipſa laborem
In cœli regno præmia digna parans.
Sis memor ergo mei ſacris altaribus adſtans,
Præſul ſancte Dei, ſit Deus vtque tui.
Aſt tibi ſi poſſum quid clam conferre ſuſurrans,
In precibus dignum ipſe libenter agam.
Concedat Dominus vitæ iam munus vtriſque
Effectum precibus, dulcis amice vale.

21. *Ad Samuelem Presbyterum*

EST animus promptus, ſunt ſenſus, accipe votum,
Non ſpernas ſocium, ſemper amicus amat.
Non hunc tempeſtas quatiet, non turbidus Auſter,
Nec Boreas glacie ſtringere nempe valet.
Libertas animi munus expendit amoris,
Dignum eſt, vt mentem prouocat ipſa piam.
Nullus in orbe fuit, quem non conſumpſerit ætas,
Quiſquis enim poſſit, ſemper amica paret.
HRhabanus poſco ſeniorem te Samuelem,
Hæc tu perpendas, cunctaque iure legas.
Samuel Hrabani condiſcipulus. Chriſtus in arce Deus conſeruet ſemper vtrumque,
Hoc pater ipſe petas, tu ſine fine vale.
Quondam nempe meum gaudebam te eſſe ſodalem,
Inter lectores frater amate mihi.
Samuel Magiſter. Nunc quoque te gratulor retinere iura Magiſtri,

Creſcere

Crescere virtute, patris habere locum,
Sis memor ergo mei sacris altaribus adstans,
Sum memor vtque tui, sic memor esto mei.
Quod quondam docuit Albinus rite Magister, *Albinus cōis Magister.
Hoc pectus teneat, hoc opus omne probet.
Gratia sic Christi tecum permanserit alma,
Sic memet tecum ducit ad astra vale.

22. *Item ad eundem,*

TV meus es placitus, placeas super æthera Christo,
Sis carus sanctis, tu meus es placitus.
Vnicus esque meus, auctor te protegat vnus,
Vnum cum multis vnicus esque meus.
Omnibus ipse bonis repleat te Christus amator,
Spiritus atque Dei omnibus ipse bonis.
Optima quæque tibi tribuat diuina potestas,
Deposcens opto optima quæque tibi.
Tu maneas, vigeas semper in sæcula sospes,
Hic & in æternum tu maneas, vigeas.
Inclyte viue, vale, Samuel lætissimus audi,
Hic finis verbi est, inclyte viue vale.

23. *Ad Samuelem presbyterum.*

HAs tabulas senior gratanter percipe quæso, *iunior exhibuit.
Quam tibi deuotus exhibuit *iunior.
Buxus canitiem signat, claustrumque secretum
Consilium cordis, tu Pater alme vale.

24. *Ad Samuelem presbyterum*

SIs felix sospes, sis lætus semper vbique,
Te omnipotens Dominus protegat atq; regat.
Viuis mente mea, viuas per sæcula Christo,
Viuas cum sanctis regna beata tenens.
Hos senos versus transcripsi tempore paruo,
Perfectum senio æthera te capiant.

25. *Ad Isanbertum Presbyterum.*

ACCIPE primitias Musæ pater hoc breue carmen *. plur. neutro, vt Fortunat.
Et nostris studiis, tuque faueto pius.
Dignus nam docta cum sis vt carmina soluas,

Ignoscas nostris, rustica cum videas,
Cuncta quidem tibimet virtutum insignia condunt,
Nomen, quo clarus dignus honore fias.
Hominis etymon.
Ferrum te fortem, clarum, virtute decorum
Signant, per multas crescis in arte vias.
Altithronus Dominus, cunctorum Conditor almus.
Te virtute beet, augeat, & meritis,
Atque mei memorem conseruet gratia Christi,
Semper in æternum dulcis amice vale.

26. *Ad exulem Presbyterum.*

FORTIA dicta dabas, exhortatoria verba,
Qui tale exemplum ventris in ore profers.
Pro se sollicita nam mandat Apostolus esse,
Membra, nec ventrem excipit inde pigrum.
Currere cum pedibus, oculis ac cernere fas est,
Auribus audire, oreque verba dare.
Membrorum in corpore iucundo conspiratio.
Ergo manus solum ventri si porrigat escam,
Cuncta & membra simul hunc satiare student.
Quis tegumenta parat, ornatum quærit & aptum,
Quis clypeum ad pugnam, quis rogo tela rapit.
Venter sit escæ, ventri deseruiat esca,
Hunc Deus atque illam destruet ipse citò.
Sed mihi communis nempe ac iustum esse videtur,
Membrorum vt cura par fiat atque labor.
Vt manus ipsa operi deseruit, sic quoque venter
Consiliis certet cuncta monere suis.
Quæ domus ex parte defenditur, hæc patet hosti,
Quæ quoque vallatur, vndique tuta manet.
Prouidus en mente cautus sis semper & actu,
Prudens cuncta caue, tristia nulla time.
Victor sit Christus, sic est victoria vera,
Qui Regem hunc sequitur, victor & ipse manet.
Tot versus scripsi quot horæ nempe diei
Sunt, optans semper, sospes vt ipse fias.

27. *Ad Irmingildum.*

OMMIPOTENS summi Patris sapientia Christe,
Qui infima cum superis cuncta tenendo regis.
Tu mihi dilectum conserua semper amicum,

Vt vi-

Vt vigeat ſoſpes, regna ſuperna petens.
Vt creſcat meritis, creſcit ceu temporis æuo,
Poſt obitum mortis dona beata metens.
Hoc tu virgo Dei, genitrx intacta Tonantis
Impetres precibus, ſancta Maria precor.
Agmen Apoſtolicum primus & in ordine Petrus
Fratribus aſſcitis poſcite valde Deum.
Præco Propheta Dei, paranymphus, martyr & ipſe
Cum vatum turba ſæpius hoc rogitas.
Sic peto, tu facias* Leuita * Protomartyr & ipſe
Cum ſociis Stephanus ſceptra ſuperna precans.
Hoc iuſti, electi, felices poſcite cuncti
Buoloni vt regnum det ſuper aſtra Deus.
Hoc Pater alme modo dum * vacat quærere regnum;
Quærere non ceſſes, vt capias, cupias.
Vim aula poli patitur, violenti & ſidera prendunt,
Qui bene nunc certat, dona futura capit.
Certaſti validè, & hoſtem nunc ſternere certa,
Vincenti in fine ritè corona datur.
Os reſonet Chriſtum, palma quoque paſcat egenum,
Pes ægrum inuiſet, corda Deum cogitent.
Te ſibi totum extra famulantem ſentiat auctor,
Te ſibi totum intus vindicet ipſe Deus.
Hæc tibi ſancte pater optando grammate pinxi,
Vt fias felix dogmata ſacra ſciens.
Hoc quoque poſco Deum per pſalmos ritè canendo,

Sanctorum frequens inuocatio.

**

*

Deſunt cætera foliis IV. circiter amiſſis.

28. *Hæc ad aliud poëma, Bonoſo inſcriptum.*

VNA dies ridet, caſſus cras altera plangit,
Nil fixum quomodo teſſera læta dabit.
Æſtas clara micat, autumnus conferet vmbras,
Ver floret gemmis, has fera tollit hyems.
Quid porro eſt, quod non properatis effugit alis,
Et varium non ſit, quod teget arce polus.

Ad patientiam parenefis inſignis.

Ærias pinus inclinat pigra senectus,
   Dissoluit rupes, flumina sicca facit.
Dum loquimur, seges alta viret * maturiet, *aret:
   Canescunt violæ, lilia fusca cadunt.
Ipsa suos citius gratos rosa ponit amictus,
   Agrestes flores moxque sequuntur eam.
Omnibus his breuis vsus, & est sub lege nouerca,
   Alternant vicibus, & simul intereunt.
Tuque tuum credis, quod mendax commodat hora,
   Æterno & simili semper habere cupis.
Paulatim miseros effert ad vota senectus,
   Et modo qui fuimus, iam modo desinimus.
Nutricis gremio subito puer altius exit,
   Miraturque truci se dare voce sonum.
Iam celeres barbæ, iam tincti morte capilli,
   Iamque adclinis humo prædaque mortis erit.
Omnia fert ætas, atque omnia finis *adimit,
   Nil manet æternum, sæcula prætereunt.
Cunctaque tempus habent, ni solus temporis auctor,
   Qui fuit, est semper, & sine fine manet.
Hunc tu semper ama, hunc toto corde fatere,
   Hunc precibus posce, hic tibi grata dabit.
Non te conturbet sancte inconstantia frater,
   Hæc mundana quidem gurgitibus variis.
Sic fuit, est, & erit sæcli versatilis ordo,
   Lætitiæ nunquam sit cui certa fides.
Multa quidem patitur Sanctorum plebes in orbe,
   Iudicio occulto, nec ego scire queo.
Credo suos seruos, quod nullo spreuerit æuo,
   Adiuuerit que satis, cum sua vota petant.
Nam altera vita suis seruatur in arce polorum,
   Qua pax alma viget, prælia nulla fiunt.
Hæc quoque semper erat iusto tentatio vita,
   Fornacis flamma vt aurea vasa probat.
Sic Deus omnipotens sanctos per sæua probabit
   Verbera, post reddens præmia læta polo.
Sta precor, esto memor Christi, Patrum memor atq;
   Pagina quos cecinit auribus alma tuis.
Fortis sis animo, sis verbo & prouidus actu,

* maturet & ab inusitato maturco.

& aliarum rerum Ætatis vicissitudo.

*ademit.

Sanctorum à cõdito mundo certamina.

Sic

Sic fuerunt sancti, proximus esto tibi.
Victima quod prima fuerat iustissimus Abel Abel.
Fraterna cæde hocque memento precor.
Improbe derisus infanda & prole Noëa,
Quo reparata manet progenies hominum. Noe.
Quod Reges sanctus capto Loth vicerit Abram,
Qualia perpessus sit pius ipse ab eis. Abram. Loth.
Damna quidem in puteis sensit quod sæpius Isac, Isaac.
Grassante inuidia quæ Philistea gerit,
Quantos pro sobole fletus effudit Iacob? Iacob.
Et Ioseph quanta passus in orbe fuit? Ioseph.
Dux pius ille quidem, qui totam strauit Ægyptum,
Flagris eripuit dumque Dei populum. Moses.
Quomodo sit spretus, & qualia præstat alumnis,
Quomodo sit tractus, improbe conuitiis.
Nam Samuel quotiens Saulis tolerabat ærumnas? Samuel.
Et Dauid latitans impia sceptra fugit? Dauid.
Qualiter in regno prolis hic sustulit iras,
Plurima & ex aliis turpia verba tulit.
Omnia nempe nea, pœnarum millia quotquot
Passi sunt sancti, dicere musa nequit.
Helias, Daniel, Esaias, Michas, Ionas,
Hieremias, Iadlo, Iob Pater & Tobias,
Qui fuerant mundi seu luminaria quondam,
Quam sæuas pœnas corpore pertulerant.
Perplures alios consumpsit flammeus ardor,
Et lapides alios atque alios framea:
Sicque fide fortes vicerunt prælia sancti,
Fecerunt opera maxima iustitiæ.
Quid memorem vetera, gaudet cum sancta per orbem
Martyrio rutilans catholica Ecclesia.
Clare & Apostolico micat irradiata trophæo,
Vexillum & Christo fert dominante crucis.
Tantos ergo suos Dominus perferre labores
Hic voluit, quos ad regna superna vehit.
Quapropter potius cœlestia semper amemus, Patientiæ
Et mansura polo, quam peritura solo. fructus.
Murmure iam nullo referamus ad æthera voces,
Cantantes Dominum, qui pius & bonus est.

Non est quippe Deus plagis culpandus in istis,
Sed nostra in melius vita ferenda citò.
Et piè flectenda est precibus clementia nostris,
Quatenus à nobis transferet ille flagra.
Quem pater ast natum caro complectit amore,
Sæpius huic tristi dira flagella dabit.
Horrida quapropter nunquam temptatio mentem
Vlla tuam superet, fortis vbique fias.
Si quid displicuit Christo iam cuncta videnti,
Moribus inque tuis, corrige hoc citius.
Hocque superna monet lex hoc & iura paterna,
Hoc fraternus amor, hoc studeas facere.
Te quoque iam facias tota virtute paratum,
Vt quo peruenias, tristia nulla fiant.
Quod tibi concedat auctoris sancta potestas,
Hoc nobis tecum summus in arce Deus.
Fistula has Mauri senis cantauit in horis,
Cænas dilecto Sancte Bonose tibi.

Item ad eundem.

Scribendi ars pictoriæ arti præfertur.

NAM pictura tibi cum omni sit gratior arte
Scribendi ingratè non spernas posco laborem.
Psallendi nisum, studium curamque legendi,
Plus quia gramma valet, quam vana in imagine forma,
Plusque animæ decoris præstat quam falsa colorum
Pictura ostentans rerum non rite figuras:
Nam scriptura pia norma est perfecta salutis,
Et magis in rebus valet, & magis vtilis omni est,
Promptior est gustu, sensu perfectior atque
Sensibus humanis, facilis magis arte tenenda.
Auribus hæc seruit, labris obtutibus atque,
Illa oculis tantum pauca solamina præstat,
Hæc facie verum monstrat, & famine verum,
Et sensu verum, iucunda & tempore multo est,
Illa recens pascit visum, grauat atque vetusta,
Deficiet properè veri & non fida sequestra est.
Perspice qui fuerint auctores atque sequaces
Istarum rerum, tunc & certissimus inde
Noscere iam poteris, tibi quæ sint arte parandæ.

Primitus

Primitus Ægyptus vmbrarum lumina pinxit,
Lumina tincturis varians formauit & vmbris.
Hæc sonat angustans tribulatio, fit, sonat & quod,
Angustans tribulat, parum iuuat arte reperta.
Ast petram Dominus legis cum grammate sculpsit,
Contulit insignia, & populi mandata magistro.
Mons sonat ille mea mensura atque amphora * iussa
Amphora iustitiam, vitam mensura modestam.
Iussa quoque ostendunt, Domini nos lege teneri.
Quid * laborem scriptis commenta edicere plura.

Ægyptus inuentrix picturæ.

* iusta.

* labor est

Defectus alius post pag IV. not.

De fide Catholica Rythmo carmen compositum.

29.

ÆTERNE rerum conditor, *
Et clarus mundi formator,
Deus in adiutorium
Intende tu humilium;
Cordeque tibi deuotûm,
Festina in auxilium.
Da mentis fida regmina,
Ac verbi clara munera;
Da vota cordis optima.
Et facti dona plurima;
Sensum corde purissimum,
Famen ore pacificum.
Vt tuam laudem famine
In primis possim dicere,
Magnam miram ac præclaram
I igna voce iustissimam;
Meæque sim miseriæ
Compunctus memor vltimæ.
Deus salus credentium.
Deus vita viuentium,
Deus Deorum omnium,
Deus & Princeps Principum.
Deus summus amabilis.
Deus inæstimabilis.
Altus prosator, vetustus
Dierum, & ingenitus,
Eras absque origine
Primordii & crepidine:
Qui es, eris in sæcula
Sæculorum infinita.
Cui est vnigenitus
Christus *prolis carissimus
Dicentis de corde verbum,
Satum ante Luciferum;
Coæternus in gloria
Deitatis perpetua.
Cum quo simul & filio
In sempiterno sæculo
Spiritus sanctus æqualis
Regnat, & honorabilis

*S. Trinitas.

*proles.

In ea-

In eadem substantia
Deus manens, per sæcula.
Non tres Deos, nec profero,
Sed vnum Deum prædico,
Salua fide in personis
Tribus gloriosissimum
Summum, iustum, rectissimum,
Super omnes mitissimum.
Deum Patrem piissimum,
Omnipotentem Dominum,
Factorem visibilium,
Simul inuisibilium,
Deitatis principium,
Et creatorem omnium.
Christum Iesum carissimum,
Omnipotentis filium,
Imaginem verissimam,
Dei & sapientiam,
Virtutem per quam fecerat,
Omnia, quæ formauerat.
Sanctum quoque paraclitum,
Viuificantem spiritum,
Qui ex Patre & Filio
Procedit ab exordio,
Pignus, donum gratissimum,
Promissum lucidissimum.
Vna trium essentia
Vna est & potentia,
Omousion, Deitas,
Atque vna æternitas,
Beatitudo, sanctitas,
Magnitudo & bonitas.
Solus Deus in sæcula
Concludens cuncta tempora,
Quibus formauit æthera,
Terram simul & maria.
Excelsus in cœlestibus,
Gaudens primus agminibus.
*Bonus creauit Angelos,
Ordines, & Archangelos
Principatus & Virtutes,
Thronos, Dominationes,
Potestates & Cherubin,
Gloriosa & Seraphin.
Vt non esset bonitas,
Otiosa ac maiestas
Trinitatis in omnibus
Largitio muneribus,
Sed haberet cœlestia,
Quibus det priuilegia.
*Sed cœli regni apice
Stationis Angelicæ
Claritate præfulgoris,
Venustate speciminis
Superbiendo ruerat
Lucifer, quem plasmauerat,
Apostatæque Angeli
Eodem lapsu lugubri
Auctores *Cenodoxiæ
Peruicacis inuidiæ
Cæteris remanentibus
In suis principatibus.
Draco magnus, teterrimus,
Terribilis & antiquus,
Qui fuit serpens lubricus,
Sapientior omnibus
Bestiis, animantibus
Terræ ferocioribus.
Tertiam partem siderum
Traxit secum in Baratrum
Locorum infernalium.
Diuersorumque carcerum,
Refugus veri luminis
Parasitus præcipitans.
Dum pius mundi machinam
Præuidens & *Armoniam,
Polum & siccum fecerat,
Atque aquas diuiserat,

Personarum attributa.

*Luciferi casus.

*Bonorum Angelorum creatio.

*Amonia

Herba.

Herbarum formar germina
Virgultum ac arbuscula,
Solem, lunam ac sidera,
Ignem ac necessaria,
Aues, pisces & pecora,
Bestias, animalia,
*Tum demum honorabilem
Ipse condidit hominem.
Huic præcepit firmiter
Manere immortaliter,
Suam sacram imaginem
Seruare venerabilem,
Sequique iussa Domini,
Vicarius cum sit Dei.
Esto, dixit, humillimus,
Rector mundi & Dominus,
Nam cuncta tibi tradidi,
Ac dominatu subdidi,
Quæ sunt mundo viuentia
Ac terra germinantia.
Vtere eis sapiens
Omnia, quæ vis, comedens,
Fructus ligni pomiferi
Simulque salutiferi,
Pomum ne ligno vetitum
Mandas tibi mortiferum.
Hæc sæuus, vt audierat
Chelydros & inuiderat
*Dia pestis timuerat;
Vnde ille corruerat,
Ne homo cœlum habeat,
Quem iam plasmatum viderat.
Adire & temptat fæminam,
Quem sator iunxit copulam,
Suadet pomum mandere,
Ac viro suo tardere
Promittit Deis similes,
Si frangatur esuries.
Consensit illa citius
Quod si non foret satius,
Mandit & viro tradidit,
Et ambo simul decepit,
Dum contra iussum Domini
*Est pomum ligni vetiti.
Ambo miserabiliter
Cernunt se nudos turpiter,
Certant cum perizomate
Commissum scelus tegere,
*Cataphronisis folio.
Sed non latet à Domino.
Excelsus visitauerat,
Quos iam sanos reliquerat,
Adam timens sub arbore,
Latitabat vmbramine,
Quem voce ita duriter
Increpauit & fortiter,
Adam cernis nunc vbi es,
Inobediens lapsus es,
At ille se tutamine
Excusabat excedere,
Alteri caussam criminis
Vindicabat peccaminis.
Post hoc eis altissimus
Fecerat, quod iustissimus,
Cinxit eos velamine
*Byrsæ & decentissime
Morituri pelliculo
Vt vestirentur mortuo.
Tunc paradisum liquerat
Adamus quem eiecerat.
Deus quoque pertinacem
Nunc duræ terræ cultorem
*Ydros ei *& tribulos
Pareret atque carduos.
Hic generauit sobolem
Nam binam cum discrimine:
Alter alterum vulnere
Prostrauit impiissimè

*edit.

* Hominis creatio & lapsus.
*καταφρόνησις contemptus.

* id est, pellis.
*Dira.
Adamus ex paradiso eiectus, & mors insecuta genus humanum.
*ἱδρῶτα puta sudorem. Nam ὕδρα natrix serpēs
*vt

Hoc venenum inuidiæ
Anguis sæuit in homine.
Grassatis sicque duobus
Protoplastis parentibus,
Post tota ruit propago,
Et absque adminiculo
Auctor peccatum auxerat,
Ad inferna detraxerat.
Creuerunt homicidia
Dum creuit philargyria
Habundabat luxuria
Dum anxit gastrimarchia,
Tota nefanda crimina
Iam possidebat glarea.
Noe Deus temporibus
Mersit aquis vltricibus
Totam mundi progeniem,
Adam & claram sobolem,
Præter quos arca vexerat,
Et excelsus seruauerat.
Sed item * ptyra cæpere
Sordidare terricolæ,
Neque lauerunt flumina,
Vt non crescerent crimina,
Nec quos mors absorbuerat
* Epistimi domauerat.
Hoc Abraham post viderat,
Nec tamen hunc iuuauerat,
Isaac quoque & Iacobus
Celsi Patrum cum cœtibus.
Legislator & Moyses
Dauid simul & Prophetes.
Nec profuit industria
Vilius atque * stychia
Post mortem infernalia
Penetrabunt cubilia.
Regnabat mors latissime
Super omnes durissimè.
Nisi solius clementia
Auctoris & potentia
Subueniret miserrimis
*Iacentibus in infimis,
Totus homo cum sobole
Interiret peccamine.
Omnipotens mitissime
Misit pater ab æthere
Filium vnigenitum
Amatum & dulcissimum;
Vt hominem à tellure
Subleuaret piissimè.
Aliena astutia
Quem seduxit versutia
Diri Draconis spicula
Vulnerabant præcordia.
Et fontem sibi subdidit,
Quem cleps ipse non condidit.
O quanta Dei pietas,
Et sempiterna bonitas
*In se Deus susceperat
Hominem quem creauerat,
Illum sibi quæsiuerat,
Quem non iustè perdiderat.
Virgo Deum conceperat,
Gabriel quem prædixerat;
Postque nouem curricula
Mensium & volumina,
Incarnatum ex virgine
Verbum venit cum salute.
Pastores natum præsepe
Gaudebant Iesum cernere,
Stella flagrans & lumine
Magos duxit cum munere,
Herodes cæpit quærere
Christum regem occidere.
Paruulorum in millibus
Sæuiebat cum cladibus,
Talia in initio....
Mundus obtulit Domino,

Studet

* Christus humani generis reparator.

*Homo factus.

*πτέρυγας forte pennas, tabernacula.

*ἐπιστήμη scientia, experientia.

*στοιχεῖα translate pro elementis artium præcipue Geometris. hic forte pro ipsa arte.

Studet morte perimere,
Quj venit vitam reddere.
*Ter denis magnis orbibus
Annorum actis menſibus
Ab Ioanne in Iordane
Tinctus erat baptiſmate,
Lauit ſe vnda latior,
Quod ipſa eſſet purior.
Spiritus ſuper columbæ
Ieſum manſit in ſpecie,
Pater prolem teſtauerat
Mundo, quod non crediderat
Trinitatis myſterium,
Conſecrauit ſic baptiſmum.
Iuit Ieſus in heremum
Ferarum habitaculum,
Illic tempus ieiunii
Peregit ſalutiferi,
Quaterdenoſque noctibus
Iunxit ſoles *ineſibus
*Erpeton ibi callidus
Aderat cum*doloribus,
Suaſit hunc de lapide
Nam ſibi panem condere
*Dipſitis, vult velamine
Verborum Chriſtum noſcere.
De templi alto culmine
Iubet Ieſum deſcendere,
In monte mundi gloriam
Oſtendit & Monarchiam,
Se cuncta dare promiſit,
Si cadens ſe orauerit.
Tantum peruerſè locutus,
Quantum fuerat peruerſus,
Seps ipſe ſe *plaudauerat
Poſſe, quod nunquam poterat,
Sed cupiebat ſternere,
Quem ſe ſperabat vincere
Adam primum hic vicerat,

Quem ſecundus proſtrauerat
Gula & Philargyria,
Simul & cenodoxia,
Cum quibus illum repulit
Ieſus & igni tradidit. *Chriſti Domini noſtri vita.
Poſtquam zabulus pulſus eſt,
Angelis miniſtratus eſt,
Aduocauit diſcipulos,
Plures iam & Apoſtolos,
Inter quos ſigna plurima
Fecit, atque miracula. Chriſti miracula.
In Canan vinum fecerat,
Simul & firmauerat
Fidem rudem tum comitum, *
Dum perfecit miraculum,
Eiſque *altum abyſſum
Patefecerat dogmatum.
Latè per Iudæ termina
Coruſcabant miracula,
Dum miſſa virtus cœlitus
Operatur diuinitus,
Monſtrabat ſe homine,
Qui regnabat in æthere.
Cæcorum multa millia
Cernebant clarè lumina,
Multi ſurdi per agmina
Currunt, quærunt ſaluamina,
Saltat claudus lætificus,
Gaudet ſanus & leproſus.
Tota Draconis horrula
Vis fugit *omos callida,
Cum ex multis clamantia
Exiebant dæmonia,
Chriſtum Domini teſtantia,
Quem non capiunt ſæcula
*Venit iam ſalutiferæ
Tempus mortis Dominicæ,
Summus quo ſecum decreuit,
Vt hominem redimeret,

*Ineſis pro ieiuno
*Serpens.
*dolis.
*an ei dipſas an Dipniſtis à δειπνίζω.
*an ὁμως ſimul vel ὠμά crudeli.
*forte pro plauſerat niſi malis laudauerat.
*Chriſti paſſio

 Redde-

Redderet sęuo merita
Et pœnarum dignissima.
Mouit Iudæa prælia,
Contraxit plebis agmine
Sanctum ad tribunalia
Duxerunt & concilia
*Aposto-los instruit
Comes Iudas trucissimus
Quod sanxit cum principibus.
Traditur vinctus gentibus
Christus à Pontificibus,
Sputis, flagellis, alapis
Inlusus atque spinetis
Crucifigitur innocens
Consentit Rex insipiens.
Terra expauit, facinus
Hoc motu notans citius,
Elementa tremuerant,
Astra & se celauerant,
Solus homo non timuit,
Quod solus ipse confecit.
Tum reuixerunt mortui,
Et patuerunt Herebi
Obscura loca carcerum,
Cum venit auctor luminum
Vectes, seræ confractæ sunt.
Iusti & liberati sunt.
Christus in limbo.
Gemit hostis in catena,
Cum fecit Rex iudicia
Et sanctis liberamina,
*Ascendit in cœlum.
Quod doluerunt tartara;
Victor Christus ascenderat
Suos & secum duxerat.
Christus resurgens.
Tertia lux redierat,
Christus & resurrexerat,
Iam victurus in gloria.
Victor clarus per sæcula,
Deus virtutum Dominus,
Rex Regum potentissimus.
Quater denis post diebus
Versatus cum lætantibus
Ostendit se miraculis
Verè viuum discipulis,
Omne tulit mirantium
Corde quod erat dubium.
*Iubens eis discurrere
Per mundi plagas dogmate.
Ite ait per populos,
Et ferte fructus plurimos,
Docete verbo fideli,
Seruare hoc, quod docui,
Eos, qui velint credere,
Lauate sacro flumine
Dei Patris in nomine
Natique cum spiramine,
Laxantes cuncta crimina,
Et docete remedia.
Ast vobiscum in sæculum
Ego sum nam solatium,
Cum videritis feruere
Mundum bellis & errore,
Nolite tunc pauescere,
Nec pugnis malis cedere.
Omnis terra cum sobole,
Ponto simul & æthere,
Data mihi regimine
Cedit, seruit & munere,
Vinctus hostis expulsus est,
Mundus & liberatus est.
*Ascendo nunc lucidum iam
Cari Patris ad Solium,
Qui me misit ab æthere
Totum mundum redimere,
Carpere regna debita,
Et esse in Patris dextera:
Nulla vestra tristitia
Teneat nunc præcordia,
Mitto vobis lætissimum
Nam Paraclitum spiritum,

Ipse vobis vt ego sum
Est Magister in sæculum.
Ipsi tenent, quod monuit,
Ille iuit, quo debuit,
Super astra celsissima
Sedet in Patris dextera,
*Iudex nempe nouissime
Venturus & in æthere.
Ipse de cœlis Domino
Descendente altissimo
Præfulgebit clarissimum
Signum crucis & vexillum
Plangor super se nimius
Erit tum cunctis gentibus.
Tectisque luminaribus
Duobus principalibus
Cadent in terram sidera
Vt grossus de ficulnea,
Eritque mundi terminus
Vt fornacis incendium.
Clangor buccinæ quaternas
Sonabit terræ per plagas.
Discurrunt coruscantia
Fulgura & tonitrua
Tunc in montium specubus,
Abscondent se exercitus.
Ergo erit dies ille,
Dies planctus & lacrymę,
Dies iræ & vindictæ,
Tenebrarum & nebulæ
Dies magnæ angustiæ,
Laboris ac tristitiæ.
In quo cessat mulierum
Amor ac desiderium,
Hominumque contentio,
Mundi huius & cupido
Cum cœlo, terra, ardore
Conflagrant atq; lumine.
Turba primi Archangeli
Strepente ammirabili,
Erumpent munitissima
Claustra ac Polyandria,
Surget homo à tellure
Restauratus à puluere.
Vndique conglobantibus
Membrorum * paginibus,
Animabus ætralibus
Eisdem obuiantibus,
Certant sancti cum munere
Christo Regi occurrere.
Altithronus glorioso
Rex sedebit in solio,
Angelorum tremebunda
Circumstabunt & agmina,
Cunctis iudex cum propria
*Secundum reddet merita.
Stabimus & nos pauidi
Ante tribunal Dei
Reddemusque de omnibus
Rationem affectibus,
Nostra videntes posita
Ante obtutus crimina,
Librosque conscientiæ
Patefactos in facie,
In singultus erumpemus,
Et fletu diro gemenus,
Subtracta necessaria
Operandi materia.
Tunc fideles nam cœlestem
*Vrbis summæ Hierusalem
Sustollentur ad patriam,
Introibunt * ad gloriam,
Vbi fulget vera pacis
Lux Christus, sol mirabilis.
Ymnorum cantionibus
Sedulo tinnientibus,
Sanctis tripudiantibus
Angelorum ex millibus

*compagibus.
*Iudex venturus.
*iuxta
Iudicii extremi dies.
*
Electorum gloria.
*ac.
Mortuorum resurrectio.

In paterna clartiate
Se gaudent Christum cernere.
Sic viginti felicibus
Quatuor senioribus
Coronas iam mittentibus
Agni Dei sub pedibus
Laudatur tribus vicibus
Trinitas æternalibus.
Bis binis coram stantibus
Vnitis animalibus,
Terna laude sonantibus
Sanctus Sabaoth Dominus.
Hac sancti manent gloria
A sæculis in sæcula.

Damnatorum supplicia.

Zelus ignis furibundus
Consumet aduersarios,
Nolentes Christum credere
Deo à Patre venisse,
Retro ruunt perpetui
In ignis flammas impii.
Vbi habentur tenebræ
Vermes & diræ bestiæ,
Vbi ignis sulphureus
Ardet flammis edacibus,
Vbi rugitus hominum,
Fletus & stridor dentium.
Vbi gehennæ gemitus,
Tonitruus & horridus,
Vbi ardor flammaticus
Sitis famisque * maximus,

Famesque maximæ.

Vbi tortor durissimus
Auget pœnam cum laribus.
Sathan atro cum agmine
Quo tenetur in carcere
Religatus in tartara
In æterna incendia
Cocytique charybdibus
Submergetur in gentibus,

Deprecatio rei peccatoris.

O Deus veri luminis
Auctor & omnis hominis,
Miser ego quid faciam,
Tunc vbi atque fugiam,
Cum tremet mundi machina
Sub flammarum monarchia.
Quo me tum possum vertere,
Et suffragia quærere,
Cum contra me sententia
Profertur in magna angustia.
Accusor reus criminis,
Cum non sit fauor operis.
Dampnant me facta propria,
Verborum multa millia,
Amor malus cum rubore,
Ira rixæ & maculæ
Totum patet in lumine
Mentis & penetrabile.
Cerno tremens, quod feceram,
Et diu quod celaueram,
Nec adiuuant solatia,
Patris & matris famina,
Turba nec amicabilis
Præstat iuuamen debilis.
Vnde salus iam Domine
Mihi veniet prosperè
Præter tuam clementiam
Solam, & veram gratiam,
Aut quis dat indulgentiam
Præter tuam potentiam?
Te bone Iesu deprecor,
Auctor vitæ & redditor,
Salua tuum mancipium,
Munus & da perpetuum,
Verax vt tuo famine
Iustificeris Domine.
Tibi grates ex pectore
Redemptus à discrimine,
Deo viuo vt referam
Læta voce victoriam,

Sequens

Sequens te Regem proprium
Raptus ex hoste Dominum.
Nuncque rogo vti iubeas,
Et in me hoc perficias,
Quamdiu in ergastulo
Sum clausus carnis sedulo,
Ore, corde & opere
Te canam laudem Kyrie.
Doxa tibi altithrone,
Rex cœlorum sanctissime,
Qui me tuo iuuamine
Consolaturus optime
Laus & honor cum gloria
In sæculorum sæcula.

Pro me quisque legas versus orare memento
Rhaban dicor ego, tu sine fine vale.

Metrum de transitu monachorum.

30.

CVRRENS charta procul nuncia porta
Dilecto grauia munera fratri,
Quæ infausta tulerat temporis hora.
Quæ dudum eripuit sorte nefanda
Sons, fraus atque dolor, & labor ingens
Longas compulerat quærere terras.
Pars ablata fuit parsque remansit,
Cum diuisus homo prô dolor vnus
Est voto atque anima corpore bino.
Postquam tu vnanimis frater abisti,
Ast mox per varios torsus vbique
Sum casus, odiis læsus & atris.
Sed nunc doleo pectore tristi
Multum posse malum heu generale,
Quam soli mihimet condere damnum.
Ex quo seditio noxia dudum
Inter nos orta est, nemo valebat
Lenire hanc precibus, nec dare finem.
Crescens sed nimium tempore multo
Aucta est perque dies sorte maligna,
Vastauit populum Patris ob iram.

Schisma Fuldense sub Ratgario Abbate.

Durescit

Durescit qni animo, & cedere nescit,
Trux deturbat oues, cæde cruentat
Nullius miseret, sæuit in omnes.
His commota malis turba reliquit
Antiquum stabulum, fit peregrina
Læsis vna salus pergere longa est.
Venit summa dies, tempus amarum,
Quando extrema pati turba coacta est,
Et conuicta malis linquere sedes.
Cuncti conueniunt vndique fratres
Queis mens vna fuit parque voluntas,
Inmitem vt precibus flectere certent.
Duratus qui animo spreuerat omnes,
Inritans populum pellit ab æde.
Desperare dedit Patris amorem.
Diuerso inter ea mænia luctu
Miscentur, resonant cymbala cumque
Et signum Ecclesiæ conuocat omnes.
Accurrunt tumulo martyris almi
Flet mixta senibus plebs iuniorum,
Ex imo gemitus pectore ducunt.
Expanduntque manus cum prece fusa.

Defectus post pag. vlt. V I. Not.

TITVLI ET INSCRIPTIONES ALTARIVM BASILICÆ S. SALVATORIS FVLDENSIS.

31.

HOc altare Deo fulget honore nouo
Candida * Wirina, Concordia, cum Medenisma
Asistunt tecum Gertrud & ipsa simul.
Nam dilecta Deo hic ritè Theophila mixtim
Adiungit vota atque fauet precibus.
Virginei flores meritis pulsate Tonantem,
Placatum & nobis reddite quæso Deum.

* veteri Litania Fuld. & S. Galli. Verena, an Berenice quæ vulgo Veronica?

32. *Et in dextro altare iste.*

HOc altare tenet * Timotheus Apostolus almus, *
Vitalis martyr, Vitus & ipse simul,
Fortunatus adest, Felix, Tiburtius atque,
Seruilianus amor, Sulpitiusque pius.
Marius & Martha pariter cum pignore bino,
Martialis martyr cum Diogene simul.
Sanctus Firminus, Liberalis, Fuscianusque,
Rusticus & Firmus, Castulus atque Zenon.
Cum quibus en gaudet hic Victoricius aptè,
Gentianus martyr congratulando manet.
Hos peto tu Orator precibus placare Patronos,
Si velis summi scandere regna Patris.

33. *Ad altare S. Stephani.*

LEVITA hanc Stephanus, simul & Laurentius aram
Exornant meritis, Panchratiusque pius.
Donatus, Victor, Vincentius, & Cyriacus,
Quintinus martyr atque Sebastianus,
Cumque quater denis Ferrutius ipse precando
Instat martyribus, poscite lucis opem.

34. *Ad altare Sancti Clementis.*

HIc Clemens martyr, pariter cum martyre Lino,
Sanctus Alexander & * Fabianus adest. * Bastianus.
Marcellus, Stephanus, Cornelius & Cyprianus,
Lactantum & turba sanguine tincta suo.
Aureus hic Præsul Iustinus Martyr & ipse
Rite iuuant precibus atque bonis meritis,
Hisque Saturninus martyrque Georgius aptè
Exorat iunctus pro populis Dominum.

35. *Ad altare Sanctæ Agathæ Virg.*

MARTYR Agatha Dei, Petronella, & tu Iuliana,
Lucia, Perpetua, nosque Sabina * foue, * faue.
*Praxede cum sacra foueas nos Virgo Basilla, *.
Sicque piis meritis Sancta Pudentiana.
Regina Virgo coniuncta sororibus istis,
Tu nobis pandas regna poli precibus.

36. *Ad altare Sancti Lucæ Euangelistæ.*

LVCAS qui scripsit cum gestis dogmata Christi,
Vinclis hic Petri mixta locat spolia.
Augustinus adest, Germanus, ipse * Remeius,
Maximinus Præsul atq; Medardus ouat.
Ambrosius Doctor, Eusebius atq; Vedastus
Suppremi nobis numen adesse petunt.
His simul adiunctus pro nobis martyr & Hermes
Exorat Dominum, postulat & veniam.

* Remigius.

37. *Ad altare Sancti Marci Euangelistæ.*

MARCVS Euangelium qui scripserat arte Pelasga,
Martyre cum Paulo hic atq; Iohanne manet.
Ipse Valentinus, Gorgonius atq; Nazarius,
Germani & septem, Gordianusq; simul.
Candidus, Exsuperus, victor, Mauritius atq;,
Silenus martyr & Timotheus ouat.
Abdoq; cum Senne, Prothus martyrq; Hyacinthus,
Quos nobis Christe retè fauere facis.

38. *Ad altare Sanctæ Aneg. Virg.*

AGNES & Euphemia, Genoueua, Susanna, Columba,
Hoc altare ornant ritè suis precibus.
Cum queis tu Brigida, & tu virgo Scholastica semper,
Placatum nobis altithronum facias.

39. *Ad altare Sancti Benedicti in crypta Occidentali.*

HANC Benedicte Pater cryptam tu babeeris aram,
Sanctus Honoratus hanc simul ipse colit.
Eucherius, Trudo, Arnulphus, * Seruasius atque,
Cuthbertus, Beda hic Equitiusq; manent.
Hicq; Columbanus fixa stat rite columna,
Martyris & tumulo subsidia apta feret.

* Saruatius, nisi sit Geruasius.

40. *Ad altare Sancti Ignatij.*

HVNC titulum martyr Ignatius & Florianus,
Vrsicinus seruat atq; Rogatianus.

Emme-

Emmerammus adest, Iulianus, Patriciusque,
Sanctus Wigbertus, martyr & Hippolytus.

41. *In * Cœmiterio fratrum in Ecclesia Sancti Michaëlis in primo altare.* * Cœmeterio.

HOc altare Deo dedicatum est maxime Christo,
Cuius hic tumulus nostra sepulcra iuuat.
Pars montis synai moysi & memoratio digna,
Hic Christi Domini & genitale solum.
Hic michael Princeps Domini & Symnista Iohannis
Victoresq; Foci tres simul & pueri.
Priuatus martyr pariter & Habundius ipse,
Suscipiunt vota atq; Deo referunt.
Sulpicius Præsul simul & Confessor Amandus,
Hic monachus Mammas, hic ouat & Symeon.
Cum quibus hic semper votis adsiste precamur,
Virgo sacrata Deo martyr Anastasia.

42. *In sinistro altare.*

HIc Anianus adest, martyr Desiderius atq;
Rex Sisemundus ouat, Genesiusq, simul.
Tu quoq; Christophore nostris pie mentibus adsis,
Cumq; tuis socijs ipse iuuato preces.

43. *In dextro altare.*

PAVLINVS Præsul, * Britius quoq; Perpetuusq; * Brixius
Sanctus & Isidorus, Martialisq; pater.
Hanc aram meritis semper viuacibus ornant,
Adsistunt precibus, * quæ pie quiq; dabunt. * quas.

44. *In Ecclesia Sanctæ Mariæ in monte qui vocatur Episcopi In dextro altare.*

HOc altare tenens Bonifacius ipse sacerdos,
Et Christi martyr rite Patronus adest.
Cui quoq; coniunctus fit Papa Gregorius isthic
Æquati & meritis regna superna tenent.
Non minor ergo fide martyr Laurentius istis,
Hic ouat & precibus, adiuuat ipse pios.

45. *In Sinistro altare.*

HIc Pateralme virum monachorum maxime Pastor
Tu Benedicte tuos ritè iuues precibus,
Cui soror adiuncta Scholastica sancta Virago
Tu tibi deuotis posce salutis opem.
Martyr Anastasia simul tu funde precamur
Pro nobis Christo semper & ipsa preces.

46. *In monte qui vocatur Episcopi in turre Ecclesia Sancta Maria.*

ANNVE Christe Deus Michael Archangelus istic
Assistat votis, nos iuuet & precibus.
Martinus Præsul, martyr Dalmatius atq;
Propitium nobis te faciant meritis.
Cassius *Anthimus, sanctus Florentius adstent,
Memmius Antistes hic soror *Etpumia.
Credimus ergo satis placatum te adfore nobis
Si hi prece nos studeant ritè fouere sua.

*Ethymia forte Euprepia quę in antq. litan. Tō. 5. antiq. lect.

47. *In abside Ecclesia Sancti Petri qua est in monte sita:*

ECCE sator hominum victor super æthera scandit,
Discipulisq; suis regni sacra limina pandit,
Quem sic venturum Angelica huc oracula spondent:
Cætus Apostolicus pariter cum plebe fideli
Dona paracleti igne micante capit.

48. *Ibidem.*

HIc locus ecce tenet Sanctorum condita ritè
Ossa simul memorans & pia facta colit.
Mater Felicitas, sancta & Concordia nutrix,
Hippolyti hic pausant Candida & Eutropia.
Pauli namq; hospes, Aquila hic & * Prisca quiescunt,
Eugenia hic Virgo, atq; Basilla manent.
Virginis Agnetis hic conlactanea sistit,
Nempe Emerentiana martyr & ipsa sacra.

* Priscilla.

49. *In dextro altare.*

MARTYRIBVS Christi cunctis hæc ara locata est,
Præcipueque istis, litera quos numerat.

Sors

50. *In sinistro altare.*

SORS Confessorum Christi hanc obtinet aram,
Quos aula cæli possidet atq; tenet.

51. *In crypta subtus ad altare primum.*

HAC Baptista potens sacra venerabitur ara,
Hac Vatum turba atq; Patrum colitur.

52. *Ad altare medium.*

VIRGO Dei Genitrix hanc aram ritè teneto,
Hanc tecum habeat virgineusq; chorus.

53. *Ad altare tertium.*

HOC altare Dei Michael Archangelus ornat,
Hocq; colunt pariter agmina & Angelica.

54.

QVI regit imperium mundi, qui continet astra,
Hanc aulam aduentu dedicat ipse suo.
Cum quo Baptista simul & symnista Iohannes
Hanc ædem inhabitant Christe tui famuli.

55.

MARCELLVS clemens, Bonifacius & Cyprianus,
Cum Syxto & Lino hic ecce aderunt socijs.
Deprecor ô Lector, quicunq; cernuus intres,
Vt studeas votis rite placare Deum.

56.

CÆTVS Apostolicus cum hic pictis ritè ministris,
Hoc altare tenet atq; iuuat meritis.

57.

VIRGO Maria Dei genitrix hanc continet aram,
Cælica martyr, Agnes, Agathà simul.

58.

LVCIA, Iuliana simul & Scholastica virgo,
Valde iuuant precibus, atq; piant meritis.

59.

MARTINVS Præsul, Antonius & Benedictus
Hanc cryptam inhabitant & titulum retinent.
Hic Papa Gregorius, hic Gallus, Equitiusque
Cum Columbano vota pia accipiant.

60. *Exhortatio fratrum ad Orationem.*

CVRRITE vos Fratres ad cæli culmina prompti,
Christus in arce sedens præmia magna parat.
Sanctus Anastasius promittit gaudia vera,
Quæ vobis Christus Rex pius ipse dabit.
Nos quoque vobiscum, quo gaudia prenditis alma.
Poscimus hinc rapide ecce valete simul.
Si tu lector amas custodem noscere templi
Accubitor Domini ipse Iohannis adest.
Hic frater Domini Iacobus, hic Virgo Maria
Martyr & Antistes, hic Bonifacius est.
Clemens clementer, Pancratius & Iulianus
Excipiunt vota hic atque Deo referunt.

61. *Versus in Ecclesia Dei genitricis.*

SVAVIOR & roseo nimium rubicundior ostro
Vincis aromaticas mentis odore comas.
Cara, benigna, micans, pia, sancta, verenda, venusta,
Flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor.

62. *In Ecclesia S. Mariæ, quæ in loco qui vocatur Holzkyricha est constructa, iuxta introitum eius hi descripti sunt versus.*

QVISQVIS hanc aulam petiturus gressibus intrat,
Agnoscat primum, quid locus hic habeat.
Virginis hic Matris sacra pignora rite locantur,
Hanc aulam & totam ipsa dicat meritis.
Cum qua Sanctorum turba hic pie nobilis adstat
Suscipiens vota atque Deo referet.
Vnde decet valde, quod cordis pura voluntas,
Sermoque cum factis dona superna petant.

63. In se-

63. *In sepulchro SS. martyrum qui ibi requiescunt hi continentur versus.*

Ecce viros istos præclaros valde Patronos
 Roma decus orbis miserat huc pariter:
Quos quoque Rhabanus humilis susceperat Abbas,
 Præsule cum Humberto rite locauit & hic.
Hic pausat Magnus, martyr Ianuarius atque,
 Officio insignes atque sacris meritis.
Qui cum Pontifice Xysto mucrone perempti
 Leuitæ cœlo reddiderant animos.

64. *In primo Altare.*

Virgo Maria Dei genitrix, hæc aula resultat
 Ecce tibi, & tota fulget honore tuo.
Virginibus præsens sacra hæc decoratur & ara,
 Qua supra pietas absida læta notat
Cum quibus & sancta Praxis ouat atque Basilla,
 Candida Virgo simul atque Pudentiana.

65. *In dextro Altare.*

Coetus Apostolicus hanc sacram continet aram,
 Adiuuat & precibus, ornat, amore colit.
Vos quoque qui intrastis, ceruices flectite vestras,
 Deuoto hic corde poscite lucis opem.

66. *In sinistro Altare.*

Clarus in orbe soli martyr Bonifacius istud
 Obtinet altare cum sociis pariter.
Quorum si lector tu noscere nomina quæris,
 Inspice picturam, & relege titulos.

67. *Ad Crucem.*

Qui crucis lignum, quo Christus sæcla beauit,
 Emblemate inclusum arx tenet ista Crucis.
Baptistæ & Christi spolia tenet ara sacrata,
 Doctoris Pauli relliquias pariter.
Scriptor Euangelij Marcus cum compare Luca,
 Sennen atque Abdo hanc & amore colunt.

San-

Sanctus & Hyppolitus, Prothus martyrque Hyacinthus,
His simul adiuncti mixta locant spolia.

68. *In Crypta.*

MARTINVS præsul simul & Gregorius almus
Hanc aram meritis ritè colunt propriis;
Cum quibus Equitius ouat atque Antonius Abbas,
Sanctus Maximinus pastor & ipse pius.

69. *In Capella.*

CVLMEN Apostolicum Petrus Paulusque Magister,
Hoc altare suis rite dicant spoliis.
Pontifices summi Xystus, Bonifacius atque
Martyrio insignes hic habitant pariter.
Commanet hicque simul Felicissimus Agapitusque
Leuitæ sacri, testis vterque Dei.
Flectite vos genua, qui intrastis limina sacra,
Christus adest Rector, poscite lucis opem.
Per quam omnes fines terræ meruere salutem
Gaudet & orbs totus, Pontus, arena, polus.
Vellere candidior, fuluo rutilantior auro,
Fulgidior radio, dulcior ore fauo.
Hæc tibi, sim indignus quamuis, corde, ore susurro
Spes mihi sis veniæ, quæ vehis orbis opem.

* *Defectus.*

70.

Hic quoque qui astatis ceruices flectite vestras,
Soluite vincla pedum, mundi secludite curas,
Christus adest Rector, sanctorum exercitus omnis,
Poscite lucis opem, tenebrarum linquite curas.

71. *Versus more Litaniæ facti.*

ARBITER omnitenens rerum tu summe Creator,
Aspice de superis omnipotens genitor.
Omnipotens genitor, ex quo sunt omnia vere,

Princi-

Principium æternum tu miserere tuis.
Filius ipse Dei, per quem sunt condita cuncta,
Tu clemens nostras suscipe quæso preces.
Spiritus alme Dei, cæli terræq; repertor,
Iu quo sunt cuncta. tu pia vota vide.
Trinus Personis, natura conditor vnus
O Deus Altithrone semper adesto pius.
Clara Dei Genitrix sanctissima virgo Maria,
Ora pro nobis, rite fauendo, Deum.
Pro nobis poscas Michael Archangelus ipse,
Et Gabriel fortis & Raphael medicus.
Cum æthereis turmis placantes sceptra superna,
Propitium nobis celsithronum facite.
Zachariæ natus, præco cunctiq; Prophetæ
Et Sancti Patres conciliate Deum:
Cætus Apostolicus, Christi comitatus honestus,
Tu precibus nobis limina pande Poli.
Clauiger æthereus Petrus Paulusq; Magister,
Andreas Iacobus atq; Ioannis amor.
Thomas cum Iacobo Philippus, Bartholomæus,
Mattheus & Simon, Thadeus & Mathias.
Doctrina gratulans, rutilans & sanguine rubro
Victorum alme chorus nos rege tu monitis.
Barnabas, Sylas, Stephanus Marcusq; Titusq;,
Lucas, & Clemens, Sanctus Apollinaris.
Syxtus, Alexander, Cornelius & Cyprianus,
Felix, Vrbanus, Mauritiusq pius.
Cum quêis tu doctor Bonifacius inclyte martyr
Placans Altithronum funde preces, petimus.
Alme tuos socios moneas Martine precamur,
Pro nobis Dominum poscere rite pium.
Hoc Leo Syluester simul & Confessor Amandus,
Ambrosius præsul papaq; Gregorius.
Augustinus honor doctor Hieronymus atq;
Maximinus pastor, Eusebiusq; gerat.
Hoc Benedicte tuis Monachis impende precamur,
Cum Antonio & Paulo regna beata tenens.
Martyr Agatha Dei, foueas nos ritè precamur,
Agnes sic virgo, sic & Anastasia:

Lucia, Balbina, Petronella, Eulalia, Thecla,
Regina, Euphemia, Cecilia, Sotheris.
Eugenia, Prisca, Monegundis, Praxidis, Afra,
Christina, Brigida, turbaque casta poli.
Cælicolæ cuncti, Sanctorum exercitus omnis
Hoc precibus agite, vt nos Deus ipse iuuet.
Expurget miserans, exaltet, diligat, ornet,
Inlæsos seruet, protegat atque regat.
Det pacem veram, det plenum munus amoris,
Actus det placidos spemque fidemque bonam.
* Virtutum * copiam tribuat mentemque benignam,
Et carnem castam, tempus & omne bonum,
Det victum, vestem, fidos det semper amicos,
Atque hostes cunctos arceat ipse procul.
Famem depellat, morbos simul auferat omnes,
Conterat & longe Dæmonis insidias.
Curramus læti, vt capiamus regna beata,
Cum Christo sursum semper in arce poli.
Agnus sancte Dei, qui tollis crimina mundi,
Semper in æternum tu miserere tuis.
Tu nos Christe audi, tu exaudi Christe precamur,
Te sequimur Christe, te volumus, cupimus.
O Domine salua, quia vitam quærimus abs te,
Redde tuum vultum, sic erit atque satis.
Tu quô virtus, tu vita es Christe perennis,
Tu Christe eleison, tu Kyrie eleison
Amen.

72. *De prudentia.*

VIRTVTVM species primum prudentia pandit,
Hæc recolit cuncta, dictat honesta bona.

73. *De iustitia & pietate.*

IVSTITIA & pietas par pactum seruat & omne
Iudicium ritu ordinat ipsa suo.

74. *De fortitudine Patientia.*

FORTITER aduersa virtus patientia suffert.
Victrix confidens tristia cuncta fugat.

De

75. *De Temperantia.*

TEMPERAT ergo bene iam cuncta modestia virtus,
Et clemens placide iura superna dabit.

Defectus ad pag. Not. VIII.

Tituli & Inscriptiones Ecclesiæ N.

ab Otgario & Rhabano reliquiis & aliis ornamentis instructæ.

76. *Versus in tumulo Sancti Sergij.*

MARTYRIBVS sanctis honor extat maximus orbe,
Nomine pro Christi qui meruere mori.
Excellens inter quos gaudet Sergius almus,
Qui cum fratre Baccho supplicia arcta luit.
Romulea ex vrbe hos præsul Otgarius ambos
Aduexit, tantum Sergium & hic posuit.

77.

HANC thecam tibimet Sergi sanctissime martyr
Rhabanus fecit, seruulus ipse Dei.
Ex paruo sumptu, deuoto sed tamen actu
Temet patronum quærit & esse suum.
Delicti ei veniam poscas & dona quietis
Indigno miserans reddat vt omnipotens.

78. *Super confeßionem ipsius sepulchri.*

QVISQVIS dona velit rite impetrare Tonantis,
Supplex poscat opem hic, martyrum & auxilium.

79. *Super ciborio altaris Sancti Martini hi versus sunt conscripti.*

OTGARIVS cœpit, Rhabanus rite peregit,
Ciborij hanc arcem Christe tui famuli.
His tu mercedem tribuas in arce benignus,
Et requiem æternam omnipotens Dominus.
Præsul Martinus, martyr & Sergius almus
Hos sacris meritis atque iuuant precibus.
Peccati vt veniam accipiant ac munera lucis
Gaudia cum sanctis regna beata simul.

80. *Versus in tabula inter Seraphin posita.*

HIc Deus est Christus Dominus qui regnat vbique
Et cruce confixus noxia vincla rupit.

81. *Versus . . .*

PONTIFICES isti hanc sedem rite tenebant,
Postquam hunc Hunni diripuere locum.
Sed numerum annorum certum quo quisque regebat,
* vsquam Ecclesiam * nusquam repperire haud potui.
Ast postquam summus præsul Bonifacius istic
Ex Roma est missus Rector vbique pius.
Isti post ipsum hanc sedem iure regebant
Ordine Pontificis officioque simul.

82. *In Ecclesia Sanctæ Mariæ iuxta sepulchrum Sancti Bonifacij.*

POSTQVAM martyrium expleuit Bonifacius almus,
Martyr & antistes æthera celsa petens.
De Fresia huc vectus cum theca hac rite locatus,
Sanguinis hic partem liquerat hinc abiens.
Desuper hunc tumulum Rhabanus condere iussit
Ad laudem Sancti exiguus famulus.
Indignus præsul vernaculus attamen huius,
Pro quo tu lector funde preces Domino.

In Ec-

83. *In Ecclesia S. Michaelis.*

HANC aulam precibus Michael Archangelus ornat,
Martinus Præsul adiuuat & meritis.
Scriptor Euangelij, Marcus, Bonifacius atq;,
Agnes & virgo hic vota Deo referunt.

84. *In Ecclesia Sancti Saluatoris.*

HANC pius ecce domum saluator consecrat orbis,
Hanc Baptista Dei vendicat atq; sibi.
Hoc altare Petrus, Bonifacius & Kilianus,
Exornant meritis, laudibus atq; suis.
Hicq; Valentinus martyr Dionysius atq;
Assistunt precibus hicq; Sebastianus.
Martinus Præsul, Ambrosius atq; sacerdos,
Hanc aram seruant, Sanctus & Hilarius.
Virgo Maria Dei genitrix hic cerne precantes,
Martyr Agatha Dei & Petronella simul.
Cor tibi sit mundum, sacra cum libamina tractas,
Sacrificans puras offer & ipse preces.
Hostia fit laudis semper gratissima Christo,
Cor quoq; contritum respicit omnipotens.

85. *In Ecclesia Vodilbobi.*

SCRIPTOR Euangelij dilectus ritè Iohannes,
Cum Luca hanc aulam consecrat en socio.
Imbuit hanc aram Cornelius ac Cyprianus,
Ipse Bonifacius atque Dionysius.
Hic precibus adstat Vincentius & Cyriacus,
Cumq; Valentino Rusticus adstat ouans.
Gorgonius martyr, Pancratius ipse, Naborq;,
Adsistunt precibus hicq; Sebastianus.
Hoc altare Petrus, Andreas, Paulus & ipse,
Exornant meritis atq; sacris precibus.
Cum quibus hic gaudens Martinus Præsul ouandoq;
Adsistit votis Sanctus & Hilarius.
Virgo Maria Dei Genitrix intacta Tonantis,
Hic præsens adsis ipsa tuis famulis.

Virginibus sacris hic præstat Virgo Maria.
Omnibus hic Sanctis digni celebrantur honores
Omnibus hanc aram Rhaban & ipse dedit.

91. *De Cruce.*

CRVX micat alma Dei, diuino munere plena,
Sanguine quam Christus consecrat ipse suo.
Quam precor adstantes cuncti cunctique sedentes,
Condigna laude semper amate piam.

92. *Item.*

QVI cruce confixus præstauit dona salutis,
Vos corde & carne protegat atque regat.
Consilium prudens tribuat atque vtile verbum,
Actum pacificum, tempus & omne bonum.

93. *Item.*

QVI cruce confixus renouauit sanguine mundum,
Per crucis hoc signum hanc dicet ipse domum.

94. *Item.*

CRVX hæc sancta Dei consignet munera mensæ,
Diuino dono pocula cum dapibus.
Et Pater ipse sedens expenso munere largus,
Sis inopi, semper hospitis esto memor.

95. *Item.*

EN crux alma Dei venerando fulget amictu,
Quæ Saluatoris tincta cruore fuit.
Hanc precor, orate summissi dicite laudes,
A Christo Domino poscite lucis opem.

96. *In cruce Gundramni comitis.*

CRVX quoque certa salus, mundi & concessio regni est,
Perpetuam vitam conferet ipsa pijs.
Nam crucis hoc signum Gundramnus iusserat esse.
Cui Deus omnipotens præmia læta paret.

97. De

Hic sal & corpus, Sanctorum hic pignora sacra,
Exorcismi, oleum, medicina, hic chrisma salutis.

103. *Versus in sepulchro S. Ferrutij martyris.*

Martyris ergo sacri dudum huc transtulit ossa,
Ferrutij Lullus Præsul & Vrbis honor.
Richulphus post hæc, Haistulphus præsul & ipse,
Amplificant aulam ædificant tumulum.
Quorum successor Vilis Rhabanus ad instar
Maiorum hanc arcam condidit & titulum.

104.

Grandis honor Christi cultoribus extat vbique,
Maxime qui pro ipso iam posuere animam.
Horum nam vnus erat Ferrutius almus & aptus
Martyr, cum Albano testificans socio.
Præmia queis Christus tribuit pro sanguine fuso
Æternam vitam & regna superna poli.
Edidit hos versus Rhabanus coactus amore
Sanctorum, omnipotens cui miserere Deus.

105. *Versus ad sepulchrum Sancti Iustini confessoris.*

Presbyter egregius simul & Confessor honestus
Istic Iustinus pausat honorifice.
Quem Otgarius præsul Romana asciuit ab vrbe &
Ecclesiam ædificans ossa sacra hic posuit.
Iste quidem sanctus, quanquam non sanguine fuso
Carne esset martyr, mente tamen fuerat.
Corpora Sanctorum, qui sunt pro nomine Christi
Carne trucidati, condidit & tumulo.
Hinc laudem in terra meruit, atque insuper arce
Cælorum vitam & regna beata simul.
Hos ego Rhabanus versus feci, & precor, vt me
Commendes lector tu precibus Domino.

106. *De cap[s]a quam Isanbertus monachus fecit.*

En arca hæc claustro custodit maxime capsam
Quæ saluatoris pollet honore pio.
Virginis hic Matris conduntur munera sacra,
Quæ Dominum mundi edidit ex vtero.

H Marti-

Martinus Præsul, simul hic Sabaque Eremita,
Princeps & Petrus, pariter martyrque Emeramnus.
En Iesu Christi picta consistit imago,
In capsæ gremio quattuor & Procerum.
Petrus cum Paulo sanctissima Virgo Maria,
Et Michael princeps recte tenent latera.
Hoc opus, hoc etenim iussu confecit Isanbert,
Hoc Rodulph pictor arte manuque dedit.
Ambobus Christus regna tu redde polorum,
Hoc omnes Sancti poscite vos precibus.

107. *Versus in theca Euangelij conscripti.*

HANC thecam ad laudem Christi sic condere iussit,
Rhabanus præsul, seruus & ipse Dei.
In quo & Euangelium sanctum gestetur honeste,
Quando lecturus hoc Diaconus erit.

108.

PRESBYTER & martyr Christi Theodule precamur,
Qui in cælis gaudes cum socijs pariter.
Artifici vt veniam poscas, & dona salutis,
Gratia quod Christi saluet eum arce poli.

109. *In Ecclesia monasterij quod dicitur Clinga hi versus sunt conscripti iuxta primum altare.*

HANC aulam Dominus Saluator consecrat ipse,
Cuius hæc ara pignora sacra tenet.
Sanctus Alexander Papa hic, Vrbanus & almus,
Cornelius, Syxtus sacra locant spolia.
Hos Theodule sacer martyr & Presbyter alme,
Iuxta tuum corpus hic habeas socios.
Qui populum iuuent precibus, placentque Tonantem,
Vt famulos semper protegat ipse suos.

110. *In secundo altare.*

PRINCIPE cum Petro hanc aram Pauloque magistro,
Andrea & Iacob cætus Apostolicus
Ornat, amat multum meritis conseruat & almis,
Deuotisque adstat hic precibus populi.

111. *In tertio altare.*

Alma Dei Genitrix, sanctissima Virgo Maria,
Hoc altare tene atque iuuato prece.
Quod tibi Virginibusque sacris erectum constat & optat,
Semper vt adsitis hic precibus populi.
Cecilia hic maneat, Virgo Agnes, martyr Agatha,
Lioba & Anastasia ac Iuliana simul.

112. *In quarto altare.*

Praecursor Domini, sacer & Baptista Iohannes,
Sanctus Callistus, Et Fabianus, ouant.
Quos tu Christe Deus facias nos ritè iuuare,
Cum precibus sacris atque bonis meritis.

113. *In quinto altare.*

Martinus praesul, Britius Confessor & almus,
Sanctus Germanus Remigiusque pius.
Gregorius Papa hic, Sanctus Benedictus & Abbas,
Ornant hanc aram atque iuuant precibus.

114. *In alia Ecclesia isti versus. In primo altare.*

Hanc aedem sacram Michael Archangelus ornat,
Protegit & seruat, adiuuat atque piat.
Hic Leo Papa manet, hic Marcellinus & almus,
Praxis & Eugenia hic aderunt precibus.

115. *In secundo altare.*

Ecce Dionysius, martyr Laurentius atque,
Vitus & Albanus hunc titulum retinent.
Hunc ornat meritis martyr Bonifacius almus,
Cum precibus sacris huncque Sebastianus.

116. *In tertio altare.*

Quatuor ergo viri scriptores rite probati,
Sancti Euangelij haec loca sancta tenent.

117. *In sepulchro Sancti Theoduli martyris*

Corpora Sanctorum pro Christi nomine passi,
Qui luxum mundi spernere consueuerant.
Pluribus ecce locis venerantur rite sepulta,
Ipsi aderunt parti sat precibus populi.
Quorum praecipuus Teodulus martyr & almus,
Papa cum Alexandro passus in Italia.

Huc Caroli aſſcitus ſtudio atque adductus ab vrbe,
Romana, hic multis pauſat ad auxilium.
Sed vario euentu conſumpſit flamma nefanda,
Domata hæc cuncta, tegmen & Eccleſiæ.
Per pluresque annos combuſtus manſit inepte,
Hic locus, & nullus iam reparauit eum.
Indignus donec Chriſti compunctus amore;
Rhabanus præſul hunc renouandum adijt.
Qui Eccleſiæ hanc ædem ſollers renouauit & aram;
Conſtruxit ſancti corpus & huc retulit.

118. *Hi verſus ſcripti ſunt in Eccleſia Sancti Vuiberti Confeſſoris hoc eſt in abſide Orientali vbi ipſe Sanctus corpore quieſcit.*

HÆc domus alma Dei ſacrata eſt nomine Chriſti,
Cuius relliquias ara dicata tenet.
Præſepis hic pars eſt, & portio ſancta ſepulcri,
Montis oliueti menſaque grata manet.
Diſcipulus Domini Thomas, Simonq; Zelotes,
Cum Iuda Iacobi ſacra locant ſpolia hic.
Scriptor Euangelij Marcus, martyr Bonifacius atque,
Syxtus & Albanus, Ferrutiuſq; manent.
Landebertus amor Pancratius atq; Georgius,
Cum Valentino ecce aderunt ſocio.

119. *In abſide vero Auſtrali iuxta altare Sancti Petri & Pauli hi verſus continentur.*

HOc altare Petrus princeps Pauluſque magiſter,
Cum Sancto Andrea rite iuuant meritis.
Hic Clemens paſtor, Marcellus Papa beatus,
Sanctus Alexander, atque Caliſtus ouant.
Inclytus Vrbanus, Syluester ac Fabianus,
Pontifices ſummi hic vota pia ſuſcipiunt.

120. *Super proximum vero altare in ſiniſtra parte iſti poſiti ſunt.*

HOc altare tenet Stephanus, Laurentius atque,
Leuitæ officio martyrioque ſacri.
Agapitus pariter & Feliciſſimus almus,
Hunc titulum retinent atque dicant meritis.
Hic ouat & Zenon, Vincentius, ambo miniſtri,
Qui fuerant Chriſti, nunc & in arce manent.

121 Su-

121. *Supra dextrum vero altare isti sunt conscripti.*

MARTYRIO insignes Venantius atque Quirinus,
Pontifices clari hunc titulum retinent.
Sanctus Alexander, Cornelius atque beatus,
Rectores summi sedis Apostolicæ.
Hic Isidorus ouat, præsul Theodulus & almus,
Qui Christi testis clarus in orbe fuit.
Maximus Hippolytus, Victor & Candidus ipse,
Cum quater hic denis martyribus aderunt.

122. *In abside vero Aquilonali iuxta aram Dei genitricis hi versus continentur.*

VIRGO Dei Genitrix hanc aram tu ipsa dicato,
Hic tecum maneat Virgineusque chorus.
Agnes, Cecilia, Iuliana & martyr Agatha,
Euphemia, Eutropia atque Pudentiana.
Rufina, Prisca, Emeritaque, & Lioba beata,
Hic adstent votis Brigida & Eugenia.

123. *Cui proximum altare quod in Aquilonali parte consistit, hos versus continet.*

O Benedicte pater, monachorum maxime Pastor,
Hoc altare iuua rite tuis precibus.
Cuthbertus præsul, Arnulphus Episcopus almus,
Hic adsint tecum, nosque iuuent meritis.
Felix Iustinus, Goar & Presbyter almus,
Cum Fortunato hoc simul & faciant.

124. *In dextra vero parte hi versus super altare scripti sunt.*

HOc altare tenet Geruasius atque Prothasius,
Martyrio insignes sicque Sebastianus.
Vitus, Sinizius, Cosmas simul & Domianus,
Gordianus pariter atque Epimachus amant.
Sergius & Bacchus, Prothus simul atque Hyacinthus,
Sanctus Nazarius martyr & ipse pius.

125. *Ad crucem erga altare positam has reliquias continet.*

PArs crucis hic Domini est, qua Christus sæcla beauit,
Portio sudarij chlamydis atque sacræ.
Papa en Gregorius, Martinus præsul & almus,

Ambrosius Doctor atque Medardus ouant.
Maximinus adest, Germanus, hicque Remigius
Virgine cum insigni, & Martyre Anastasia.

126. *In abside etiam occidentali ipsius Ecclesiæ iuxta altare præcursoris Domini, isti versus scripti sunt.*

HIc præco insignis, Christi & Baptista Iohannes,
Scriptor Euangelij atque Iohannes ouat.
Hicque Dionysius, Chylianus martyr & almus
Adstantes orant cum sociis pariter.
Marcellinus adest martyr, & Petrus honestus,
Nereus, Achilles, Priscaque & ipse Aquila.
Romano Marcus Crispino Crispinianus
Adiuncti adsistunt ecce sacris precibus.
Ecce Tiburtius hic præsens cum Valeriano
Cæsarioque simul vota pia accipiunt.
Quapropter moneo cunctos, qui huc rite propinquant
Orandi caussa, vt mente proba hoc faciant.

127. *Ad Fuldam vero Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ in monte sita est, in crypta Orientali has reliquias continet.*

EN montis Sinai, tabularum ac portio sacra
Condita hic Domini est præsepis atque sui.
Hic Sixtus Papa, Magnus, Ianuarius atque
Leuitæ sacri martyrio & validi.
Hermes hic martyr, Quirinus, Sulpitiusque,
Eustratus, Romulus perpete laude manent.
Theodulus martyr, Humbertus præsul & almus,
Cum almo Wigberto hic ouat, & socio.
Virgo Digna sacra hæc pariter & Emerita fulgent
Æquales meritis atque sacris precibus.

128. *In Ecclesia Sancti Iustini confessoris isti versus scripti sunt, hoc est in primo altare.*

HOc altare dicat Christi verè ecce sepulcrum
Virginis & Matris relliquiæque iuuant.
Scriptor Euangelij Marcus, martyr Bonifacius atque,
Martyr & Albanus suscipiuntque preces.

129. *In Aquilonali altare hi.*

HIc Stephanus martyr, martyr Laurentius æque
Sacra locant spolia atque aram retinent.
Sanctus Alexander, Vrbanus Papa beatus,
Seuerus præsul mixta locant spolia.

130. *In Australi vero isti.*

HAnc aram Fabianus habet sanctissimus ecce
Cum Marcellino atque Petro sociis.
Hic ouat Agapitus, martyr Felicissimus atque
Sancta Felicitas martyr & ipsa sacra.

131. *Ad crucem isti.*

ALma crucis Iesu hic portio condita Christi est,
Quo ascendit cælum, pars simul atque loci.
Principis hic Petri, Andreę fratris & huius
Multorum ad vitam pignora sacra manent.
Ecce Tiburtius hic fratre est cum Valeriano,
Adstat Martinus & Benedictus ouans.
Cecilia hic martyr, Lioba & sanctissima Virgo
Vota pia accipiunt atque Deo referunt.

132. *In Ecclesia Sancti Philippi.*

HOc altare tenet in domate rite Philippi,
Relliquias sacras lector honeste lege.
Hic mensæ Domini, hic portio sacra sepulcri est,
Hic Christi ascensus pars veneranda satis.
Hic Michael Princeps turmæ cælestis honorem,
Sortitur sancti atque viri pariter.
Albanus martyr, Bonifacius almus & ipse,
Cum Marcellino hic ouat atque Petro.
Martinus præsul, Benedictus nobilis Abbas,
Gaudent orantes suscipiuntque preces.
Hic quicunque velis grata persoluere vota,
Hoc corde mundo tu rogito facias.

133. *Ad altare in medio Ecclesiæ.*

COntinet hæc ara Sanctorum pignora sacra,
Et Christi Domini munera valde pia.
Nam crucis hic pars est, qua Christus sæcla beauit,

Quo

Quo crucifixus erat Caluariæque locus.
Præcursor Domini manet hic Cyriacus & almus,
Martyr Fabianus & Cyprianus adest.

134. *In dextro altare.*

BIs seni comites venerantur sorte beata,
Hic Iesu Christi, nosque iuuant precibus.

135. *In sinistro altare.*

HIc Genitrix Christi veneratur sancta Maria,
Virginibus sacris associata manet.
Hic Agnes martyr, Iuliana martyr & ipsa,
Cecilia & Lioba, martyr Agatha simul.

136. *In Ecclesia Sancti Saturnini in summo altare.*

HOc templum Domini sacratum est nomine Christi,
Cuius hic dona condita ritè micant.
Præsepis Domini, mensæ simul, atque sepulcti
Ascensusque sui portio sacra manet.
Princeps hic Petrus pollet, Paulusque magister,
Insignesque viri martyrio rutilant.
Ecce Albanus adest, martyr Bonifacius atque,
Nomine pro Christi qui meruere mori.
Pontifices summi Martinus Remigiusque,
Confessorque simul rite Philippus ouant.

137. *In dextro altare.*

EN comites Christi bis seno munere clari
Aram hanc iure dicant atque piant precibus.

138. *In sinistro altare.*

VIrgo Maria Dei Genitrix hoc ipsa dicato,
Altare præsens atque iuuato prece.
Virgineusque chorus pariter lætetur & almus
Hic tecum gaudens adiuuet & meritis.
Cecilia [illegible] hic, Agnes & martyr Agatha,
Lucia cum Lioba & Iuliana manent.

139. *Ad crucem in medio Ecclesiæ.*

PArs crucis hic Domini est, qui summus regnat in arce
Sanguine qui fuso sæcla beauit ouans.

Hic

Hic Michael gaudet, simul & Baptista Iohannes,
Insignesque viri Martyrio placiti.
Hic Sanctus Stephanus, Fabianus cum Cyriaco
Atque Sebastiano martyrio rutilant.
Hic Benedictus ouat, hic Papa Gregorius adstat
Suscipiunt vota atque Deo referunt.

140.

VIRGO Maria Dei Genitix intacta Tonantis
Cum Nato hanc aulam continet atque dicat.
Petrus & Andreas fratres, hic Paulus & almus
Scriptor Euangelij atque Iohannes ouat.
Hic prçco insignis simul & Baptista Iohannes,
Martinus præsul & Bonifacius est.
Leuita hic Stephanus, Laurentius & Cyriacus,
Adsunt cum Albano atque Dionysio.

141.

SANCTVS Maximinus, Germanus, Gregoriusque,
Pontifices clari hic Ferrutiusque manent.
Hic Agnes Virgo pariter & martyr Agatha
Assistunt votis atque piis precibus.
Hos inter Sanctos Cosmæ simul ac Damiani,
Quorum hodie est festum, sacra manent spolia hic.
Ast tales socios, hic quorum membra quiescunt,
Nempe tenent sancti martyrio placiti.
Vnde rogo, vt tantos quæratis ritè patronos,
Qui vobis placidum vultis habere Deum.

142.

HOC altare dicant comites testesque Tonantis
Ornantes meritis atque sacris precibus.
Matthæus & Simon, Thomas ac Bartholomæus,
Cornelius, Sixtus, Sergius atque Bachus.

143

HANC Confessores aram, castæ & mulieres
Consecrant precibus atque bonis meritis.
Hic Augustinus, Hieronymus, Hilariusque est,
*Praxis, Cecilia, Lucia & Eugenia.

*Praxedis.

Hic Fabianus adest,& sua pignora seruat,
Antistes summus martyr & ipse sacer.
Cum quo Sanctus ouat,spoliaque hic alma recondit,
Vir virtute potens ipse Sebastianus.

145.

AGNES nam Virgo hanc aram dedicat alma,
Agnum quæ Christum sponsa Dei sequitur.
Cum qua Cecilia martyr & sancta virago
Assistit precibus ritè iuuando pios.

146.

EN altare tenet hoc Marcellinus honeste
Cum Petro socio consecrat & meritis.
Quos pariter Christus cœlestem duxit ad arcem
Claros martyrio actibus atque bonis.
Ecce locum insignem retinet hunc martyr Agatha,
Commendatque suis ipsa piis meritis.
Lucia quem Virgo, Christi & dulcissima sponsa
Rite colit habitans adiuuat & precibus.

147. *Versus isti sunt scripti in ara capellæ.*

EXPANSIS manibus sic totum amplectitur orbem
In cruce confixus Christus in arce Deus.
Extinxit mortem,confregit sceptra tyranni
Æternam requiem reddidit ipse suis.

HYMNI HRABANO IN EODEM MS. C. ATTRIBVTI.

1. *Hymnus de charitate metro Sapphico factus Pentametro Dactylico.*

ALTAR es,magnumque bonum,salubre
Munus ex alto veniens,supernum
Conditoris maxime ius potentis
Lux pia mundi.
Caritas præclara Tonantis,atque
Ardor,& communio Trinitatis

Cuncta

Cuncta virtus rite regens potens lex
Agmina cæli.
Hæc creaturæ fuit alma origo,
Nam per hanc cælestia condita extant,
Et maris terræque simul reperta
Germina constant.
Hæc Adam primum dedit in se babere,
En Dei exemplar, fieretque imago
Conditoris, præposuitque toto hunc
Conditor orbi.
Hæc Prophetas, & Patri fecit archas
Cum sacro spiramine eos repleuit,
Vt salutarem pie prædicarent
Dogmate Christum.
Hæcque huc descendere fecit ipsum
Filium summi Patris ad medelam,
Vt supernam Terrigenamque plebem
Iungeret auctor.
Hæc pati Christum cruce, hæc flagella,
Sputa, spinas, ferre dedit sepulcrum
Atque victorem fore, deque morte
Surgere fecit.
Hæc Pauli regnum dedit esse apertum,
Christus ex quo celsa petit, sequentes,
Eius & vestigia fecit omnes
Scandere cœlum.
Spiritum sanctum dedit hæc ab arce
Pentecostes, sicque sacrauit
Primitiuum, cum paracletus agmen.
Visitat orbe.
Hæc salubrem dirigit & cohortem,
Primitus Christi comites dehincque,
Prædicatores fidei vt salutem
Mundus haberet.
Martyres cum Virginibus parauit
Ad honorem Regis in arce magni,
Christianam ducit ad astra plebem ad
Gaudia vitæ.
Corpus hæc Christi copulans adunat,

 Mem-

Membra cum membris ſociat valenter.
Membra ſupponit capiti, caput cum,
Corpore iungit.
Ecce hæc dilectio, vera hæc arx,
Summa virtutum, caput & Regina
Plenitudo hæc legis & vtriuſque
Fons bonitatis.
Nemo viuentum ſine hac videbit
Regis æterni faciem, ſed atra
Introibit tartara torret hunc quo
Inferus ardens.
Hancque mandatum vocitat nouum auctor,
Hanc habere eius comites iubebat
Valde, hinc nos hanc babeamus omnes
Pectore puro.

1. *Hymnus de Natale Domini.*

LVMEN clarum rite fulget
Orto magno ſidere
Quod per totum ſplédet orbem,
Vmbras noctis aufugans,
Christo nato Rege magno,
Totus orbis gaudeat.
Dux de Iuda, quem Propheta
Olim iam prædixerat,
Lætus nobis ecce venit,
Bethlem naſcens inclyta.
Christo nato Rege magno,
Totus orbis gaudeat.
Hunc regalis Virgo Mater,
Partu gaudens edidit.
Quem Gabriel nunciauit,
Saluatorem gentium.
Christo nato &c.
Cum Paſtores excubantes,
Cura mordet nam gregis.
Clarus ipſos ad lætandum,
Exhortatur nuncius.
Christo nato &c.
Concinebat Angelorum,
Turba læta laudibus.
Terræ pacem prædicantes,
Cęlo reddunt gloriam.
Christo nato &c.
O ſtupendum mirandumq;
Sacramentum gloriæ.
Quod Tonantem ſupra cuncta,
Virgo geſtat paruula.
Christo nato &c.
Factor cæli, terræ factor,
Fulua eſt clauſus fæminæ.
Auctor ſummus Angelorum,
Fit præſepe conditus.
Christo nato &c.
Palmo cælum qui metitur,
Terram claudit * pugili.
Pannis paucis obuolutus,
Infans vagit paruulus.
Christo nato &c.
Quæ diuiſit lucem ab vmbris,
Summi primum dextera.

* pugillo.

Mani

Matris mammas ecce tractat,
Lactis potum quæsitans.
Christo nato &c.
Os præclarum Conditoris,
Quod formauit sæculum.
En admotum nunc libenter,
Sugit matris vbera.
Christo nato &c.
O beata mater Christi,
Dauid stirpis fæmina.
Tu laus orbis & Regina,
Læta virgo Maria
Christo nato &c.
Votis adsis tu piorum,
Omne seruans sæculum.
Patriarchis & Prophetis,
Laus corona gloriæ.
Christo nato &c.
*Ecce sperant lætabunda,
Angelorum agmina.
Christi plebem quod gubernes,
Arcanorum conscia.
Christo nato &c.
Nam te Virgo cælebs nupta,
Sexus omnis appetit.
Tu parentes atq; natos,
Deprecando protege.
Chisto nato &c.
*Gaudet cælum cum supernis,
Angelorum millibus.
Omnis terræ plenitudo,
Pontus, astra, flumina.
Christo nato Rege magno,
Totus orbis gaudeat.

3. *Hymnus de natale Innocentum.*

CArmina psallere voce lyra,
Edere tūc iuuat arte melos,
Quomodo lactea turba perit,
Principis impiè cæsa dolo.
Ipsaque sanguine tincta suo est.
Ast vbi se furiata lues,
Excitat, inque necem Domini,
Prouocat inuida corda ducis.
Concitè mittere cogit eum,
Sternere & agmina plura nece.
Ceu leo nam fremit in facinus,
Cuius ab ore tener subito,
Effugit agnus in arua procul.
Vertit in innocuū arma gregem,
Atterit, excruciat, lacerat.
Sic Herodes stimulante chao,
More lupi furibundus, amens.
Paruula millia strage dedit,
Turgidus, horridus atque ferox,
Christus & arma nefanda vitat.
Quis tibi tunc lanio ardor erat,
*Talia cum quoq; prospiceres.
Pectore, quosue dabas gemitus,
Cum puerilia membra secans.
Matribus ipse lugere dabas.
Dux bonus, arbiter egregius,
Sanguine pasceris innocuo.
Corporibus minimis inhians,
Viscera sobria dilaceras.
Gaudia mors aliena dabit,
Ergo age tortor, adure, seca.
Diuide membra coacta luto,
Soluere rem fragilem facile est.
Non penetrat dolor interius,
Mentis in arce manet Dominus.
Hic funeris quia caussa fuit,
Præmia his super astra dabit.
Tu quoq; mortis amator amens,
Mortis in extima iure cadis.
Et gemitum sine fine dabis,
Cedat amor lacrymantum hominū.
Qui celebrare suprema solent,

* MS san-gall. Ex te.

* Gaude.

Flebile cedat & officium.
Martyribus quia regna patent,
Gaudia perpetuoque manent.
O socij sine fine Deum,
Carmine iam resonemus eum,
Qui sua munera rite dedit.
Nostra libenter & ipse canit,
Christus & optimus hic Deus est.

4. *Hymnus de Epiphania.*

EN cæli rutilant lumine splendida,
Testantur Dominum nascere paruulum.
Qui format minima,& creat ardua,
Regni sceptra tenens est Deus atque homo.
Duxit stella Magos mystica quærere,
Regis pacifici rite cunabula.
Quem Iudæa tenens orbis in vltima,
Diffusis radijs nunciat inclyta.
Herodes capiens impius auribus,
Quod Rex hic fuerat natus in vrbibus.
Iudææ,hunc citius quærere præcipit,
Tristis,moxque neci tradere destinat.
Inuentus Dominus indice sidere est,
In Bethlem pariter cumque parentibus.
Cui mox ergo Magi munera deferunt,
Thus,myrrham,aurum ab Ophir,regi,homini,Deo.
Hanc trux ipse licet sæuiat horride,
Herodes iubeat cædere paruulos.
Regnum ritè suum firmiter vndique,
Seruatur,Domino corruit inuidus.
En est ista dies munere nobilis,
Baptismo hæc Domini nobils extitit.
Quod vinum Dominus fecerat ex aqua,
Commendat placidè hæc sacra dogmata.
Gaudemus pariter mentibus en precor,
Quod nobis Dominus,hic pius aduenit.
Quod nostra voluit munera sumere,
Quod Baptisma dedit,pocula contulit.
Nam Rex Christus adest,orbis & arbiter,
Lux de luce pia & pater omnium.
Qui nos ad patriam ducat & optimam,
Et vitæ faciat gaudia metere.

5. *Hymnus In Epiphania.*

VENIT Deus factus homo,
Exultet omnis natio.
Cælum dedit sidus nouum,
Apparet auctor omnium.
Magi ferabant munera,
Primi Legati gentium.
Quæ cum sacro mysterio
Signant latentis gloriam.
Aurum potentis regmina,
Numen sacrum thus indicat,
Carnemque myrrha mortuam,
Mundi piantem machinam.
Herodes hostis inuidus,
Ignorat hæc trucissimus.
Christus saluti gentium,
Quæ sic ministrat prouidus.
Iesu precamur optime,
Tu nos benignus dirige.
Prompti feramus quod tibi,
Laudis sacrata munera.

6. *Item alius.*

CHRISTVS Redemptor plebiũ
Baptisma consecrat nouum.
Venite cuncti criminum,
Lauare sordes omnium.
Iordanis amnem dedicat,
Saluator vndas expians.
Fontes abyssi flumina,
Consecrat orbis artifex.
Fletus amaros fundite,
Mentis secrata pandite.
Salsæ per ora lacrymæ,
Dulcem salutem præparent.
Fex nulla nos coinquinet,
Mortis vetustæ portio.
Sed lucis alma mansio,
Vitam perennem conferat.

7. *Hymnus dicendus in Pascha Domini.*

CANTEMVS Dominus Deoque nostro,
Fratres vnanimes probas verenter.
Laudes ex animo pio canentes,
Nunc Paschalia festa cum tenemus:
Surrexit quia Christus à sepulcro
Conlætetur homo choro Angelorum.
Agnus nempe sacer Patres de Ægypto,
Olim eduxerat edito cruore.
Et nunc sanguine Christus à tenebris,
Infernalibus ipse nos redemit.
Surrexit quia &c.
Qui sicut populum tulit priorem,
Per rubrum mare hoste ibi interempto.
Sic baptismate nosque liberauit,
Submerso Zabulo vnda passionis.
Surrexit &c.
Nam Iudæa fremens necem parauit,
Christo inferre crucis dolo magistro,

Quam ſedare nequit pia medela,
Nec verbi ſtudium boni parentis.
Surrexit &c.
Prendunt arte noua prodente alumno
Doctorem manibus trahunt ligando
Tradunt Pontifici dein tyranno,
Inſontem vt cruciet, pium ac flagellet.
Surrexit &c.
poſtquam dant alapas, vomunt ſaliuam,
In ſacram faciem, & caput coronant
Spinis, in cruce hunc repente figunt,
Potum, fel dederant, latus terebant.
Surrexit &c.
Emittens animam chaos penetrat,
Chriſtus mortis ouans fugans tenebras
Iuſtos eripuit, ligauit hoſtem,
Donans aſtra piis, dolorem iniquis.
Surrexit &c.
Surgit diluculo à ſopore mortis
Saluator placide Angelo miniſtro
Cuſtodes pauitant, pij reſultant,
Gaudent diſcipuli, inuidi dolebant.
Surrexit &c.
Cognoſcit Maria ex ſono magiſtrum,
Thomas perque latus Deum reclamat,
Flagrans ritè Petrus adit ſepulcrum,
In monte Dominum vndecimque adorant.
Surrexit &c.
Quid Iudæa furis Deo reluctans
Fingens arte ſcelus dolo reperto
Furatum crepitans, qui ouat coruſcans,
Qui mundum reparat, Sathan trucidat.
Surrexit &c.
Laudant aſtra poli mare ſolumque,
Gaudentes Dominum viuere Chriſtum,
Triſtis ſola doles iniqua fingens
Conſors Dæmonum particeps gehennæ.
Surrexit quia Chriſtus à ſepulcro,
Conlætetur homo choro Angelorum.

3. In

8. *In ascensione domini ad Vesperum.*

ADEST dies sanctus Dei,
Claro resplendens lumine.
Quo victor ad cælos potens,
Rex Christus exultans petit,
Quem turba tunc cum laudibus
Fortem resultans prædicat.
Regem triumphantem sequens
Intrat polorum ianuas.
Hoc tunc videntes Principes
Hinc obstupescunt protinus,
Quis sit Tonans, interrogant,
Tanti Ducis hic transitus.
Reddunt quibus mox præuia
Hæc angelorum tum agmina,
Rex gloriæ fortis, potens
Est iste virtutum Deus.
Claustra ast patent mox omnia,
Gaudent in alto millia,
Christum sedentem cum vident
Lætum superna gloria.
O Rex supernæ gloriæ,
Qui patris in dextro sedes,
Tu nos vide clemens tuos
Nunc deprecantes seruulos
Da spem, fidem & catholicam,
Da caritatis munera,
Grates pias ritè vt tibi
Reddamus omni tempore.

9. *Hymnus ad Matutinum.*

FESTVM nunc celebre magnaq; gaudia
Compellunt animos carmina promere,
Cum Christus solium scandit ad arduum
Cælorum pius arbiter.
Conscendit iubilans lætus ad æthera,
Sanctorum populus prædicat inclytum,
Concinnit pariter Angelicus chorus
Victori bene gloriam.
Qui ascendens superos vincula vinxerat,
Donans Terrigenis munera plurima,
Districtus rediet arbiter omnium,
Qui mitis modo transiit.
Oramus Domine conditor inclyte,
Deuotos famulos respice protegens.
Ne nos liuor edax dæmonis obruat,
Demergat vel in inferos.
Vt cum flammiuoma nube reuerteris,
Occulta hominum pandere iudicans,
Non des supplicia horrida noxiis,
Sed iustis bona præmia.
Præsta hoc Genitor optime maxime

Hoc tu Nate Dei & bone Spiritus
Regnans perpetuo fulgida Trinitas,
Per cuncta pie sæcula.

10. *Hymnus in Pentecosten.*

VENI creator Spiritus,
Mentes tuorum visita.
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui Paracletus diceris,
Donum Dei altissimi.
Fons viuus, caritas,
Et Spiritalis vnctio.
Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus.
Tu rite promissum patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus.
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpetim.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus.
Ductore sic te præuio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus, da, patrem,
Noscamus atque Filium.
Te vtriusque spiritum,
Credamus omni tempore.
Præsta hoc pater pijssime,
Patrique compar vnice.
Cum Spiritu Paracleto,
Regnans per omne sæculum.

11. * *Hymnus de Natale Christi.*

GRATVLETVR omnis caro,
Nato Christo Domino.
Quia culpa Protoplasti,
Carnem nostram induit.
Vt saluaret, quos plasmauit,
Deus Sapientiæ.
Magnam valde commendauit,
Per Iohannem gratiam.
Baptizatus in Iordane,
Lauit mundi crimina,
Vt credentium purgaret,
Gentium piacula.
Verbum Patris caro factum,
Nascitur ex Virgine.
Non amisit Deitatem,
Formam serui accepit.
Vt peccatum de peccato,
Damnaret Omnipotens.
Quem vox paterna vocauit,
Ecce meus filius.
In quo sibi complacuit,
Cæli terræ Dominus.
Ipsi gentes obedite,
Regesque subdimini.

12. * *Hymnus in Purificatione Sancta Maria.*

QVOD chorus vatum venerandus olim,
Spiritu sancto cecinit repletus
In Dei factum Genitrice constat
Esse Mariam.

Hæc

Hæc Deum cæli Dominumque terræ
Virgo concepit, peperitque Virgo
Atque post partum meruit manere
Inuiolata.
Quem senex iustus Simeon in vlmis
In Domo sumpsit Domini gauisus,
Ob quod optatum proprio videret
Lumine Christum.
Tu libens votis petimus precantum,
Regis æterni Genitrix faueto.
Clara quæ celsi retinens Olympi
Regna petisti.
Sit Deo nostro decus & potestas,
Sit salus perpes, sit honor perennis.
Qui poli summa residet in arce
Trinus & vnus.

13. *Item hymnus in solemnitate Sanctæ Mariæ.*

*Fit porta Christi peruia,
Referta plena gratia.
Transitque Rex, & permanet,
Clausa vt fuit per sæcula.
Genus superni numinis,
Processit aula Virginis.
Sponsus, Redemptor, Conditor
Suæ Gigas Ecclesiæ
Honor matris & gaudium,
Immensa spes credentium
Per atra mortis pocula
Resoluit nostra crimina.
Deo Patri sit gloria &c.

14. *Hymnus de sancto Michaele archangelo.*

Christe sanctorum decus Angelorum
Rector humani generis & *auctor *altor.
Nobis æternum tribue benignus
Scandere regnum.
Angelum pacis Michael ad istam
Cælitus mitti rogitamus aulam,
Nobis vt crebro veniente crescant
Prospera cuncta.
Angelus fortis Gabriel vt hostem
Pellat antiquum, volitet ab alto
Sæpius templum veniens & istud
Visere nostrum.
Angelum nobis medicum salutis

Mitte de cælis Raphael, vt omnes
Sanet ægrotos, pariterque noſtros
Dirigat actus.
Hinc Dei noſtri Genitrix Maria
Totus & nobis chorus Angelorum
Semper aſſiſtat, ſimul & beata
Concio tota.
Præſtet hoc nobis Deitas beata
Patris & Nati, pariterque ſancti
Spiritus, cuius reboat in omni.
Gloria mundo Amen.

15. *Hymnus de natale Domini.*

* GLORIA Deo
In excelſis hodie
Cæleſtis primum
Cecinit exercitus
Pax Angelorum
Et in terra vocibus
Vera deſcendit.
Hodie cæli
Facti ſunt melliflui
Et mare dulces
Vndas blandi gurgitis
Æquauit lento
Reſpirante ſibilo
Flatu ſereno.

16. *Hymnus ad Sanctum Michaëlem.*

* Tibi Chriſte ſplendor Patris

Vide officium Romanum

Variat in quibusdam locis in carmine:

VITA, virtus cordium. 1
Vita ac virtus cordium.
2 Mundo corpor & corpore
Mundos corde corpore.
3 Paradiſo redde tuo, variat tua
4 Qui trinus & vnus Deus.
Qui Deus trinus & vnus.

17. *Hymnus de Sancto Petro & Paulo.*

* Aurea luce & decore roſeo,

Vide officium Romanum. in fine hæc additur ſtrophe.

OLIVÆ binæ pietatis vnicę,
Vide deuotos ſpe robuſtos maxima
Fonte repletos caritatis geminæ
Poſt mortem carnis impetrate viuere.
Sit Trinitati &c.

18. *Hymnus in natale Sancti Ioannis Bapt.*

PRÆCO præclarus, ſacer & Propheta,
Regis æterni paranymphus almus.

Voxque clamentis Domino potenter
Dirige callem.
Qui Redemptorem digito notasti,
Rite tollentem scelus omne mundi
Intimans agnum pietate cunctum
Soluere mundum.
Tuque sensisti reboare patrem
Spiritum supra volitare sanctum
Dum Redemptorem meruisti in vndis
Tingere Christum.
Teque splendentem fieri lucernam
Angelo teste decus & Heliæ
Credimus natum prece hodierna
Quem colit orbis.
Ecce poscentem pie cerne plebem,
Facque regnantem benè nos parentem
Sorte clementi numerare luci
Sumere vota.
Angelus cum tu vocitaris alti
Iure formantem rogita Tonantem,
Quatenus Sanctis sociemur astris
Arce polorum.
Hocque tu præsta Genitor superne
Nate supremi dato hoc Redemptor
Spiritus Rector tribue precamur
Omne per æuum.

19. *In natale Apostolorum Petri & Pauli.*

SANCTORVM pariter promite Principum,
Natalem socij psallite laudibus
Insignemque triumphum gaudentes sonitu date.
Hoc poscit vtique inclyta gloria
Tantorum comitum Regis & optimi,
Cum quo lucis in arce læti perpetuo manent.
Nam Petrus titulum erigit arduum,
Cum pro laude Dei clauiger ætheris
Exultat generosus cæli regna potens tenens.
Cuius perpetuus extat & inclytus,
Paulus nam socius, Doctor & optimus,

Christi vas pretiosum & Rector populi Dei.
En quos iste vocat, ille supra locat,
Quos Paulus adhibet, hos Petrus inserit,
Christi testis vterque est, cæli ciuis & incola.
Christum morte crucis nam sequitur Petrus,
Cum cæsus capite Paulus & horride est,
Victores caput vnum ambo rite tenent Deum.
Nos horum precibus Christe piissimis
Te dones citius poscere cælitus,
Absit quod scelus omne & cuncta veniant bene.
Immunes manibus simus & actibus,
Sensum corde pium confer & optimum,
Vt te ritè colentes cernamus Dominum greges.
Cuius orbis honor, cuius & æthera,
Cuius vita salus, & bona maxima,
Est cui nomen in æuum regnum perpetuum simul.
Sit Patri ingenito gloria maxima
Sit Nato pariter consona gloria,
Cum flatu simul almo per cuncta piè sæcula.

20. *Hymnus in laudem Sancti Bonifacij Martyris.*

INCLYTA Sanctorum cum gloria crescit vbique.
Et meritom splendor fulget in orbe soli.
Asia magnificat Iacobum, Ausonia quoque Petrum,
Iohannemque Ephesus, Africa Cyprianum.
Non minus exaltans celebrat Germania laudes,
Et Bonifacij opus martyris almificum.
Ordinat hunc Roma, mittitque Britannia mater
Doctorem populis hoc decus Ecclesiæ.
Pontificem summum signorum fulmine clarum,
Eloquio nitidum moribus egregium.
Tanta prophetalis quem gratia fulcit honoris,
Ventura vt multa retulit vti noua.
Quem Francos Fresoque simul Saxoque ministrum
Æternæ vitæ prædicat esse sibi.
Quanquam Fresonum gens moribus effera semper
Martyris ergo manus sanguine polluerit:
Prædixit Christi sed vox verissima, quod nunc

Cernitur impletum pluribus esse locis.
Quod terra moritur, frumentum plurima confert
Semina, fructumque multiplicare studet:
Sicque sacerdotis Domini lætissima crescit
Paucis ex granis glorificanda seges.
Mortuus ecce modo viuensque solebat vt ante
Lucratur Christo agmina multiuaga.
Signa mouent populos, cernent magnalia cæci,
Surdorumque sonus auribus ipse tonat.
Morborum fugiunt labes, furor impius atri
Dæmonis absistit Martyris ex precibus.
Sicque tuum famulum Christus ditauit honore,
Vt regnet cælo, imperet atque solo.
Multorum æternas Dominus dat crescere laudes,
Quos fidei meritum fecerat esse sacros.
Sed merito Ecclesiæ laudantur in orbe magistri,
Quos opus & verbum præparat atque fides.
Ergo vir iste Dei spernens mundana reliquit,
Pro Christo cuncta qui meliora daret.
Centuplicemque metens fructum hic accipit amplum,
Insuper æternam possidet & requiem.
Dignus quidem laude es, vitam sine crimine ducens,
Qui æui sic metas clauserat & numeros.
Accola iam Domini sæuum iam vicerat hostem,
Cum Christo regnat accola nunc Domini.
Gaudia magna Dei iam intrauit lætus, & ille
Inuitat vos ad gaudia magna Dei.
Sanguine nempe suo requiem sibi comparat almum,
Imperat hanc nobis sanguine nempe suo.
Martyrio decorat, quidquid Germania nutrit,
Et proprio sobolem martyrio decorat.
O patria, ô populus tanto ditata patrono,
Per quem vita venit, ô patria, ô populus.
Dignaque quæ fueras ô terque quaterque beata,
Præsule hocque regi dignaque quæ fueras.
Gloria digna Deo, talem qui illum dedit esse,
Quique dedit nobis, gloria magna Deo.
Gloria magna Deo semper, per sæcula cuncta:
Dicamus omnes, Gloria magna Deo.

21. *In natale Sancti Andreæ Apostoli.*

NOBIS ecce dies ordine congruo,
Venit nunc celebris, clarus, amabilis.
Quo Victor super alta
Scandit properè sidera.
Andreas Domini sanctus Apostolus,
Germanusque Petri Principis inclyti.
Princeps ipse virilis
Consors martyrio fuit.
Dum Christum comites gressibus & pares
Exæquant pariter, dogmata colligunt
Eius, morte sequuntur
Et vestigia per crucem.
Piscator fuerat Petrus & Andreas,
Post ambo rapiunt orbis & agmina,
Vastant æquora mundi,
Ad regna atque trahunt poli.
Laudem ritè crucis fortiter expetunt,
Dum Christi crepitant de cruce gloriam,
Cæli regna capessunt,
Vitam de cruce colligunt.
Andreas vtique conspiciens crucem
Exclamat subitò taliter intonans,
Salue sancte triumphus
Christi perpetuus honor.
Me nunc tu famulum suscipe cernuum,
Quæ dudum Dominum extuleras pium.
Tu nunc redde magistro,
Quæ me exquisieras Deo.
Huius nos precibus Christe pijssimis
Absolue, petimus, ipse reatibus
Luci trade redemptos
Purgans sanguine noxios.
Da mentem sobriam, sic regis aduenam,
Da stamen operis de fece corporis,
Intus, foris, vbique
Tu nos inclyte protege.
Præsta hoc Genitor optime maxime

Hoc

Hoc tu Nate Dei & bone ſpiritus.
Regnans ſolus in arce,
Per cuncta pie ſæcula.

22. *Hymnus de conf. metro Sapph.*

SANCTE Confeſſor meritis beate
Cerne deuotum tibi congregatum
Mentibus cœtum reſonare cantum
Voce canorum.
Qui tuum gaudet celebrare feſtum,
Quo ſacer lethum viceras amarum.
Corporis clauſtra reſerans eundo
Victor ad aſtra.
Vnde nunc præſens pie te rogamus,
Iudicem pulſes precibus ſacratis.
Quatenus noſtri miſerando clemens
Sit memor auctor.
Detque nos ſemper ſibi corde fidos,
Actibus gratis ſatis & placere
Omnis & noxæ veniam mereri
Ipſe Redemptor.
Hoc Pater ſancte precibus beati
Annuas, tecum tuus atque Natus
Almus & flatus tribuat precamur
Trinus & Vnus.

23. *Hymnns de Sancto Marcellino & Petro Martyribus.*

CLARAS laudes ac ſalubres poſco fratres dicite,
Quas proferre cogit apte nunc Sanctorum gloria.
O victores glorioſi his ouate laudibus.
Quot virtute Regis almi fortes vidi Martyres?
Marcellinus atque Petrus iam vicerunt ſæculum.
O victores glorioſi &c.
Quos arx orbis & Regina Roma quondam protulit,
Ipſa miſit ad ſupernum Regis Chriſti ſolium.
O victores &c.
Exorciſta Petrus extat, Marcellinus Preſbiter,
Plebem ſacram conuocantes ambo Chriſto præparant.
O victores &c.

Verbo curant ac medelam ægris præbent artubus
  Ex insanis foras arcent vim horrendam dæmonis
  O victores &c.
Qui torquentur, cæsi flagris, exarantur vnguibus,
  Vincti tetro hi catenis includuntur carcere.
  O victores &c.
Nam in cippo Petrus arcto, Marcellinus crustulis,
  Fracti vitri decubando toto nudus corpore.
  O victores &c.
Iudex ater quos serenus certat pœnis vincere,
  Illi laudes valde dignas Christo Regi personant.
  O victores &c.
Qui de cœlis misit ipsis mox solamen Angeli
  Vt de vinclis liberati, quoquo vellent, pergerent.
  O victores &c.
Ipsi vero roborati confortati Martyres
  Post sereno iam parati præsentari festinant.
  O victores &c.
Tunc serenus turbulentus valde iratus præcipit,
  Vt in silua tracti foras truncarentur candida.
  O victores &c.
Quo profecti gratulantes celsa scandunt sidera,
  Laudes illic sempiternas Christo dicunt principi.
  O victores &c.
Hoc Hymnista carmen offert pauper vobis Martyres:
  Qualecunque sit tenete, Seruus vester obtulit.
  O victores gloriosi his ouate laudibus.

24. *Item versus de iisdem mart.*

SALVATOR mundi qui cœli sceptra gubernas,
  Imperio & dominans cuncta regis proprio.
Adsis propitius, seruorum atque annue votis,
  Tu miserans præsta, quæque rogant famuli.
Martyribusque tuis hoc addas iustus honore
  Reddere quod possint munera larga suis.
Hos Christi testes Romana asciuit ab vrbe
  Vir probus Ainhardus constituitque locum.
Cuius successor perfecta Presbyter aula
  Ratlaicus Sanctis condidit hunc titulum.

Quos

Quos tu Christe Deus æterna in sæcula serua,
Cumque tuis Sanctis præmia redde * poli his.

* polis.

ANTE sæcula & mundi principium
Tu Pater sancte genuisti filium,
Qui tecum regnat cum sancto spiritu,
Nouem fecisti ordines Angelicos.
Aspice Deus de supernis sedibus,
Quos Deudofredus condidit,*versiculos
A mundi principio à protoplasto
Vsque in nouissimo.
Adam plasmatus prima ætas incipit,
Quem Draco ille fraudulenter decepit,
Per Euæ gustum de ligno inlicito
Et expelluntur ambo de paradiso.
Bellum crudele inter duos geritur,
Cain occidit Abel sine gladio,
Ipse commisit primus homicidium,
Cuius origo innocentem sequitur.

* de sex ætatibus.

Versus de Annuntiatione Mariæ.

ANGELVS Domini venit ad Virginem,
Aue Maria Dominus tecum est,
Beata Virgo & Dei Genitrix.
Beata Virgo & Dei Genitrix,
Quæ meruisti portare Dominum.
Beata &c.
Casta est enim semper Virginitas,
Quam superuenit cœlestis gratia.
Beata &c.

DEVS orbis reparator, lux æternæ gloriæ,
Mihi quæso pœnitenti præbe pius veniam,
Vt admissi delitescant facinoris cumuli,
Quorum graui mole cogor anxiari spiritu,
En ad vltima cælorum non sum dignus sidera
Infelices pro delictis subleuare oculos,

Nisi tu clemens mearum lacrymarum riuulos,
Ope tuæ pietatis digneris respicere.

SVRREXIT Christus à sopore dormiens,
Pronus adfixus suscitauit mortuos.
Morte redemit hominem, quem condidit,
Iudas tradidit Redemptorem sæculi.
Inde accepit falsitatis pretium,
Ipsum reiecit, se suspendit laqueo.
Iudæi ergo comprehenderunt Dominum,
Et flagellatum duxerunt in prætorium.
Et coronatum duxerunt ante Præsidem,
Pilatus præses inquirebat crimina.
Nihil inuenit in eo facinoris,
Christus tacendo Adam de morte liberans.

TERTIO in flore mundus,
Adhuc dum pubesceret.
In decore iuuentutis,
Sæculum pulchresceret.
Atque prolem subter omnes,
Late cæli cardines.
Germinando pullularet,
Humana feliciter.
Natus est homo in mundum,
Patriarcha nobilis,
Abraham Dei amicus.
Puer fidelissimus,
Ebræa aurea de stirpe.
Oriundus extitit,
A quo cæpit Ebreorum.
Diffamari populus,
Gloriam dicamus cuncti,
Sempiterno Domino.
Qui nos sua pietate,
Fecit esse cælibes,
Simul quoque iubilemus,
Laudem vnigenito.
Atque sancto paracleto,
Nunc perenne sæculum.

SOPHIA Patris
Christe magister
Munera linguæ
Dulcia nostræ
Da Deus auctor
Rexque Redemptor
Semina verbi
Sparge per orbem
Gentibus vt te
Ritè canentes
Laudibus ornent
Lucis amator
Psallite summo
Psallite Regi,
Psallite Iesu.
Psallite Christo,
Psallite viuo.
Psallite vero,
O sanna in altis.
O sanna in astris,
O sanna in aruis,
O sanna in vndis,
O sanna in istis,
O Deus odis.

O san-

Gloria Patri,
Gloria Nato.
Gloria sancto,
Spritui, qui es.
Summa potestas,
Sanctaque virtus.

25. *Hymnus Columbani ad Andream Episcopum De obitu Caroli.*

A Solis ortu vsque ad occidua,
Littora maris planctus pulsat pectora
Heu mihi misero.
Vltra Marina agmina tristitia,
Tetigit ingens cum mœrore nimio.
Heu mihi misero.
Franci Romani atque cuncti creduli,
Luctu punguntur & magna molestia.
Heu mihi misero.
Infantes, senes, gloriosi præsules,
Matronæ plangunt detrimentum Cæsaris.
Heu mihi misero.
Iam iam non cessant lacrymarum flumina.
Nam plangit orbis interitum Caroli.
Heu mihi misero.
Pater communis orphanorum omnium.
Peregrinorum, Viduarum, Virginum
Heu mihi misero.
Imperatorem iam serenum Carolum,
Telluris tegit titulatus tumulus.
Heu mihi misero.
Christe cælorum qui gubernas agmina,
Tuo in regno da requiem Caloro.
Heu mihi misero.
Hoc poscunt omnes fideles & creduli,
Hoc sancti Senes, Viduæ & Virgines.
Heu mihi misero.
Spiritus sanctus qui gubernat omnia
Animam suam exaltet in requiem.
Heu mihi misero.
Væ tibi Roma Romanoque populo,
Amisso summo glorioso Carolo.

Heu mihi misero.
Væ tibi sola formosa Italia
Cunctisque tuis tam honestis vrbibus.
Heu mihi misero,
Francia diram perpessa iniuriam,
Nullum iam talem dolorem sustinuit.
Heu mihi misero.
Quando augustum facundumque Carolum,
In Aquisgrani glebis terræ tradidit.
Heu mihi misero.
Nox mihi dira iam retulit somnia,
Diesque clara non adduxit lumina.
Heu mihi misero.
Quæ cuncti orbis Christiani populi,
Vexit ad mortem venerandum Principem.
Heu mihi misero.
O Columbane stringe tuas lacrymas,
Preces effende pro illo ad Dominum.
Heu mihi misero.
Pater cunctorum misericors Dominus,
Vt illi donet locum splendidissimum.
Heu mihi misero.
O Deus cuncte humanæ militiæ,
Oque cælorum, infernorum Domine.
Heu mihi misero.
In sancta sede cum tuis Apostolis,
Suscipe pium, ô tu Christe, Carolum.
Heu mihi misero.

26. *Hymnus de Charitate.*

ALMA, vera ac præclara, indiuisa Caritas,
Quam qui habet, Deum amat diligitque proximum.
Qui non habet, nullum auget incrementum veniæ,
Bellua sæua truculenta nempe auaritia.
Quæ in æuum secum trahit sibi consentaneos
Ad inferna tenebrosa, vbi pœnas sentiant.
Caritatem vocitauit dilectus Apostolus,
Deum verum, summum, iustum, omnia qui condidit,
Quem qui timet, ipse habet caritatis vinculum
Dira fames, duplum malum, est cupido pessima,

Dimit-

Dimittendi & augendi semper erit anxia,
Ipsa namque & Gehenna, nunquam dicunt, sufficit.
Ex radice caritatis cuncta bona prodeunt,
Namque lingua Angelorum simul atque hominum,
Huic sola comparata, quę est mater omnium.
Fera fallax, fætor malus, hæc est auaritia,
Quæ est tristis & rugosa & intollerabilis,
Ipsa sibi nulli fratrem confert adminicula.
Grata, læta, & alacris virtus ista maxima,
Credit amat atque sperat, omniaque sustinet,
Patienter cuncta gestans laxat nostra crimina.
Heu quam dolenda nimis hæc est inanis stipula,
Semper stridens atque mordens frendensque in labijs.
Quæ nec sibi miseretur, nec succurrit alijs.
Ille namque caritatis sequitur vestigia.
Qui & fratres amat, propter Dominumque in proximo,
Veneratur, vt lex docet diligendo iugiter.
* Kalips item infernalis est auarus Clericus, *Chalyps.
Qui Exempla scripturarum conuertit in vitium.
Quod nec Paulus inter Sanctos nominari censuit.
Lætum tamen largitorem ipsum amat Dominus,
Qui alacris semper suum impertit pauperibus,
Eius namque iustitiæ permanent in sæcula.
Malè verò distributa ipsum amat Dominum:
Quando ore murmuranti, corde quoque dolenti,
Dat tamen, sed iam non erit summo Deo placita.
Nutu Dêi felix homo conlætatur fratribus,
Misellinis & pupillis, egenis & orphanis,
In his sæpè susceperunt viri celsi Dominum.
Olim iamque extitisse sacræ ferunt paginæ,
Quod nec vllus puto latet pauperem & diuitem.
Quos qui vult considerare, ...
Pauper felix collocatur sinu summo Abrahæ
Patriarchæ, glomeratur, decos sanctis ædibus,
Diues verò catenatus mancipatur ignibus.
Quare frater Christiane tale post exitium,
Es immemor vtrorumque æternale præmium.
Qui propter vitam istam paruam capis tuum meritum,
Rex æternus, Rector Regum legumque dispositor.

Ipse

*reddit. Ipse *reddo cunctis æquum pro factis & meritis,
Quæ post huius sæcli noctem nos in imo penetrant.
* sanctæ spei. Sana fide sancte * homo intende sagaciter,
Quia cessant fides atque ipsa spes in vltimo,
Læta tamen hæc in æuum clara regnat Caritas.
Toto nisu ô beata Caritatis viscera
Semper mente retinete, semper ore promite,
Et tam dictu atque factu proximis impendite.
Σάλπιγξ tuba. Viua tuba * salpinx sancta & sanctarum agmina
Hæc exemplis verbis sacris cecinerunt populis,
* possedere. Vnde regna semper læta * capessere patriæ.
Xpe faue votis Iesu Regum Rex & Domine
* sequere. Trahe ad te, qui te volunt Caritate * sequier
Quia tu es vita luxque viaque perpetua.
Ymnum tibi nunc cantamus sacra sancta Caritas,
Quia tu es benedicta celsa scandens æthera,
Quæ est omen atque nomen Dei Patris gloria.
Zmaragdo luces pulchrior, omni gemma clarior.
Nitor splendens, super æthra sedens alto solio,
Fac vt tecum Caritate regnemus in gloria.

1. *Epitaphium Hiltibrati Episcopi.*

PONTIFICIS clari hic requiescunt membra sepulti,
Hildibrath dicti nempe Dei famuli.
Francia quem genuit mater, quem Fulda nutriuit,
Delectu & Patrem hunc sibi constituit.
Nam Præsul post hic humili moderamine factus,
Iugiter extersit crimina cum lacrymis.
Cuius nunc animam fac tu Dee Christe beatam,
Hoc dic, ô lector, dic, petit ipse pater.

2. *Epitaphium Einhardi.*

TE peto, qui hoc templum ingrederis, ne noscere spernas,
Quid locus hic habeat, quidque tenens moneat.
Conditus ecce iacet tumulo vir nobilis isto,
Emhardus nomen cui Genitor dederat.

Inge-

Ingenio hic prudens, probus actu, atque ore facundus
Extitit, ac multis arte fuit vtilis.
Quem Carolus Princeps propria nutriuit in aula,
Per quem & confecit multa satis opera.
Nam horum Sanctorum condigno functus honore, SS. Marcellini & Petri.
Exquirens Romæ corpora duxit & huc,
Vt multis prosint precibus curaque medelæ,
Ipsiusque animæ regna poli tribuant
Christe Deus hominum Saluator, Rector & auctor.
Æternum huic requiem da super astra pius.

3. *Epitaphium Lotharij imperatoris.*

CONTINET hic tumulus memorandi Cæsaris ossa,
Lotharij magni, Principis atque pij.
Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipsis,
Omnia sed spreuit, pauper & hinc abiit.
Nam bis tricenos monachus sic attigit annos,
Et se mutauit, ac bene post obiit. II. *Cal. Octob.*

4. *Epitaphium Haistulphi Archiepiscopi*

QVI intrastis templum, precibus qui implestis & ora,
Discere non pigeat, quis tumulo hoc iaceat.
Præsulis Haistulphi sita sunt hoc membra sepulcro,
Pontificiale suum qu bene gessit opus.
Bis senis vrbem hanc pastor qui rexerat annis,
Dogma & Apostolicum protulit ore, manu.
Iustitiæ custos, rectus, patiensque, benignus,
Fidus in eloquiis & pietate placens.
Lulli discipulus, successor rite Richulphi,
Ambobus meritis non minor iste fuit.
Quis te sancte pater cum Christo nesciat esse,
Splendida quem tecum vita fuisse probat?

5. *Epitaphium Otgarij Archiepiscopi.*

QVI intrasti templum, pronus qui hanc sistis ad aram,
Non spernas lector hunc titulum legere.
Nam hic tibi mox pandit, tumulus sit cuius, & istic
Otgarij nomen factaque clara dabit.

M Pecto-

Pectore sub cuius regnans patientia victrix,
　Fluctibus in tantis anchora fixa fuit.
Felle carens, animo placidus, dulcedine pastus,
　Præsulis officium rite peregit ouans.
Quattuor hic lustra, binos compleuit & annos,
　Moxque vrguente die raptus ab orbe fuit.
Hunc meliore via credo ad cælestia vectum,
　Non premit vrna rogi, sed tenet aula poli.
Rex Regum Christus huic lætus semper adesto,
　Et nobis clemens sis sine fine Deus.

6. *Epitaphium Rhabani Archiepiscopi.*

LECTOR honeste meam si vis cognoscere vitam,
　Tempore mortali discere sic poteris.
Vrbe quidem hac genitus sum, ac sacro fonte renatus,
　In Fulda post hæc dogma sacrum didici.
Quo monachus factus seniorum iussa sequebar,
　Norma mihi vitæ regula sancta fuit.
Sed licet incautè hanc, nec fixè semper haberem,
　Cella tamen mihimet mansio grata fuit.
Ast vbi iam plures transissent temporis anni,
　Conuenere viri vertere fata loci.
Me abstraxere domo inualidum, Regique tulere,
　Poscentes fungi Præsulis officio.
In quo nec meritum, vitæ nec dogma repertum est,
　Nec Pastoris opus iure bene placitum.
Promptus erat animus, sed tardans debile corpus,
　Feci quod poteram, quodque Deus dederat.
Nunc rogo te ex tumulo frater dilecte iuuando,
　Commendes Christo me vt precibus Domino.
Iudicis æterni me vt gratia saluet in æuum,
　Non meritum aspiciens, sed pietatis opus.
Rhaban nempe mihi nomen, & lectio dulcis,
　Diuinæ legis semper vbique fuit.
Cui Deus omnipotens tribuas cælestia regna,
　Et veram requiem semper in arce poli.

7. *Epitaphium Alchuuini.*

* M.S.S. Galli. subsiste.

HIc rogo pauxillum veniens tu * siste viator,
　Et mea scrutare pectore dicta tuo.

Vt tua

Vt tua deque meis * agnoſcas fata figuris,
* Vertatur ſpecies vt mea ſicque tua.
Quod nunc es, fueram, famoſus in orbe viator,
Et quod nunc ego ſum, tuque futurus eris.
Delicias mundi caſſo ſectabar amore,
Nunc cinis & puluis, vermibus atque cibus.
Quapropter potius animam curare memento,
Quam carnem, quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras, quam paruo cernis in antro,
Me tenet hic requies, ſic tua parua fiet?
Cur Tyrio corpus inhias veſtirier oſtro,
Quod mox eſuriens puluere vermis * erit?
Vt flores pereunt, vento veniente minaci,
Sic tua namque caro gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem lector rogo carminis huius,
Et dic, da veniam Chriſte tuo famulo.
Obſecro nulla manus violet pia iura ſepulcri,
Perſonet Angelica donec ab arce tuba.
Qui iaces in tumulo terræ de puluere ſurge,
Magnus adeſt Iudex millibus innumeris,
Alchuuin nomen erat Sophiam mihi ſemper amanti,
Pro quo funde preces, mente legens titulum.

* cognoſcas.
* vertitur en.
* edet.

8. *Epitaphium Reginbaldi Chorepiſcopi.*

ECCE Reginbaldus pauſat ChorEpiſcopus iſtic,
Corpore, ſed tantum, Spiritus aſtra petit.
Ore manuque ſimul populo huic qui præfuit aptè,
Mercedem plenam cui dabit omnipotens.

9. *Epitaphium Eigili Abbatis.*

INGREDIENS lector per parui domatis antrum,
Cerne legens titulum noſceque fata viri.
Abbas iſte fuit famoſi nominis Eigil,
Qui iacet in tumulo, ſed ſuper aſtra manet,
Hoc quoque Cœnobium rexit feliciter ipſe,
Multaque facta bona rite peregit ouans.
* Martyris ergo ſacra cum Præſule tranſtulit oſſa,
* Ac binas pariter has dicat Eccleſias.
Poſt hæc alta petit, animamque ad ſidera miſit,

* S. Bonifacij.
* S. Saluatoris & S. Michaelis.

Corporis infirmi membra locauit & hic.
Huic quoque Rhabanus vilis successor amando,
Conscripsi hunc titulum Christus vtrosque iuuet.

10. *Epitaphium Vualachfredi Abbatis.*

NOSCERE quisque velit, tumulo hoc quis conditus exstet,
Perlegat hunc titulum, omnia sicque sciet.
Ergo Walahfredus tumulatus sorte quiescit,
Presbyter & monachus ingenio hic validus.
Abbas Cœnobij huius, custosque fidelis,
Hic fuerat caute dogmata sacra legens.
Nam docuit multos metrorum iure peritus,
Dictauit versus, prosa facundus erat.
Inuitans instanter oues ad pascua Regis,
Distribuit dulcem fratribus ore salem.
Moribus ipse probus, virtutum exempla reliquit,
Discipulis Pastor, plebis & almus amor.
Mors fera sed iuuenem hinc rapuit, damnumque ferebat,
Multis, sed Christus hunc tulit ad Superos.
Quisquis hunc titulum recitas pro hoc posco fideles,
Funde preces Christo, sicque places Domino.

11. *Epitaphium Adalhardi.*

HIc iacet inclusus Adalhardus nomine dictus,
Vnus de clero, mors fera quem rapuit.
Hartnandus titulum quem condidit ipse precando,
Cui dicat, Lector, tu miserere Deus.

12. *Epitaphium Isanberti presbyteri & monachi.*

NORICVS ex Patribus ego sum Germanicus exul,
Wasconia genitus, Presbyter & monachus.
Nomen sique meum quæris tu lector honestè,
Isanbert dicor, cui miserere Deus.

13. *Eiusdem.*

NORICVS ex genere fueram atque Aquitanicus ortu,
Francia meque aluit, quoue fui monachus.
Ferrum me clarum dudum dixere parentes,
Mortis nunc tumulo vincula dira premunt.

14. Ei-

14. *Eiusdem.*

NORICA prima parens fuerat Aquitania mater,
Francia me rapuit, Presbyter atque fui.
Qui vixi monachus Isanbert nomine dictus,
Cuius tu lector esto memor precibus.
Ecce tibi vt peteras, conscripsi promptus amore,
Versus ad tumulum dulcis amice tuum.
Tripliciter condens titulum, Trinumque precando,
Quod te conseruet summus ab arce Deus.
Tu memor esto mei cum viuas sanus in orbe,
Post funus tecum vt lætus ad astra petam.

15. *Epitaphium Vuigfride*

NOBILIS ecce iacet tumulata hic fæmina Wigfrid,
Quam Saxo atque Thuring gaudet habere genus.
Hæc quoque coniugium, sortita ac pignora prompsit,
Et post busta viri Nonna dicata Deo est.
Nam titulum scribi hunc eius quoque filia fecit,
Theotfrid, quæ matri iungere funus amat.

16. *Epitaphium Irmingardis.*

INGREDIENS quisquis hanc ædem rite reuisas,
Noscere te libeat, quid tumulo hoc lateat.
Fæmina hic pausat Augusta & nobilis ortu,
Irmingarda cui nomen erat deditum.
Quæ hoc opus incipiens hic aulam condere iussit,
Ad Christi laudem atque sui requiem.
Nam pia Relliquias Sanctorum ex vrbe receptans,
Romana huc vexit, hicque locauit eas.
Ipsorum caperet meritis vt gaudia vitæ,
Delicti ac veniam perciperet precibus.
Castè conuersans mundana hæc gaudia spreuit,
Pauperibus larga omnibus apta bonis.
Nobiliter vixit, alijs exempla reliquit,
Virtutum sibimet præmia læta parans.
Hæc quoque dum expleret iuuenile hic tempus & annos,
Maturæ ætatis inciperet, iam obijt.
Linquens regna soli penetrauit regna polorum,

Cum Christo & Sanctis gaudia vera tenens.
Hanc rogo tu Lector commenda rite Tonanti
Assiduis precibus, Christus eam vt habeat.
Cum quo congaudens viuat feliciter ipsa
Angelicis semper mixta beata choris.
Has ego Rhabanus confeci versibus odas,
Ex obitu mæstus, ex requie & gratulans.

Obiit autem Irmingarda Imperatrix anno Dominicæ Incarnationis D.CCCLI. Indictione XIIII. XIII. Cal. Aprilis in die Parasceue hora quasi sexta, & requieuit in pace.

17. *Epitaphium Tutini.*

HIc iacet insignis vir nomine Tutin humatus,
Complens communem sorte vocante diem,
Alta clarorum qui natus stirpe parentum
More omni proceres æquiparauit auos.
Ingenio, probitate, fide, verbique decore
Inter regales vixit honore viros.
Quem iuuenem mediis cecidisse viriliter armis
Effecit Domini gratia magna sui.
Frater Pontificis fuit ille celerrimus armis,
Qui huc germani detulit ossa sui.
Flecte genu, palmasque leua, bone Lector, & orans
Dic, precor, ambobus propitiare Deus.

18. *Epitaphium Gundramni.*

HIc locus *tenet congestos rite sepulcris
Cultorum cineres ac tegit ipse suos.
Nam Gundramnus adest istic, & corpore subtus
Sarcophago latitat, Spiritus alta petit.
Pro quo tu Lector digneris fundere Christo,
Posco, preces Domino, vt faueat famulo.

*ecce.

19. *Epitaphium Otdrudæ coniugis eius.*

CONIVNX namquè huius Ordruda & nomine dicta,
Cespite contecta hic condita rite iacet.

Ho-

Horum nempe datu Bonifacius obtinet istum
Martyr rite locum, consecrat & Domino.
Christe Deus hominum Saluator, Rector & auctor
Æternam in cœlis da pius his requiem.

20. *Epitaphium Ratlaici presbyteri.*

EN seruus Christi Ratlaicus nomine dictus
Corpore hic pausat, Spiritus alta petit.
Presbyter hic fuerat, Sophiæ & studiosus amator,
Officium Abbatis & bene gessit opus.
Sollers ac strenuus diuinæ dogmate legis
Scrutando didicit atque alios docuit
Is ex Colonia aduenıens Regi en Ludouico
Coniunctus valde, vtilis huicque fuit.
Plures nam docuit verbis, & scribere fecit,
Quæ fuerant apta plurima ad officia.
Nam iuuenis vitam hanc linquens migrauit ad æthra,
Atque ibi cum Christo gaudia vera tenet.

EST locus in primo felix Oriente remotus
Qua patet æterni maxima porta poli.
Nec tamen æstiuos hyemis vel propinquus ad ortus
Sed qua Sol verno fundit ab axe diem.
Illic planities tractus diffundit apertos,
Nec tumulus crescit, nec caua vallis hiat.
Sed nostros montes, quorum iuga * cæsa putantur,
Per bis sex vlnas * imminet ille locus.
Hic Solis nemus est & consitus arbore multa
Lucus, perpetuo frondis honore virens:
Cum * Phaetonteus flagrasset ignis ab axe,
Ille locus flammis inuiolatus erat.
Et cum diluuium mersisset fluctibus orbem,
Deucaleoneas exsuperauit aquas.
Non hunc exsangues morbi, nec ægra senectus,
Nec mors crudelis, nec metus asper adit.

Paradisi inchoari videtur descriptio.


* celsa.

* eminet.

* Phaetonteo.


. . . .

Cetera desiderantur.



ANACLETA QVÆDAM HRABANI ET ALIORVM NON DISSIMILIS ARGVMENTI, ET Styli, digna quæ ad memoriam antiquitatis, dispersa & dissipata, recolligantur.

Alexandri & Fabiani Pontif. Rom. elogium quod eis Hrabanus scripsit postquam illorum reliquias in monasterium & Ecclesiam B. Dei Genitricis intulit apud Fuldam in colle septentrionali, quem superioris sæculi iniuria vastatum nouis operibus iam exornat Reuerendissimus Abbas Ioannes Fridericus.



PONTIFICES summi; Roma huc quos misit habendos,
Rectores fuerunt sedis Apostolicæ.
Hos seruos Christi Hraban suscepit ouando,
Illorumque ossa * hic condidit & loculo. * hoc.
Leuitę ergo duo prædicta ex vrbe secuti,
Venerunt istuc, digni & honore suo.
Quos idem famulus Domini mox obuius, astans,
Supplex accepit, hicque simul posuit.
Martyr Alexander, martyr Fauianus & ipse,
Huc venêre simul Doctor vterque pius.
Discipuli Christi, Papæ dignique ministri,
Felicissimus hic, Agapitusque manent.
Omnes hi pariter aulam hanc satis ossibus ornant,
Virgo Dei genitrix quam dicat & meritis.
Vos quoque qui intrastis templum, istos cum prece fusa,
Patronos vobis quærite in auxilium.

Sancto-

Sanctorum Vrbani & Quirini ac Venantii ossa in Ecclesia montis S. Ioannis Baptistæ conduntur: & versus eorum honori erecto ciborio sequentes à Hrabano inscripti sunt.

PRÆCVRSOR Domini Christum qui tinxerat undis
Hanc aulam inhabitat, sanctificatque domum.
Quatuor hancque viri Christi magnalia scriptis
Qui tunc expresserunt, ecce colunt pariter.
Sed homines sancti valde & sacro ordine clari
Non minus exaltant, nobilitantque locum.
Quos huc diuersis duxit ex partibus orbis
Seruorum Domini strenuus actus amor.
Quirinum Roma. Quirinum Siscia misit:
Quos pie suscipiens continet iste locus.
Insignis præsul sanctus venantius atque
De Alimino veniens hic simul ipse manet.
Hos quoque susceptos Hrabamus forte locauit.
Sarcofago hoc: dignè * edidit & titulum *condidit.
Deposcens omnes templum qui gressibus intrent
Ipsum vt commendent rite Deo precibus.

Epigraphe S S. Tiburtii Valeriani, & Cæciliæ Lipsanothecis insculpta, quando eorum ossa, veneranda in Rathesdorstiensi nunc collegiali Ecclesia Fuldensis ditionis Hrabanus deposuit.

POSTQVAM Rex regum Christus super æthera celsa
Victor conscendit arbiter omnipotens.
Seruorum turbam hic liquit plebemque fidelem,
Qui verbo & factis plurima lucra darent.
Inter quos isti, quorum hic membra quiescunt,
Virturum titulis eximii fuerant.
Hi pompam mundi spernentes rite tenebant
Martyrii palmam virgineumque decus.
Germani ecce duo hic pausant, quos virgo beata
Lucrata est Christo dogmate Cæcilia..
Valerianus adest vnus, Tiburtius alter,
Nomine præclarus clarior & meritis.
Has tres personas Romana ex arce meantes
Suscepit Hraban Christe tuus famulus.

N Patro-

Patronosque sibi exoptans fieri arte magistra
Ornauit Tumulum condidit & titulum.

Operi quadrilatero, quod turris instar Fuldæ Hrabanus in Basilica Saluatoris SS. honori molitus est, sequentia tetrastichâ inscripsit.

Primum in orbem excurrit: sequentia lateribus adhæsere.

NOMINE quos noto locus hic & imagine signat
Præclaros Christi ecce Dei famulos.
Qui corde impauido rubuerunt sanguine sacro
Pro Christo iam animas opposuere suas.

IN PRIMO LATERE.

MARTYRIBVS Christi quorum hic ossa quiescunt
Hrabanus humilis condidit hunc tumulum.
Horum tu lector si noscere nomine curas
Arca superposita pandit & ipsa tibi.

IN SECVNDO.

ROMA decus mundi. Laus rerum. Summa potestas:
Hos iam lectores Pontificesque habuit.
Cum quibus hic pausant sumpti de partibus orbis.
Virtute clari Christe tui famuli.

IN TERTIO.

FELICES nimium atque beati
Quos rex Christus ouans arce superna:
Sanctis pro meritis collocat astris
Vitam supremam reddit & illis.

IN QVARTO.

QVI templum Domini gressibus intrant
Hos nunc admoneo corde benigno
Christum suppliciter vt prece poscant
Quo cum martyribus sidera præstet.

Ad Haistulfum archiepiscopum Magontinum cum illi de institutione clericorum libros grati officii caussa dedicaret.

HÆc tibi sancte pater deuoto munera trado,
Quæ tu dignanter qualiacunque cape

Tu

Tu decus es nostrum, doctor summusque sacerdos
Dux sacer, & princeps, lux, via, pastor, honor.
Nam quia tu templum dedicasti martyris almi
Per seruum donum hoc martyr & ipse dedit
Nam est nonus & decimus octingentesimus annus,
Ex quo Saluator venit in arua pius.
Qui te præfectum tribuat, faciatque beatum,
Inserat & lætum cœtibus angelicis.
Abbas namque meus, vesterque fidelis amicus,
Ægil hæc voluit reddere dona tibi.
Se totum atque offert, suaque omnia sponte ministrat
Quem tecum summus saluet in arce Deus.

De iisdem libris ad Fuldenses Monachos cum Paranesi qua illos ad diuinarum litterarum studia cohortatur.

CERNITE quid voluit, fratres, sententia legis,
Quæ mandat ritè noscere verba Dei.
Aures quisquis habet hic audiat, inquit, apertas,
Quid dicat sanctus spiritus Ecclesiis.
Cui Psalmista pari concordat gramate, plebem
In legem Domini cernere rite iubens.
Sic quoque nos semper oculis atque auribus est fas,
Intentis fratres discere verba Dei.
Quid mandet dictis quid factis indicet ipsis,
Quæ codex geminus continet ille suus:
Quid cebrando piis signet charissima Christi
Sponsa sacramentis & studiis variis.
Nanque poposcitis hæc vobis reddere scriptis,
Exhibui paruis hæc tribus ipse libris.
Quid cultura velit, gradibus quid nunciet almis,
Quid prece, quid festis sancta Dei Ecclesia
Dogmata quæ cunctis pia discere, quæue docere,
Condecet ordinibus mystica dicta Dei.
Sed licet hæc tota non possum carpere scriptis,
Plurima complexus hic tamen arte dedi.

Hæc ego peccator Hrabanus dona tonantis,
 Vobiscum capiens, nunc pia participo.
Supplex vos posco testans per sceptra tonantis,
 Me vt commendetis vos precibus Domino,
Quatenus ipse pius concedat dona salutis,
 Vobiscum mihimet regna beata poli.
Christus dux vester, Christus rex, Christus amator,
 Semper vos saluet, summus in arce Deus.

WALAFRIDI STRABONIS POEMATA.

Ad Maurum Hrabanum Abbatem Fuldensem Magistrum suum.

SVSCIPE seruorum, pater optime, verba tuorum
 Annuat vt vestris omnipotens precibus.
Fac supplere moras torpentem pectore Strabum
 Plurima ne dominis probra legat propriis.
Suscipe putriculum clementi corde libellum
 Emendata tuo viscera vt ore ferat.
Vix reparata tuis concedere dogmata seruis
 Dignare, vt norint quam bene amore cales,
Cresce valens, augere vigens, firmare beate,
 In Domino semper, inclyte quæso pater.

Ad eundem de calciamentis.

HRABANO patri per verba precantia Strabus
Ante aliquot menses spondebat epistola nobis,
Huc autumnali venturos tempore missos.
Vsibus vt nostris ferrent, quæ nostra poposcit
Paupertas, sed spes miserum me vana fefellit,
Quo sic suspensum improuisa perurget egestas
Sed licet innumeri pulsent mea pectora questus
Plus tamen impugnat, quod nudipedalia cogar
Ecce pati, ni vestra prius solatia nostros
Respiciant casus, verbis vt pauca momenti
Occurrat, quæ sit cunctis largissima mater
vestra manus, valeas per sæcula cuncta precamur.

Ad


Ad eundem pro seruitore dando.

QVÆSVMVS exigui temet pater optime serui,
Sit nostri vt clemens vestra memor bonitas.
Ædis enim nostra est nobis angusta duobus,
Si terni essemus, lata satis fieret.
Vnde expectamus vestri promissa fauoris,
Tu nos vt clemens, teque iuuet Dominus, Amen.



RABANI MAURI MONACHI OLIM FVLDENSIS VETVS SCRIPTVM DE SANCTA CRVCE.

EX HERSFELDIENSIS ABBATIAE BIBLIOTHECA.



ECCE imago Saluatoris membrorum suorum positione consecrat nobis saluberrimam, dulcissimam ac amantissimam sanctæ crucis formam: vt in eius nomine credentes, & eius mandatis obedientes, per eius passionem spem vitæ æternæ habeamus, vt quotiescunque sanctam crucem aspiciamus, ipsius recordemur, qui pro nobis in ea passus est, vt eriperet nos de potestate tenebrarum, degluttiens quidem mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur. Profectus in cœlum, subditis sibi Angelis & Potestatibus & Virtutibus, vtque recogitemus, quod non corruptibili argento vel auro redempti sumus de vana nostra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine suo, quasi cruore agni incontaminati & immaculati Christi, vt simus & nos immaculati in conspectu eius in caritate: vt per hæc efficiamur diuinæ naturæ consortes, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Sunt quippe & in ipsa depicta cruce nomina Redemptoris eiusdem Domini nostri, quædam ex diuinitatis eius substantia, quædam verò ex dispensatione susceptæ humanitatis assumpta, vt ostenderetur, quod idem mediator Dei & hominum, & Patri esset in Deitate consubstantialis atque coæqualis: Et Matri in humanitate suscepta connaturalis atque consimilis, quia omnem naturam nostram ipse perfectè suscepit absque peccato humano.

Ex imaginis Christi membrorum situ crux cum suis mysteriis effigiata.

1. Petri. 1.

Qualitas autem eorum facile per rationem subternexam potest cognosci, vtrum ad diuinam, vel ad humanam eius pertineat naturam.

CHRISTVS. namque græcè à Chrismate est appellatus, hoc est, vnctus. Sacerdotes ergo & Reges apud Iudæos sacra vnctione in veteri Testamento vngebantur, & ideo Christus vnctus latinè appellatur; vel vnctio dicitur, quia Rex & Sacerdos est, qui non oleo materiali, sed oleo lætitiæ, hoc est, Spiritu sancto vnctus est præ omnibus participibus suis. Et apud hebraicam linguam Christus Messias nominatur.

HIESVS hebraicè, Sother græcè, salutaris vel Saluator latinè interpretatur: pro eo, quod cunctis gentibus salutifer aduenit.

IMMANVEL vel Emanuel ex hebræo in latinum significat, nobiscum sit Deus, sc. quod per virginem natus Deus hominibus in carne mortali apparuit.

DEVS dicitur propter vnitam cum Patre substantiam. DOMINVS propter seruitutem creaturarum. Deus autem & homo, quia verbum simul & caro est.

VNIGENITVS autem vocatur per diuinitatis excellentiam, quia genitus sine fratribus. Primogenitus per susceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ habere fratres dignatus est, quibus esset primogenitus filius.

HOMOVSION Patri ab vnitate substantiæ appellatur. Substantia enim vel essentia græcè Vsia dicitur. Omousum vtrumque coniunctum sonat vna substantia.

PRINCIPIVM eo quod ab ipso sunt omnia, & quia ante eum nihil est.

FINIS, quia dignatus est in fine sæculorum humiliter in carne nasci & mori: vel quia, quicquid agimus, ad illum referimus, & ad eum cum peruenerimus, vltra quod quæramus, non habemus.

OS DEI est, quia verbum est eius. Nam sicut pro verbis, quæ per linguam fiunt, sæpè dicimus illa vel illa lingua; ita pro verbo Dei ponitur os, quia mos est, vt ore verba formentur. VERBVM autem ideo dicitur, quia per eum omnia Pater condidit siue iussit.

VERITAS etiam vocatur, quia non fallit, sed tribuit quod promittit.

VITA est, nam omnia viuificat. IMAGO dicitur propter Patris parem similitudinem. FIGVRA, quia suscipiens formam serui per operum virtutumque similitudinem Patris in se imaginem atque immensam magnitudinem designauit.

Manus Dei est, quod omnia per ipsum facta sunt. Hinc & dextera propter effectum operis totius creaturæ, quæ per ipsum formata sunt. Brachium nuncupatur, quod ab ipso omnia continentur.

Virtus, quod omnem Patris potestatem in semetipso habeat, & omnia potest.

Sapientia, græca vox, Sophia, quod ipse reuelet mysteria scientiæ & arcana sapientiæ. Splendor, propter quod manifestat.

Lumen, quia mundum ex alto illuminat. Lux, quia ad virtutem contemplandum cordis oculos reserat. Sol, quia illustrator iustitiæ ac prudentiæ.

Oriens, quia rerũ cœlestium fons & luminis auctor, & quod oriri nos faciat ad vitam æternam. Fons, quia omnium in natura rerum origo est, vel aduocatus scientiarum, quod faciat homines verè scientes.

Paracletus, id est, consolans, aduocans & prouocans, quia pro nobis intercedit apud Deum Patrem, & ad culpas nostras remouendas curam gerit.

Sponsus, quia de cœlo descendens adhæsit Ecclesiæ, vt essent duo in carne vna. Angelus dicitur propter annunciationem paternæ ac suæ voluntatis, vnde & apud Prophetam magni consilii Angelus legitur, dum sit Deus atque Dominus Angelorum.

Missus dicitur, quia verbum caro factum est. Homo verò, quia incarnatus est.

Mediator, quia de morte ad vitam nos perducit. Propheta, quod futura releuauit. Sacerdos, quod pro nobis hostiam se obtulit. Pastor, quia custos est. Magister & Doctor Rabbi, quod ostensor.

Nazarenus verò à loco, Nazareus à merito, id est, sanctus siue mundus adiectiuè, quia peccatum non fecit. Siquidem & aliis inferioribus rebus nominum species ad se trahit Christus, vt facilius intelligatur.

Panis autem dicitur, quia caro viuificans. Vitis, quia ex sanguine ipsius redempti sumus. Flos, quia electus præ filiis hominum. Via, quia per ipsum ad Deum Patrem imus. Ostium, quia per eundem ad Deum ingredimur. Mons, postquam excelsus est & fortis.

Petra, quia maxima firmitas est piè credentium. Lapis angularis, quia duos parietes è diuerso, id est, de circumcisione & præputio in vnam fabricam Ecclesiæ iungit: vel quod pacem Angelis & hominibus facit. Lapis offensionis, quod veniens humilis offenderunt in eum increduli, & factus est petra scandali. Fundamentum autem ideo vocatur, quia nostra fides in eo fundata est: vel quia supra eam Catholica Ecclesia & Apostolica doctrina diuinitus constructa est.

A & Ω, quod Christus initium & finis est: AGNVS etiam dicitur propter innocentiam. OVIS ipse quoque vocitatur ob mansuetudinem seu patientiam. ARIES propter principatum. HOEDVS ob similitudinem carnis peccati. Vitulus pro eo, quod pro nobis est immolatus.

LEO pro regno & fortitudine. Serpens pro morte & sapientia. Vermis idem, quia resurrexit. Aquila, propter quod post resurrectionem ad astra lætus remeauit.

Nec mirum, si vilibus significationibus figuretur, qui dum sit patri coæternus ante sæcula Filius, naturæ nostræ vilitatem non spernens natus est in tempore hominis Filius. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis.

S. CRVX.

DExtra Dei summi cuncta creauit Hiesus,
Christus laxabit è sanguine debita mundo.
In cruce sic positus dissoluens vincla Tyranni
Æternus Dominus deduxit ad astra beatos,
Atque salutiferam dederat Deus arce coronam.

Veste quidem parua hic tegitur qui cõtinet astra:
Atque solum palmo claudit vbique suo.

Iste est Rex Iustitiæ. Ordo iustus Deo sacer.
I. N. R. Regum Dominus Dominorum. A. M. Ω
Principium, Medium, Finis.

In Hersfeldiensis ad Fuldam amnem inclyti Basilica legebantur hi versus.

In fronte chori inferioris quem laicorum appellabant ad leuam.

VT guttæ roris delentur caumate solis,
Vt flos, aut folium soluitur in nihilum:

Sic

Sic decus omne perit, quod oberrans hic homo quærit,
Quo breuiter fruitur, post breue qui moritur.
Nil fert syncerum vel constans machina rerum,
Dum qui heri stabat, cras hodieue labat.
Sed quæ sunt sursum non norunt gaudia Cursum,
Lector ad hæc propera iusta sequens opera.
Lux, laus sollemnis, ibi cunctis paxque perennis,
Nec decor vllus abest, Rex vbi summus adest.
Desine vana sequi, quo munere iudicis æqui
Ob bona facta tibi viuere detur ibi.
Eia quam lætus, concors, sacer, atque quietus,
Omnis ibi cætus non dolus, ira, metus.

Ad dextram Saxis insculpti.

Sicut agri flores, sic mundi constat honores
Tempore stare breui conditione leui.
Mundus transibit, sed non omnino peribit,
Eius mutatus in meliora status.
Porrò diuina cura sunt condita bina
Angelus ac anima fœdere finitima.
Vtraque fine carent, sed fini cetera parent,
Quæ maris vnda tegit, terra vel aura vehit.
Hinc homo discerne, quid sis, pacisque supernæ
Tendens ad patriam, quære teneque viam.
Corpore casurus, anima nunquam moriturus,
Iuncta spe fidei dilige dona Dei.

Epitaphium vetus in Coemeterio.

Sta, lege, pertracta, quid sis, quæ sint tua facta,
Per breue, per dubium viuitur hic spatium.
Vt flos ecce cades, cinis ad cinerem citò vades.
Summa vel ima petens, dignaque lucra metens.
Nunc age, dum viuis, summæ patriæ fore ciuis
Mors sit spesque tibi fixa frequenter ibi.
Qua perpes vita, qua gaudia sint stabilita
Absque labore quies & sine nocte dies.
Qui legis hæc, ora pro me, pro teque labora,
Pro te meque reo da tua vota Deo.
Posce mei miseri miseratorem misereri,
Meque boni veri participem fieri.

In vestibulo chori superioris circum Apostolos à dextris.

Quærunt scituri quæ procœmia sint habituri,
Cuncta relinquentes mundi, Christumque sequentes,
Quos confessuros sibi, censoresque futuros
Promittit, mundo cum venerit ille secundo.

In eodem vestibulo à sinistris.

Patres bisseni, diuino pneumate pleni.
Ortum nascentis clauso de ventre parentis,
Cernunt, effantur, præsignant, testificantur.
Pectore, sermone, factis, scripti, ratione.

Versus deorsum legendi. iuxta sepulchrum Albini.

Angelus	*Intactus*	*Verbum*	*Noua*	*Per tria dona*
Iussa Dei	*Venter*	*Caro*	*Stella magos*	*Deus infans*
Fert;	*Impraegnatur.*	*Fit;*	*Ducit;*	*Magnificatur;*
Christus	*Rex mortis*	*Mors*	*Clausi*	*Planta * venusta*
Ad mortem	*Captus*	*Moriens*	*Tenebris*	*Paradisi*
Traditur;	*Arctatur;*	*Perit;*	*Exiliunt;*	*Renouatur;*
Christus	*Districtus*	*Cunctum*	*Sua procœmia*	*Nostrum*
Exurgens	*Iudex*	*Coreum*	*Quiuis*	*Opus omne*
Ascendit;	*Rediet;*	*Metuit;*	*Capiet;*	*Patefiet;*
Sanctum Pneuma	*Noua*	*Fidei*	*Baptisma*	*Supernis*
Discipulos	*Lingua*	*Virtus*	*Hominum scelus*	*Ima*
Inflammat.	*Dantur.*	*Crescit.*	*Tollit.*	*Sociantur.*

* vetusta.

Laus Deo & Virgini Matri.

SCHO-



SCHOLIA
R. P. CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS IESV PRESBYTERI.
Ad
POEMATA HRABANI MAVRI.



HRABANI plura extare ingenij monumenta oratione numerosâ conscripta, quam quæ vulgo innotuerint, versus, quos in lucem damus, argumento sint. Atque illi quidem integri ad manus nostras vtinam peruenissent. Iam enim non solum multi ex hoc numero, sed Epici plurimi quoque desiderantur, quos de Luduici Pij liberorum, Lotharij, Caroli, Luduici rebus gestis, carmine heroico ab eo contextos aiunt, oblitescere, & clausos teneri bibliothecarum carceribus; quo leuius præsentium iactura nobis ferenda quidem est. Asper in his, quæ damus, fateor, & agrestis ac illex numerorum cantus, & qui canoris Latialium cygnis molestè etiam obstrepat. Sed memineris velim, id temporis vixisse Hrabanum, quo cum neque teneretur, quibus legibus aptè sonarent metra; neque curaretur, quibus verbis sententijsque vestirentur, abundè creditum est seruitum arti, dum intelligeretur quid dicerent, lausque ingenio- *Hrabani poësis excusata.*

rum fuit prima, sapientiç studijs non remissis intermicans vitæ integritas & morum innocentia.

AD PASCHALEM PAPAM.

Paschalis Papa.

Paschalis clari nominis, & egregius munificentiâ pontifex, septennium ab anno DCCCXVII. sedit, & Lotharium Luduici Pij filium diademate ornauit. Maturè igitur Hrabanus carmina ludere exorsus, primæ suæ paginæ vindicem Paschalem assumpsit.

AD GREGORIVM PAPAM: DE libro S. Crucis &c.

Gregorius IV.

S. Crucis opus quibus & quãdo Hrabanus dedicarit. Per quos in Vrbem miserit.

Hic Gregorius IV. est. cuius pontificatui initium dant ad annum Christi DCCCXLII. Baronium haud piguit Gregorio laudem adstruere ex hoc poëmate, quod acrostichide de S. Crucis laudibus Rabanus elaborauit; eumque præconio suo, ceu fulgens exortum Germaniæ sidus attollere. Libri illius Gregorio paratum quidem munus, at non oblatum per impedimentum, pronuntiant. Ego, vt titulus hic præit, & missum, & in Gregorio Apostolorum principi oblatum, facile credo; quid enim obstet, eundem librum, pluribus descriptum exemplaribus, & auidè tunc expetitum, Gregorio, ac successori Sergio pontifici pariter missum, inscriptumque. Retineant itaque fidem suam Pithæani, seu Fuldenses annales, quorum „ Strabum nonnulli auctorem faciunt, ad annum DCCCXLIV. Hraba- „ nus Sophista, & sui temporis poëta nulli secundus, librum, quem de „ laude Sanctæ Crucis Christi, figurarum varietate distinctum, difficili & mirando poëmate composuit, per * Asserichum & * Theodbertum monachos monasterij Fuld. Sergio Papæ S. Petro offerendum transmisit. Poëmatij huius titulus, Wimphelingiano exemplari ante C. annos edito præscribitur:

* Asrihũ & Hrnodbordum. Rutbertũ.

COMMENDATIO PAPÆ.

Neque agnoscit MS. hic noster epigrapham mediam ante versum:

Præsul amate Deo.

OFFERT

OFFERT MVNVS PONTIFICI.

Ætas Gregorij IV. bellis inquieta.

Bella mouent gentes, hostis vbiq; furit. Anast. Bibl.

Huius (Gregorij) sanctissimi Patris temporibus, impia atque " nefaria, & Deo odibilis Agarenorum (siue Saracenorum) gens, à " finibus suis consurgens, pœne in omnes insulas, & omnium regio- " nes terrarum circumiens, deprædationes hominum, & locorum " desolationes atrociter faciebat. His malis associata per Gallias ciuilia, ne dicam parricidalia liberorum regum in Luduicum parentem odia, bellaque.

Quæ Christi ad laudem conscripta est tempore prisco.

Acrostichis Hrabani laudata.

Operis argumentum: Vindicatio humanæ salutis, finis: Christi gloria; quo referuntur omnia. Scriptionis genus, recondita in arte, & multiplici subtilique literarum, ceu numerorum sparsione, olim à Sibyllis, Psalte regio, alijsque prophetis vsurpatum. Iam etiam religionis nostræ arcana sic animis optimè videmus effingi, vt cum ab aspectus iudicio remotissima sint, imaginibus tamen, figuris & conformatione quadam rudibus offerantur, & facillimè notentur, ita, vt occurrere, celeriterque sensus intimos percutere, & ad pietatem permouere possint. Quare de omnibus temere vsurpes.

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Quando scripta.

Quando autem Hrabanus inceperit litterulas spargere, Porphyrij exemplo, in Moguntiacis suis inquirit Serarius: verum explorati vix quicquam ab illo constitui potuit. Ad Gregorium scribens, prisco tempore hæc ab se lusitata testatur. Sedit Gregorius sedecim annis; & peruenit ad Christi annum DCCCXLIII. Tritthemius Hirsaug. Chron. & alij eum sequuti, Rabanum cessisse Fuldensis monasterij gubernatione tradunt anno DCCCXLII. Alij quoque vetustiores, in quibus Lambertus, immitius actum cum illo, & expulsum meminerunt. eodem anno. Inde in Luduici Germaniæ regis, aut Luduici Pij imp. gratiam & patrocinium confugisse. id quod in ecclesiast. script. indice clarius exprimitur. At Luduicus imp. vita excessit anno DCCCXL. & ex Lupi Ferrariensis epistolis docuit Cæsar Baronius, Rabanum vltro, otij & quietis studio, guber-

Hrabani tempora annotata.

naculis excessisse, anno DCCCXXXVIII. quippe Lupum epistol. 40. scribere: sarcinam administrationis deposuisse, quo rebus diuinis impensius vacaret. Obseruauimus alias, Hrabanum Luduici pij arcanis operam dedisse, siue id factum consilijs, siue conscientiæ tractandis officijs. Annus, quo abdicauit, pontificatus Gregorij fuit XI. Luduici imp. XXV. quo circiter tempore opus hoc acrostichidum in vrbem venisse putamus. Sed quot iam retro annis opus de S. Cruce inchoarit, haud æquè facilem habet diiudicationem. Ponamus viginti, vt ad DCCCXVII. veniamus: quo iam tricesimum ætatis annum agebat ipse; nam sex impleuerat lustra, cum litterales figuras eas contexuit. Summa igitur reliqua hæc esto. Creatus abbas Rabanus in Haistulphi locum, anno Domini DCCCXXII. ætatis suæ XXXV. præfuit XXIV. aut, vt Rudulphus in actis eius meminit, XX. ita vt post secessum in monte S. Petri expletum, cathedram Moguntiacensem adierit, anno DCCCXLVII. in qua sedit IX. annis. Vixit igitur annos circiter LXIII.

VERSVS MAVRI ET PERSONA ALBINI.

Hrabano asserti sui versus.

ERROREM latè pertinentem abstergit horum versuum titulus. Imposuit lectori vulgata inscriptio:

Intercessio Albini pro Mauro.

Hinc duplex peccatum, & eorum, qui poëma hòc Albino tribuunt, quos in Antiq. Fuld. libro primo secuti sumus; & aliorum, qui pontifici Gregorio inscriptum volunt; nam pater carminis ipse Maurus Rabanus, sed assumpta persona Albini, & patronus quem inuocat Sanctus Martinus. Ciuitas, ad quam libri exemplar dono transmittit, Turonum est, apud quos monasterium & gymnasium extitit celebre; in quo Albinus doctor & Rabanus discipulus eius vixere.

Qui Turones ad S. Martinũ, non Romam ad pontificem missi.

Abbas namque suus Fuldensis rector ouilis,
Illum huc direxit ad sua tecta Pater.

Planissimus huius distichi sensus, in quo frustra explicando fuêre, qui ad Gregorium pontificem subtiliter transtulere sententiam.

Abbas

Abbas enim, qui eum direxit Ratgarius fuit; Pater, cuius ad tecta missus, S. Martinus, cui Turones omnia debent.

Quo mecum legeret metri Scholasticus artem
Scripturam & sacram, &c.

Lectio & Prælectio magistrorum.

Cum aliquo legere, sermonis genus ex vsu vernaculo tractum, scitè notauit, in Moguntiacis, Serarius. Vsurpauit alibi Rabanus de discipulis suis. Alcuinus de Ludgero. Et nota vetus Scholarum consuetudo, cum Grammatici iuxta ac Rhetores, teste Fabio, prælectione docebant.

Qui typicos numeros, tropicas & rite figuras
Indidit.

Acrostichidum ostensa vetustas.

Exemplo scilicet Melicorum veterum, tum illius, qui in psalterio suo decachordo Simonides noster, Pindarus & Alcæus Christum lyra personans, litteris ad versuum capita numeros sæpe concinnat, Psalm. VII. XXIV. XXXIII. XXXVI. CX. CXI. CXLIV. CXVIII. tum alterius, qui vrbis excidium, & populi sui captiuitatem lamentis prosequens, in Threnis quadruplex diuersis metris nectit alphabetum. Quid Erythræam vel Cumanam Sibyllam memorem, quæ ante tot sæculorum ætates, vt est apud B. August. de Ciuit. lib. XVIII. c. XXIII. tam disertè Ἰησοῦς χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, capitibus versuum expressit; vnaque Piscem, ἰχθὺν, notabili mysterio verbis ijs implicuit. Ἰχθύς. Taceo iam Sedulium in hymno genethliaco, & Fortunatum nostrum Christianos poëtas, hoc genus carminum, non vt inanem περιεργίαν, sed vt priscis vsitatum, εὐρυθμίαν non aspernatos esse.

Et quia se meminit nutritum in domate claro
Istius ecce loci, &c.

Hrabanus non Parisijs, sed Turonibus studiorum gratia vixit.

Domatis huius vestigia neque Parisijs, vbi Rabanus operam Alcuino dedisse putatur; neque in illius vrbis gymnasiorum aliquo est quod perquiras: sed, vt dixi, in monasterio S. Martini Turonensi, vbi Rabanus doctorem Alcuinum discipulus audiuit. Parisijs etiam Rabanum vixisse, nedum doctoris ibi, vel discipuli, munere functum esse, veterum, quod sciam, nemo prodidit, etsi Catalogi Fuld. abbatum vulgati scriptor id asseueret.

tu tamen

tu tamen ista

Patronus mitis accipe.

Operis curam, etsi non tanti, iterum commendat S. Martino, cuius bibliothecam ornari artificis ingenio, precibus & intercessione vitam communiri posse, sperat.

Scholioru horum ratio.

In Poëmata.

Arcta hinc nobis via sæpius incedendum, quod in tenebris illius ætatis facile prospectus adimatur, & hominum rerumque memoria, quibus tituli poëmatum seruiunt, aut obscurata sit, aut certè vehementer implicata. Ceterum recondita non ita sunt Poëtæ nostri sensu, quin sine nobis perspici, & à quolibet intelligi queant. Itaque pressius & parcius scholia, more veterum, dabimus; cum iam nobis haud liceat esse tam disertis, Qui musas colimus seueriores.

III. P.

Africani Poëtæ.

Corduba quem genuit, Africa quem tenuit.

Aliquem forte vult ex istis, quos Martialis laudat Συμπατριώτας.

Duosque Senecas (patrem Rhetorem F. Philosophum) vnicumque Lucanum.

Facunda loquitur Corduba.

Sed neminem ex his, vt mea mens, Africa tenuit: quisquis igitur ille, si diuersum notat, adhuc latet. Plures enim Africa tenuit. P. Terentium Comœdum. Sept. Seu. Tertullianum. Terentianum Maurum.

IV.

AD * BATVRICVM EPISCOPVM.

* Baturichum & Bathuricū.

Baturicus Ratisponensis episcopus, & eius elogia

Baturicus, qui Teudisca vernacula Baterich, quod cum Rabano interpretamur, Emolumentorum diues, multis commodans vtilisque, episcopus fuit Ratisbonensis. Prodijsse ex S. Wigberti disciplina, & Friteslariæ sub Albuino præsule adoleuisse Lupus Seruatus grauis autor, in S. Wigberti vita, indicare videtur, qui inter eos monachos illum nominat, quibus sancti corporis clam Hersfeldiam transferendi mandata prouincia. Reperio & in Synodali epistola Rabani

Rabani Baturatum, vt ibi mendosè scribi videtur, interfuisse Synodo Magontiacensi, quem Rabanus anno DCCCXVI. celebrauit. Et licet Ratisbonensis ecclesia Moguntinæ prouincialis hodie non sit, Metropolitano tamen Franciæ Orientalis tunc subiacuit. Illustrauit Baturici præsulis memoriam Wiguleius in Salisburgensi Metropoli, qui quartum numerat Ratisponensis ecclesiæ Episcopum, Adalbini successorem, & ab anno Christi DCCCXIV. aut biennio serius, viginti octo, vel triginta annis sedisse.* S. Emmorani monasterium, qua apud Luduicum regem Germaniæ, Pij Luduici filium, eximia fuit gratia & autoritate, sibi ecclesiæque asseruit; isque rex illum summum suum Capellanum, tabulis donationum scripsit; munera ei ad splendorem, & incrementum sedis, regifica multifariam impertijt, de quibus adi prædictam Metropolin. Illud in Baturici laudibus vnum antecellit omnibus, quod Christianæ fidei amplectendæ, Bohemicæ genti, viam muniuit, XIV. Dynastis ab se initiatis, & sancto baptismatis lauacro tinctis.

Synodo interest Magontiaci.

Ratisbona in diœcesi olim Magontina.

Baturici gratia apud Luduicum regem & L. filium.

* al. 26.

Baturicus Bohemorum proceres baptizat.

Vrbem Regensem minitantia mœnia cœlo
Qua fluuius Regan labitur arua rigans.

Non vrbs in Europa superbior titulis Ratisbona. de qua G. Ligurinus.

Ratisbonę tituli, antiquitas, splendor.

Inde Ratisbona vetus ex hoc nomen habenti,
Quod bona sit ratibus, vel quod consueuit in illa
Ponere nauta rates. Hac Noricus vrbe ducatus
Præcipua gaudet, &c.

Vbi scholiastes. Inter Danubianas vrbes, quondam opibus atque potentia celebris, vt quæ Impp. vires non formidaret. Irenicus Hiaspalim, Auentius Augustam Tiberij fuisse indicat. Petrus Apianus Reginoburgum. ego à flumine Rego, (hic Regan) quem illic Danubius excipit, nomen accepisse puto. Hæc ille. Plura quoque in Thesauro Geographico, & in Synonymis Ortelius nomina congessit. Quin & peruetus scriptor vitæ S. Emmerani Meginfredus Tom. II. antiq. lect. *Ratisbonam vrbem agnoscit totius Germaniæ & nomine & dignitate principem, & adhuc eiusdem gentis Metropolin, & antiquæ prosapia caput.* Vbi & Scholium. Germanisheim à Germanico dictam, & à Romanis Tiburniam, meminit. Verum lima-

Iac. Spiegolius.

tissimi iudicij scriptor, suspensa manu & animo, an Reginoburgium Augusta Tiberij, an Eugippij Tiburnia, vel Tigurina, in Boicarum 3. & 4. libro, & scholijs in vitam Sancti Seuerini, disquirit. Quin huc suffragio libero vadit, potius vt castra Regina, quorum in libello Notitiæ vtriusque imperij mentio, Reginoburgo nomen dederint. Regen quippe fluuium eius loci in castrorum nomen adoptatum, vt Quintana ab amne Quintanica. Arnolfus in S. Emmerani miraculis certè Reginum hanc ipsam ciuitatem appellat, lib. 1. c. 5. & alibi.

Cl. V. Marci Velf.

Regen vel Regina flu. & castra.

Ex persona Isanberti.

De Isanberto planius in epitaphijs, qui presbyter & monachus, origine Boius, Fuldæ vixisse videtur, Baturico episcopo ob patriæ consuetudinem familiaris.

Cui domus & patria Norica tellus ouat.

Scholiastes in vitam S. Seuerini, vbi veteris Norici situm describit, oportunè monet, posterioribus sæculis barbaros scriptores Norico nomini adiecisse, quicquid Bauariæ ditione continetur, testemque citat Paulum Diaconum lib. 3. cap. 19. quomodo hic Norici soli Ratisbona, aut, vt Rabanus loquitur, vrbs & diœcesis Regensis.

Norici recentior acceptio pro Bauaria &c.

Regensis vrbs & diœcesis.

Spiritus atque Dei,

Qui triplex simplex.

Personas S. Trinitatis postquã tres nominatim inuocauit, Deum pronuntiat Triplicem, an bona pace Theologorum, scholæ viderint. Sanam fuisse mentem Rabano vndique liquet; & in oratione suâ ilico nunc dixit:

Vnus natura, personis trinus.

Deus, Triplex an rectè dicatur?

Scio, qui tenacius Concilio Toletano II. inhærent, & cum S. Augustino, & D. Thoma, negant, Deum posse dici triplicem, virgulam censoriam hic stringere, & hoc locutionis genus, ceu improbum notare. Ceterum cum simplex hic Dei natura prædicetur, & omnis excludatur plurium compositio, triplex hic pro trino & personarũ ternario, licet accipias; quo modo Gabriel noster Vasquez, præstans Theologus, nomẽ TRIPLEX, quum refertur ad personas, omnino in diuinis vti fas esse putat, rectèque Mirandulani versum atro carbone

Disp. 131. ad 31 q. D. Thom. 1. p.

bone

bone signauit, qui in nomine, quod ad essentiam pertinet, temerè dixit:

Vnum in triplici Numine numen habens.

VI. VII. VIII. IX.

PRÆCLARO episcopo versus dat, monitorios plerosq; & paræneticos, inuitis Musarum Gratijs, & quod de Romanæ eloquentiæ parente quidam dixit, Musis & Apolline nullo: sed rerum tamen pondere, si non poëtico genio victuros. Episcopum autem hunc dissitum longinqua regione, barbaris populis fidei Christianæ facem prætulisse, indicio versiculi: Præclarus episcopus quis?

Est rudis hic populus, est durus quem regis ipse.

& alter, de amoris mutui fœdere:

Nec mare, nec tellus, montes, nec silua vel alpes,
Huic obstare queunt.

Venit in mentem aliquando, vt rarus Latinorum nominum vsus in baptismo apud Francos extitit: sæpe tamen in proprijs, siue per lusum, siue per elegantiam & decus affectatus; ita huic Præclaro, cuius non valde clara alioqui memoria, aliud fuisse nomen proprium; vt Beati Witta & Wittanus, Albinus dictus fuit. & Ioannem Salisburgensem Episcopum Alcuinus Aquilam vocauit. Francorũ gemina nomina, vernaculũ & Latinum.

In IX. poëmate, typorum in veteri testamento quicquid eximium est, egregiè in Christo Domino expletum ostendit, serpentino schemate, quo hemistichia, quæ hexametrum inchoant, pentametrum finiunt, inconcinno quidem, & coacto sæpenumero, sed ingeniosa figurarum & varietate, & apta relatione similitudinis. Christi typi ex veteri testamento repræsentati

Arca Dei tegitur nam propitiante tabella.

Superior arcæ pars siue operculum, Caphoréth dixerunt Hebræi, à Caphar, cui & operiendi & propitiandi notio subiecta, tabella hic dicitur, alijs oraculum, propitiatorium, cui maris & feminæ specie Cherubini insidebant, se mutuo adspicientes, cuius descriptionem vide, apud B. Ariæmontanum, in libro de sacris fabricis. Arca fœderis.

Cum vitijs Zabulus pellitur atque foras:

Zabulus pro Diabolo multoties à SS. PP. vsurpatur, seu κακόβυλος In Zabuli notionem inquisitũ

λία versipellis, malisque consultis vafer, & qualis compositio in Ζάθεος, ζάκοτος, Ζαγρεύς, in quibus τὸ Ζά, Hesychio teste ἐπιτατικὸν est. Animaduertunt tamen alij τὸ ζά idem etiam apud Æoles & Atticos interdum valere quod διά. vt in ζάκορος, quod ædituus, Plutarcho διάκορος. & ζαβάλλειν, aut ζιαβάλλειν, pro διαβάλλειν. Vnde procliui originatione fiat ζάβολος, siue διάβολος. Quo & I. Lipsius libr. de recta pronuntiatione c. XVI. & Martialis interpres spectauit, quando ad Epigram. 43. lib. 2. diætas, ad hanc formam, Lampridio Zetas Æolica dialecto nuncupatas obseruat: & magnus S. Hieronymi Criticaster, cum in VI. cap. epistolæ ad Ephes. is tradit Diabolum secundum Græcos, criminatorem significare, secundum Hebræos καταρρέοντα; quia habeat quandam similitudinem cum Zabulon, quod significat καταρρέοντα, accusat hanc originationem vt violentam, διαφθορὰν à nobis dictam solum agnoscens, qualem in Zeta pro diæta vulgus vsurpat. Sed prius etymon veterum scriptura potius affirmat, quæ Zabulum, quasi à βολή, non Zabolum exprimit.

Mat. Roderus.

X.

Fridericus Episcopus Hrabano familiaris.

FRIDERICVM EPISCOPVM ex humili ad pontificij culminis fastigium ascendisse, nec cathedræ tamen, vbi sederit, meminit. Etymon nominis Germani Friderich geminum reddit, vt sit initę pacis aut fœderis auctor, & violati vindex. Meminit Rudulphus in elencho librorum Rabani, ipsum in Octo teuchum commentarios scripsisse, rogatu episcoporum Frecholfi, Fridurichi, & Humberti, qui Herbipolensis fuit.

XI.

Ad Otgarium Archiepiscopum.

Otgarius Archiep. Mog.

QVINTVS hic à S. Bonifacio Moguntiacensis archiepiscopus: de quo in Mogunt. rerum lib. 4. vbi ab anno Domini 826. vsque ad 847. sedisse traditur. Consule & Antiq. Fuld. Rabanus pro amicitia, quæ illi cum eximio præsule fuit, non versus hos modo & epitaphium ei scripsit, sed & Commentarium in Sapientiam, atque, vt ad annum 827. tradit Sigibertus, in Ecclesiasticum, dedicauit.

Ad

XII.

Ad Brunvvardum Chorepiscopum.

VSvs fere huius ætatis habuit, vt Chorepiscopus, vel Coëpiscopus idem esset, qui iam nobis vulgo suffraganeus, & Episcopi in pontificia functione Vicarius. Exempla passim suppetunt, in ipsis quoque Rabani libris. Ceterum Brunvvardus, quem Præsulem & pastorem laudat Rabanus, Haistulpho aut Otgario Moguntiæ, vel quibus alibi locorum operam dederit, tacetur. Brunvvart alioqui celebrem Hersfeldensis monasterij abbatem memorat Lambertus in Chronico suo, ad annum DCCCXLVI. sub quo, vt æqualem Rabani & familiarem noris, ecclesia Hersfeldensis à Rabano dedicata: & abbates eo tempore Chorepiscopi munus gessisse, S. Wigberti & Albuini Fritislariensium exempla docent. Brunsvvartum igitur hunc haud abnuas Episcopi vita in Thuringia pro Otgario excubasse, atque inde amplissimi monasterij gubernacula adeptum esse. Ad hunc Brunvvardum scripsisse Hincmarum Remensis ecclesiæ Archiepiscopum, Flodoardus historiæ suæ libro III. c. XXIV. meminit, quando ei possessiones S. Remigij, & colonos commendauit Remensis ecclesiæ in Thuringia constitutos.

Brunvvardus Suffrag. Mog.

Abbas Hersfeldensis.

Vltima quem clarum hunc caussat prima nigellum.
Syllaba.

Lusus est in Brunvvard dissyllabon, vt olim seruorum nomen. Nam Bruin Teutonicè fuscum & nigellum sonat. Ward clarum qui referat in hac idiomatum deflexione, inquiritur. Sed Wärt aut Wärd/qui in pretio est, facilem ad hunc fontem viam aperit. Vnde Germanis ἔνδοξοι & ἐπιφανεῖς, clari eiusmodi dicuntur lieb vnd Wärder per ἰσοδυναμίαν viri præclari.

Brunvvardi etymon

XIII.

Ad Ratgarium abbatem suum.

DE Ratgario, Fuld. ecclesiæ III. abbate; etsi multa in Antiq. Fuldens. libris; nonnulla tamen nunc dabo, beneficio perantiqui MS. indicis Abbatum. *Ratgarius in partibus Germaniæ, parentibus nobilibus*

Ratgarij Abbatis Fuld. encomium

„ *bilibus natus, susceptus est à S. Sturmiono in monasterium Fuldense, & „ successit Baugulffo in regimine Abbatiæ, anno Domini DCCCII. & depo- „ situs fuit anno Domini DCCCXVII. Hic nobiliter rexit monasterium „ per XVI. annos, & vt sapiens architectus occidentale templum mira „ arte, & immensa magnitudine alteri copulans, vnam fecit Eccle- „ siam.*

Hrabani institutor. *Rabanum & Hattonem Thuronis direxit ad Albinum Magistrum, gratia liberales discendi artes. Brunonem ad Einardum, variarum ar-* „ *tium doctorem peritissimum. Modestum & Candidum, cum aliis ad Cle-* „ *mentem Scottum Grammaticæ studendi gratia. Sed auro & argento, coro-* „ *nis & lucernis, & omnibus bonis, locum hunc gloriosè prouexit.*

Monasterij B. Virg. conditor. „ *Fecit etiam hic venerandus Pater monasterium laudabilis & discretæ mensuræ, in monte, cui pretiosus martyr Bonifacius Montem Episcopi nomen indidit; & ab Haistolffo Moguntinensis ecclesiæ Archiepiscopo in ho-* „ *norem S. Dei genitricis Mariæ dedicari fecit, & in introitu claustrali* „ *ipsius Ecclesiæ ad dextram, senex & plenus dierum bonorum sepulturæ tra-* „ *ditus est, cui successit Aegil.*

Clemens Scotus. Porro quod ad Clementem Scotũ, si idem is est, qui an. DCCXLV. à S. Bonifacio & Zacharia Pontifice ob hæresin in Synodo Romana damnatus, retrusum in monasterium alicubi resipuisse, & decrepita ætate pœnitentem, dixerim ad Grammaticæ canones rosisse vngues digitosque suos. In Rabano hic laudem *votiuæ Paupertatis* studium, qui ne quidem ingenij sui fœtus, nisi antistitis bona pace sibi vindicarit.

Hrabani paupertatis studium.

XIV. XV.

Ad Aegilum.

Ægil. Fuldens. Abbas. ÆGILI ceu adhuc æquali hæc carmina apparet inscripsisse. Ægilis huius vitam à Candido literis proditam, iam vsus publici fecimus.

Gerhohus presbyter.

XVI. XVII.

Ad Gerhohum Presbyterum.

Gerhoh sagitta. GERHOHVM Bibliothecarium suis versibus ornat, & nomen à sagitta ferre monet. Nescio an Gerhoh antiquis Germanis sagitta fuerit; huius certè vernaculi sermonis vsu effectum sagittæ luculenter

culenter

culenter exprimit, gar hoch, id est, valde altum. Vnde & sagittam nonnulli dici tradunt, quod neruo excussa satis longè agatur.

XVIII. & seq.

Ad Samuelem Episcopum.

SEPTEM epigrammata, quæ sequuntur, Samuelis Presbyteri memoriæ & amicitię scripta sunt, de quo aliud hinc exploratum habeo nihil, nisi quod ab ipso Rabano traditur, olim apud Turones Rabani condiscipulum & sodalem extitisse, Albinũ communem magistrum habuisse, ipsum deniq; à Rabano magnis terrarum & fluminum spatijs longè disiunctum, Doctoris munus alicubi sustinuisse. At circumspicienti diligentius occurrit, Samuelem hunc eundem esse, qui deinde ex Laurisheimensis, prænobilis olim Rhenensi tractu in Palatinatu monasterij abbate, ad Wormatiensem cathedram euectus est, & anno DCCCXLVII celebri in Synodo Moguntiæ Rabano, inter coëpiscopos assedit, vt ex epistola synodica colligitur, quę tom. 3. Conciliorum, & apud alios legitur. Et consentiunt indices ecclesiæ Vangionum, qui hoc eodem anno die xv. Octobris, S. Cyriaci honori templum Neuhusij dedicasse perhibent.

Samuel Hrabani condiscipulus.

Vangionũ Episcopus ex abbate Laurisheimensi.

XXV.

Ad Isanbertum presbyterum.

ISANBERTVS, cuius nomine Baturico paulo ante scripsit, ex notatione Latina dicitur ferro clarus; eiusque epitaphia virum plenius ostendunt.

Isanbertus presbyter.

XXVII.

Ad Irmingildum.

Buoloni vt regnum det.

AVT Irmingildo nomen diuersum id obtigit; aut amico tertio bene precatur. Carminis vmbilicus abscissus, vnde & insequentis bene longi poëmatis, de Patientia Sanctorum, exordia perierunt.

Irmingildus.

Buolonus.

Patientia Sanctorũ.

XXVIII.

Bonosus.

EPIGRAPHEN tamen Bonoso deberi versus vltimus indicat. Hunc ego Rabano in studiis æqualẽ extitisse interpretor; qui & ipsi

Bonosus, post Hatto Fuld. abbas.

ipſi in abbatis munere ſucceſſit, alio ſcilicet nomine nuncupatus Hatto, pictoria arte præſtitiſſe, quæ ad eundem ſcripſit hexametra ſatis arguunt. De Hattono autem vetus MS Abbatum catalogus: *Hatto Bonoſus dictus & glorioſus, ſuſcepit gubernaculum Abbatiæ, anno Domini DCCCXLI. & per annos XXII diſcretè & modeſtiſſimè rexit in morem Moyſi, de quo ſcriptum eſt: Erat mitiſſimus ſuper omnes homines. Sibi ſubditis diſcretus & mitis; potentibus autem ſæculi valde grauis*

Hattonis ſeu Bonoſi abbatis Fuld. elogium.

" *& æquus extiterat. Hic æterna virginitate præditus, Monaſterium ma-*
" *gna vtilitate adimpletum, glorioſo fine vitam præſentem concluſit; anno*
" *Domini DCCCLXII.* Nec affirmem temerè hunc illum eſſe Bonoſum Abbatem, ad cuius interrogata Rudulphus in Catalogo refert, librum confeciſſe Rabanum, de cognationis commixtione, & Magica arte vitanda.

Item ad eundem.

Nam pictura tibi.

Scripturæ & Picturæ comparatio.

Contendit inter ſe ſcriptoriam artem cum pictoria, quæ ſeſe Bonoſus iactantius efferebat, atque ab vtili, iucundo, neceſſariam humano generi, & à Deo ipſo monſtratam ſcribendi facultatem, longè quidem anteponit pingendi delicato inuento.

Primitus Aegyptus vmbrarum.

Picturæ inuentio Ægyptijs tributa.

Ita Plinius libr. 35. c. 3. & eius interpretes, quanquam apud ipſos ſex millibus annorum inuentam, priuſquam in Græciam tranſiret, & vanam prędicationem refert. Inuentę vero gradus artis, primum ponit vmbram hominis lineis circumductam; inde imaginem ſingulis coloribus expreſſam, monochromaton dictam: hinç demum Babylonios colores diuerſos intexuiſſe picturis. de quibus adi Cælium Rhodig. lib. VIII. c. XI. & lib. XXIX. c. XXIV. & μονόγραμμοι in Adagijs Hrabano autem fauet contra Bonoſum artis elogium ſingulare. Pictorem, cum ipſe loquitur, loqui malè, at cum pictura, bene vtique. opus enim tunc loquitur, & commendat artificem Ægypti vero hic etymon altius repetitur à מצרים Miſraim Hebræo, quod Chami filio nomen, Tribulationem ſignificat & anguſtias, vt ex צר radice liquet.

Mons ſonat illa mea menſura atq; amphora.

Obſcurus hic verſus, ſi montis nomine Sina vel Sinai in deſerto

Pharan

Pharan accipit, cuius in vertice lapideis descriptam tabulis legem Moysi Deus tradidit. Sinai enim vel Sin Hebræis rubus, Syris est inimicitia. Rabanus autem hic mensuram interpretatur vel amphoram. Cum vero Sin longè à notione Middah vel Chad, sepositum sit, suspicari liceat Sin & Hin Rabanum confudisse, vt cum notissimum Hin in scripturis mensuræ genus sit, & Latinus interpres alicubi Sextarium verterit, huius vocit etymon, incurioso talum vsu, Sin & Sinai monti adscripserit. Id quod callens linguæ Theologus amicus ita deducebat, vt Rabano oblatum forte hoc etymon conijceret, quod pro צ vel ס. assumpto ז. Sonuerit ei Zehina זחיבי. Ecce Hin mea, id est mensura vel amphora. Verum facilius hoc mihi credi postulem, Rabano S. Augustinum, quam linguæ illius arcana fuisse hic in mente, & in oculis, qui ad Psalm. 67. quod Sinai terminus & claustrum quoddam esset regionis Iudææ, mensuram interpretatus est; quod in allegoriarum Silua Hieronymus Laoretus etiam obseruauit.

Sin & Sinai, quomodo mẽsura vel amphora?

Quid laborem scriptis commenta edicere plura?

Etsi quantitatis parum sedulus obseruator in poëtica sua Rabanus, putaui tamen scripsisse potius: *Quid labor est.* nam nullo alioqui negotio vertere carmen potuit:

Quid scriptis commenta edicere plura laborem?

Scriptoriam facultatem commendat, alibi à nobis laudatam, pro captu Rabani & mediæ ætatis, ceu expetitam nobilibus monasterijs & bibliothecis, imò reip. ante typographiam inuentam, adprimè necessariam. Eius Deum facit autorem, qui legem iubens & tabulas, digito suo scriptas Mosi tradiderit. Quo & vatum antiquissimos, & eorum principem Mosen referre licet, qui secundum Isaiæ sermonem manu sua Domino scripserunt. Et quid in hoc genere diuinius? *Iesus inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Ioan. 8. *Ego Paulus scripsi manu mea. &, Salutatio mea manu Pauli.* In veterum placitis est: Manus Rationis ac Sapientiæ quasdam esse ministras. Ab earum motu facili ac innato, innumeras artes in genus humanum profluxisse, architectonicam, culturam agrorum, musicorum cuiusque generis organorum fabricam, vsum & suauem concentum; vestiariæ, armaturæ, rei metallicæ, nauticæ copias ad ornatum &

Lib. 1. Antiq. Fuld. Scriptoria ars. Scriptoriæ laus. Deut. 9. c.

Q vtilita-

vtilitatem sanè quidem affluentes; omnium denique, quæ hominũ iuri in orbe subiacent, manuum solertia percipi & administrari. Sed de pingendi & scribendi ratione, quæ genera duo latissimè patent, nobis sermo; & quia posterius priori Rabanus anteponit, legatur ea de re, si placet, Cæl. Rhod. Lect. antiq. lib. IV. c. III. vbi post manuum laudem, commendat scribendi donum. Græci duplex statuêre scriptorum genus, partim eorum, quos τὰς γράφοντας εἰς κάλλος appellabant; vnde & ijs καλλιγραφία, qui nobis librarij, & venustè scribentes antiquarij; partim aliorum, qui γράφοντες εἰς τάχος, priscis notarij. de quibus Martialis.

Scriptoriæ genera.

Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Vsus laudatus.

Sed ne aliorum hic in messem ingrediamur, satis sit instituto nostro, meminisse Theodosium iuniorem imp. litteras tam venustè pinxisse, vt inde ceu victum factitans Calligraphi nomen meruerit; & hac ætate nobilem scriptorem Repertum esse, qui nobiliore scriptoriæ artis Symbolo, interpretor mentis suæ, Pennam scientiæ, prudentiæ, sapientiæ operatam gloriosæ Deiparæ matris honori consecratam, perenne donarium esse voluit, quo discerent, qui ἔπεα πτερόεντα, vt Homerus sæpe loquitur, pennata verba, per huius æui cacoethes temerè plurimum & imperitè spargunt, cælitum ope, non solum calami beneficio, perennare.

In pennas inquisitũ.

Quæri verò solet, an prisci nostri cœnobitæ librarij, qui pellibus & membranis tot scrinia bibliothecarum impleuerunt, pennis, vt iam vulgo scriptores, ex anserum, gruum, cygnorum alis vsi sint; an iuncis potius & arundinibus, ex quibus calamos aptabant prisci. Autores, qui rem certo definiant, fateor haud me legisse; ex arundinis & calami promiscua significatione, qua sequioris ætatis nonnulli vtuntur, lis finiri non potest. Si quis coniecturæ locus, apices maiusculos, & ductus vnciales, quibus vetustiores membranæ plerunque exaratæ, ausim pronuntiare calamorum opera perfectos, minutiores litteras, & ταχυγραφίαν, pennis expedita fuisse. quem sensum in versibus Albini, scriptorio consecratis, insinuari putamus.

Scriptoriæ instrumẽta calamus & penna.

Tramite quò recto penna volantis eat.

Vtriusque, & calami & pennæ, in monasterijs ad rituales libros, & can

&cantum ecclesiasticum celebrem vsum viguisse, recordantur aui nostri.

XXIX.

De fide Catholica rythmo carmen compositum.

AFFECTV à dispositione plurimum poëta laborat. Iambici versus sunt; sed in quibus, vt de Pindaro quoq; dixit magnus vates, FERTVR NVMERIS LEGE SOLVTIS Rythmum appellari crediderim, quia, cum teste V. Beda, Rythmus sit modulatio sine ratione, non metrica lege, sed numero syllabarum ad aurium iudicium examinata, hic Iambici concinnitas soni tantum imitatione quadam. Argumentum valde pium est, totius humani generis conditi & restaurati œconomiam complectens; nec non religionis Christianæ præcipua capita subijciens animo lectoris, haud inualido sensu. Inspice lemmata & notas, quas ad oram adspersimus.

Oeconomia Christi circa salutem humanam.

XXX.

De transitu Monachorum.

SECESSIONEM sub Ratgario abbate factam hac ode describit, de qua ex commmentario vitæ Ægilis abbatis Lib. I. Fuld. antiq. cap.

Schisma Fuld. sub Ratgario abbate.

Ecclesiarum illustres inscriptiones.

Sequitur aliud Carminum genus, quo pro ingenij laude, qua floruit, & opinione doctrinæ Rabanus, illustres passim ætate sua excitatas basilicas, versibus suis partim sponte, partim rogatus ornauit. Codicis hic mutili & hiantis sortem deplorent merito homines, antiquæ historiæ, & ecclesiarum suarum originum amantes. Nam præter inscriptiones & lemmata, quæ librarius sæpenumero neglexit, plagulæ membraneæ complures excisæ; atque sic vna tituli & argumenta versuum non pauca periêre. Neque dissimulo, nomine cælitum hic multa legi, & à Rabano celebrari, quorum non temere alibi memoriam eruas. Et quia in honorarijs tot epigraphis, quæ non templis tantum nobilibus, sed eorum singulis etiam aris contigêre, longum & spissum nimis opus sit, in translationes, reliquias, & conditoria

Ecclesiarũ illustrium inscriptiones.

Sanctorum, qui agminatim promuntur, inquirere, & ex tam densè cohærentibus vuis scilicet mustum exprimere; nos posca contenti, vt quodque dignum memoriæ prodi in manus venerit, ita quâ licebit, noscitandæ historiæ veteri facem accendemus. Vnum monere non sit abs re, titulorum & transmissionum autoritate, nisi aliunde magis elucescat, non hic doceri, aut ex Rabani verbis cogi, integra sanctorum corpora translata, deposita, condita; sed eorum reliquias; cineres & exuuias satis fuisse parandæ memoriæ, condendisque titulis. Nec laborandum mihi apud æquos censores video, qua fronte excepturi sint agrestem hanc Musam delicati poëtæ; quos meminisse oportet, sua cuique ætati & ornamenta & vitia adhæsisse, horumque fructum & incommoda iuxta æstimari. Sed ne Rabanum ipsi tamen inauditum iugulent, quæram ex ijs, quo iure Virgilio licuerit & Propertio Italiam. Arabiam capite corripere, Iuuenali Stoicidas penultima breui inducere; Ouidio Tuticanum eundem contrahere & producere? atque id genus. Cur, inquam, alijs etiam poëtis fas fuerit sibi tam multa indulgere? an quia contumaces in eos plurimæ voces & Syllabæ, iugum poëticum excussum ibant; atque iccirco cogi in versus sine fustuario non poterant? An eiurato Latij iure in Græcorum poëtarum leges transire malebant,

Sanctorum translationes Synecdochicè acceptæ.

Hrabani prosodia excusata.

Poëticæ licentiæ documentum.

——— Quibus est nihil negatum,
Et quos, ἄρες, ἄρες, decet sonare.

ita vt in eorum floribus reperias passim Lucianos, Claudianos, Iulianos, penultimâ correpta. Quæ à me taceri propterea non decuit, quod his animaduersis, toti Christianorum poëtarum nationi, non solum Fortunato & Rabano mitiora iudicia video parari, & Grammaticorum vna ferulas vtcunque reprimi.

Basilicæ S. Saluatoris Fuldensis inscriptiones.

Basilica Fuld. S. Saluatoris, cum altarium & reliquiarum monumentis.

Fuldensis Basilicæ anno Christi DCCCXVIII. Indictione XII. mensis Nouembris prima die dedicatæ memoriam Cap. III. Lib. II. Antiq. Fuld. recoluimus; in qua quidem Dei beneficio singulari contigit, vt cum epigrammata Rabani seorsim istic litteris mandata sint, ex ijs coniecturam faceremus, Inscriptiones altarium, quæ hic ex abrupto

abrupto traduntur, omnes pertinere ad Basilicæ Fuldensis ornatum, quæ Saluatoris honori consecrata fuit. Ceterum vt in illa descriptione, plagarum & situs templi potissimum habita ratio, ita hic altarium, quæ Sanctorum exuuijs, & illustribus versuum epigraphis pulcra stetère. Vnde & plura hic epigrammata, quam in actis Dedicationis leguntur. Sed, quæ rerum omnium vicissitudo est, neque templi situs, neque altarium vel carminum memoria in posthumis operibus, præterquam in hisce scriptis, viuit. Tantum in præsens meminero eorum, quæ nuper lucem adspexerunt, vt ex his norit lector, illa ornari, & hæc per ista expleri posse.

XXXIII.

Ad altare S. Stephani.

SECVNDVM ordine inter editas Basilicæ epigraphas, cuius ibi titulus.

In porticu Septentrionali, in sinistrâ, absida orientalis.

XXXIV.

Ad altare S. Clementis.

IV. in editis, scriptumque fuit vel insculptum, DEXTRÆ ABSIDIS ORIENTALIS, IN PORTICV BASILICÆ MERIDIANA.

XXXV.

Ad altare S. Agathæ.

DEdicationis actio. IN PARTE SEPTENTRIONALI TRANSVERSÆ DOMVS. Et distinchon illic omissum:

Praxede cum sacra foueas nos virgo Basilla;
Sicq; pijs meritis Sancta Pudentiana.

XXXVI.

Ad altare S. Lucæ Euangelistæ.

HVIC epigrammati titulum olim dedimus à loco. IN SINISTRA ARCVS, QVI RESPICIT DOMVM ORIENTALEM. Iamque carmen id tetrastichonouo cumulatum cernis.

XXXVII.

Ad altare S. Marci Euangelistæ.

TItulus editi carminis. IN DEXTRA EIVSDEM. Carmen autem duobus, qui ibi præteriti fuêre, versiculis explendum est.

Candidus Exuperus, &c.
Silenus martyr, & Timotheus ouat.
Abdoq; cum Senne, Protus martyrq; Hyacinthus,
Quos nobis &c.

XXXIX.

Ad altare S. Benedicti.

ACCESSIT hac editione distichon, quod suppressum est in actis dedicationis.

Eucherius, Trudo, Arnulphus, Seruatius atque
Cuthbertus, Beda hic, Equitinsque manent.

XLI.

In Cæmeterio fratrum &c.

Cœmeterium vetus Monasterij Fuld.

COEMETERIVM hoc, cum singularis artificij templo, anno DCCCXXII. ab Heistolfo Moguntiacensi archiepiscopo dedicatum; & versuum ornamenta, quę hic leguntur. Li. II. Antiq. Fuld. c. V. memoriæ tradidimus. Superest interiectus basilicæ ad Septentrionem collis, & S. Michaëlis Præpositura & templo, ex ruderibus veteris ecclesiæ suscitato, non ignobilis.

S. Michaëlis monast. seu Præpositura.

XLIV.

In ecclesia S. Mariæ, &c.

Ecclesia montis B. Virg. apud Fuldam.

DE monte Episcopi, qui nomen id à S. Bonifacio insessore retinet, & varijs loci ornamentis, sæpiusculè loquuntur Antiquit. Fuld. libri. Templum id pręter alias clades, quibus afflictum olim, tam multis nuper labefactatum iniurijs, vt ruinę proximum videatur. Loci amœnitas in oppidi conspectu, accliui colle ad Aquilonem siti, & celebris soli religio Balthasarum, felicis memorię Abba-

Abbatem, permouerant, vt labem resarciret; & operi iam manus adhibuerat. Neque templi modo fabrica, sed aptum Monasticę domicilium surgebat, cum pręclaram animi contentionem in medio spatio, inuidia fregit & praua factiosorum ęmulatio: donec tandem Ioannes Fridericus successor, templo restaurato benignam operi manum admouit. Interim Ratgarij operum, aut monumentorum Rabani nullum ibi in corpore templi, vel turribus ipsis, vestigium; etsi lapis sepulchralis Ratgarij istic hodieque monstretur. Itaque abiere omnia, quę ex Rudulpho nos olim lib. III. antiq. meminimus, de illatis hunc in locum Sanctorum exuuijs, alijsque collatis ornamentis.

XLVII.

In abside ecclesiæ S. Petri.

OPVS hoc Rabani Ecclesiam à Reginbaldo, Chorepiscopo Otgarij Moguntini Pontificis dedicatam, pignoribus sanctorum, conditorijs & epigrammatis mirificè instruxit. Testatam hanc rem commentario Rudulphi dedimus, qui extat in antiq. Fuld. lib. III. *Reginbaldus Suffragan. Otgarij Archiepisc. Mog.*

XLVIII.

HOC epigramma arcę reliquiarię inscriptum, porrectis in vtramque partem versibus, narrationi suę Rudulphus, actorum Rabani scriptor, intexuit.

LXII.

Ecclesia S. Mariæ in Holtzkyricha.

WALDZATIA regione apud Mœnum, prope ab Odonis sylua, immensę olim magnitudinis, hanc ecclesiam cũ monasterio, in antiq. Fuld. libris, sitam ostendimus; quę hodieq; primariæ congregationis Prępposituris annumeratur. Locus Holtzkyricha dictus, quia ecclesia, quę ex κυριακῷ Gręco, Germanis Kyricha, nemoroso in solo & cęduis fertili, quod ijsdem Holtz/ exstructa. Et rectè dicti eius tractus homines Waldsassen/ ceu nemoris accolę. Origines loci alibi, & pręclarè Rudulphus, sępe nobis laudatus, Diuorum Ianuarij & Magni, qui hic nominantur à Rabano, euectionem descripsit. Etenim Humberti Wirziburgensis Episcopi studium, cuius in diœcesi Monasterium id erectum, excitauit, *Monasterium & Ecclesia Holtzkyricha.* *SS. Ianuarius & Magnus.* *Humbertus Wirziburgi Episcopus.*

excitauit, vt ossa martyrum is venerabiliter conderet; atque inde Rabanus, machina super sepulchro lignea affabrè exstructa, & vario metallo inducta, versus addidit, qui hic epigrammate LXIII. leguntur: ECCE VIROS ISTOS; quos eosdem Rudolphus in acta misit.

LXI. & LXX.

Venant. Fortunati poëma.

POST magnum hiatum & paginas aliquot membranæ detractas, leguntur hæc carminum paralipomena, quæ ex Fortunati lib. VIII. poëm. V. cui titulus: IN LAVDEM S. MARIÆ VIRGINIS ET MATRIS DOMINI, decerpta sunt. Nam ea, quæ hic præscribuntur titulo 61. Versus in ECCLESIA DEI GENITRICIS: cum ijs, quæ num. 70. excurrunt, perperam miscentur. Apud Fortunatum enim in Epilogo poëmatis hoc ordine leguntur.

Pulchra super gemmas splendorem solis obumbrans, &c. fol. 206

Facile itaque iacturam hanc feremu , si Fortunati, quod opinamur, prolixum poëma hic intextum fuerit.

LXXI.

Versus more Litaniæ facti.

Litaniæ formula.

NOTABILIS hic veteris Litaniæ ritus expressus, qui in nostram ætatem vsque propagatur, vt ab inuocatione SS. Trinitatis gradatim per Sanctorum certas classes supplicatio finiatur, agni Dei, id est, Christi Domini nostri ope & misericordia implorata. Mos autem obtinuisse Rabani æuo videtur, vt ad faciliorem cantum, & harmoniam, litanias metro conciperent, cuiusmodi Tomo V. antiq. lect. à S. Galli duobus eruditis, & rara pietate monachis elaboratæ afferuntur, Rutperto & Nothero; & nos iam promemus eam, quam à Rabani aut coætanei cuiuspiam ingenio profectam suspicabamur, & in D. Marci Nudipedalibus olim decantari, & ad hanc diem in Supplicatione campestri à Monasterio Fuldensi adhiberi solitam sciebamus; Verum Monasterij S. Galli monumentis inspectis, prorsus eam Hartmanno siue Hartmundo Rabani discipulo adscriptam animaduertimus, quo de Tritthemius & Henrici Canisij notę Tom. V. antiq. lect. Porro Litanijs illis epigraphe datur.

Litaniæ versu scriptæ.

Litaniæ S. Gall. & Fuld. inter se icomparatæ.

Ad

Ad Processionem diebus Dominicis.

Earumque tenor hic est:

Humili prece, & sincera deuotione
Ad te clamantes semper exaudi nos.
Summus & Omnipotens genitor, qui cuncta creasti
Aeternus, Christus filius atque Deus. &c.

Collatis autem cum vulgato manuscriptis Fuldensibus, lectionis & ordinis magnam varietatem deprehendimus, ita vt Sangallenses versibus nonnullis immutatis, Litaniam à Rabano forte concinnatam, ad sui monasterij vsum transtulisse suspicari possis.

Vulg. *Perpetua radias cum virginitate pudoris.*
Fuld. *Perpetua semper radians cum virginitate.*

Hinc post Apostolorum inuocationem, à verbis his:

Fac bona cuncta sequi.

Interponunt Fuldenses tetrastichon:

*Summe * Bonifaci miles fortissime Christi,*
Nobis nunc famulis auxiliare tuis.
*Nil * scis perspicuum poterit vox * clara referri,*
Vt decet in tali nunc Patris obsequio.

S. Bonifacij patrocinium.
* alii vulg. Galle Dei summi.
* sic. * nos

Rursum post versum:

Chrysogonusque pius nos miserando iuuet.

Fuldenses ordinem interpolant, & martyrum diuersorum patrocinia superaddunt:

*Hic * tibi perpetuis resonant concentibus ædes,*
*Arcibus * & sacris semper habetur honos.*
Cum læti famuli celebrant hæc festa benigni,
Laudibus instantes nocte dieq; tuis.
Dirige corda pius, tu tempora dirige nostra,
Atque dies lætos ducere da famulis,
Vt semper valeant tibimet seruire quieti,
Te quoque cœlesti cernere luce poli.
*Basilides, Nabor, Gorgonius atque * Cyrinus*
Martyrio niti-di qui estis in arce poli.
Vocibus assiduis effundite rite precati,
Nosmet vt innocuos efficiat Dominus

* sic.
* Ossibus.
* Quirinus.
" Hæc desunt Litaniæ Hartmundi.
" Fuldenses patroni.

R *O dile-*

* Vulg. Othmare.

O dilecte Deo radians virtute corusca
Sancte Albane pater, iunge preces pariter.*
» *Intercede pijs veniam poscendo misellis,*
» *Aureq; tam blanda carmina percipimus.*
» *Præsul Adelbertus Christi pro nomine passus*

S. Adelbertus.

Adiuuet indignos subsidiis famulos.
» *Ad Christum Dominum, qui saluat sanguine mundum,*
» *Vt sit peccatis propitius hominum.*

S Hammeranus.

Hammerane sacer princeps, & in ordine pastor,
Sanguine qui fuso testis ades Domino
» *Semper cum populo rogita pro crimine cuncto;*
» *Vt seruet famulos, hoste nocente, suos.*

Hinc iam subijcitur:

O vos martyrio, &c.

Vulg. *O Benedicte sacer atque benigne pater.*
Fuld. *O Benedicte pater, iunge preces pariter.*

Claudunt Litaniam Fuldenses Græco disticho.

ΚΥΡΙΕ ΠΑΤΟΚΡΑΤΩΡ ΙΗΣΟΥΣ ΣΩΤΗΡΙΕ ΠΑΝΤΟΣ
ΕΤ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΜΩΝ ΧΡΙΣΤΕ ΕΛΕΙΙΣΟΝ.

Litania approbata & in S. Galli monasterio quoque recepta.

Atque hanc rythmicam Litaniam Sangallensis cœnobita sui monasterij illustrator, Iodocus Motzlerus, fatetur in ferijs rogationum adhuc, vt hodieque Fuldæ, vsurpari; & formulam hanc à Nicolao III. pontifice quoque probatam. Adi Antiq. Lect. Tom. V.

LXXVI.

Versus in tumulo S. Sergij.

SS. Sergius & Bacchus martyres.

MARTYRVM Sergij & Bacchi frequens in tabulis Ecclesiasticis memoria. Fratres fuisse, & eorum pignora Româ in Germaniam translata, quod hic poëticè quidem, at verè canitur, non perinde testari possumus. Ad VII. Octobris Martyrologium Romanum memorat eorum martyrium; & locus, vbi Sergius quiescit, proditur Sergiopolis, aliaque ad horum martyrum præconium, in annotationibus suis, Cæsar Baronius ex Græcorum commentarijs obseruauit. At ex Eoæ Euphratesiâ prouinciâ quando in Occidentem, & vt hic Rabanus, in vrbem Romuleam penetrarint, quis nobis ad

Trãslatio eorum in Occidentẽ

bis ad inuestigandum viam muniat, vbi tot historiæ sanctorum offusæ tenebræ? Satis Gregorius Turon. docet Lib. Franc. 7. cap. 31. reliquias eorum Gallis innotuisse, satis Anastasius, Gregorio III. sedente, Diaconiam sub eorum titulo surrexisse. At corpora sanctorum vel integra, aut sui potiore parte, Romam allata, manet obscurum. Et tamen Moguntiacensis archiepiscopus à S. Bonifacio quintus.

Romulea ex vrbe hos præsul Otgarius ambos
Aduexit.

SS. Sergij & Bacchi secunda translatio in Moguntinam diœcesin.

Quin &, basilica condita, monumentum S. Sergio, venerationis & honoris ergo publicè posuit. Sane iucundum fuit, antiq. lect. Tomo V. hymnum legere, testem eorum in occiduum orbem aduentus, quique horum martyrum laudes, & sepulturæ locum exprimeret, etsi non ita clarè, vt locum omnem tolleret ambigendi.

Inde vos sæcli pretium sequentes,
Quæsumus, nobis meritis fauete,
** Nosos vt vestris nequeat nocere*
Ciuibus istis.
*Hic * topus vester vocitatur Alba,*
Ciuitas sacris decorata gazis,
Quem sacrosancti cineres adornant.
** Somata sancta.*

* Morbus

* Locus. Alba ciuitas SS. Sergij & Bacchi.

* Corpora.

Character ab æuo nepotum Caroli magni, cum Hellenismi affectatione. Sed Albam hanc quis nobis Geographus radio suo designet? in censu quidem suo plurimas id nominis vrbes habet. Hagiologi recentiores, vt Wicelius in Choro sanctorum, & Martyrologium vulgo Petro Canisio adscriptum, hos martyres tradūt apud Venetos quiescere; quanquam Wicelius id constanter affirmari nolit. Ego præeunte Rabano, in Moguntinā diœcesin importatos cogor credere. Atq; ex sequentibus Epigrammatis colligo, in celebri qua basilica S. Sergij corpus, aut ossa eius præcipua deposita. Nam thecam qua componeretur, ei Rabanus faciendam curauit, Epigr. 77. & Confessionē sepulcri versiculis ornauit Epigr. 78. denique inchoatā ab Otgario Ciborij structuram, & superimpositam altari S. Martini, perfecit, vtriusq; Diui, & S. Martini, qui hodieque ecclesiæ

Sanctorū Sergii & Bacchi tumulus ab Otgario & Hrabano ornatus.

 Mogun-

Moguntinæ patronus, & sancti Sergij martyris honori eam collocans. Epigram. 79. Vbi obiter trado. Ciborium apud Athenæum libro XI. & eius interpretem I. Casaubrium, ab Ægyptijs vsurpatum nomen, pro certo poculi genere. Vnde Hesychius κιβώριον αἰγύπτιον ὄνομα ἐπὶ ποτηρίου Ecclesiasticus vsus priscè iam pro conditorio accepit, vel theca, quæ corpus Christi, aut sacrosanctorum ossa reciperet, iam pro grandioribus machinis illis, quæ turrium instar & arcarum, super altaris mensam erectæ, nomen arcæ retinent, quo modo hic Ciborij arcem Rabanus appellauit. Consule de ritibus ecclesi. Steph. Durantum lib. I. cap. XVI. Sed ad martyres ilico redeo, & eorum quoque memoriam in Eisfeldiæ non ignobili oppido Heiligenstadio venor. Oppidum id in centro Germaniæ, Meliboco monte finitum, limes est multarum nobilium prouinciarum, Hassiæ, Thuringiæ, Brunsvvigiæ; paretque ditioni archiepiscopi Moguntini, qui per collegium Societatis, multiplici cultura, rudem, & labantem ob temporum iniurias, istius regionis populum expoliuit, & in Catholica religione conseruauit. Hic itaque dum Moguntiacensis historia silet, rituales libri fatentur, in ecclesia Collegiali peruetusta, quæ D. Martino dicata, sanctorum martyrum Sergij & Bacchi frequentari patrocinia. Qua de re cum Clerum istius loci consultum eo; illustria sanequam, testataque eius narrationis monimenta istic extare comperior, quæ horum versuum titulos, & martyrum fugientem memoriam ab obliuione facile vindicent, oppidique illius Origines, abstersis fabularum nebulis, iuxta in meliore luce collocent. Enimuero Aurei & Iustini, Sergij & Bacchi martyrum conditoria, pignoraque S. Martini basilicæ MS. liber, & templi conditi fundatique munificentiam Dagoberto Francorum regi fert acceptam. Quippe regem ob lepræ fœditatem à suis desertum, relicto regno, incognitas adijsse terras, atque in Eisfeldiâ repertis locatisque sedibus, vt fit, venatum ijsse; hinc fessum, blandiente herbidi soli floribus intermixtis amœno toro indulsisse somno; experrectum rore manus imbutas admouisse oculis; roris attactu redijsse salutem: sed manibus & vultui duntaxat; inde prouolutum toto corpore iterum reginæ coniugis monitu, immersisse se roscido gramini, cum leprâ funditus extersâ, eremicolæ responso discit,

Ciborium.

SS. Sergius & Bacchus in Eisfeldia quæsiti.

Heiligenstadium oppidum, eiusque situs, & Origines.

S. Martini Collegialis Ecclesia.

SS. Aureus & Iustinus.

Dagobertus traditur fundator Ecclesiæ S. Martini Heiligenstadii.

Iustini

Iustini & Aurei precibus obtigisse sanitatem, quorum reliquiæ istic loci, vbi rex consanatus, tenerentur indefossa. Itaque, anachoretæ hortatu, religioni dicasse locum, sumptum & prædia donasse, vnde templum existeret, & clerus ad Dei cultum coalesceret. Nomen quoque loco reliquisse à sanctis, quod Heiligenstadium sonat. Verum vt post tot inflicta huic loco bellicarum cladium & flammarum vulnera, quod ipsi fatentur, qui hæc memoriæ mandarunt, credamus iam inde à Dagoberti temporibus, hac tam vicina Thuringis regione, templi clerique vestigia superfuisse; illa tamen, quæ fabulantur de Aurei & Iustini martyrio, isticin solitudine peracto, & eorum capitibus quæ truncis suis auulsa, Attilæ iussu, Moguntiacum exportata sint, fidem nullam merentur: non quod Iustinum pro Iustina celebrent, sed quod in Aurei passione, prorsus historiæ prouinciali repugnent, & palæstræ gloriam Metropoli adimant; ac denique commenta poëtis magis, quam sacris scriptoribus digna, pro vera historia vendi tent. Sic igitur tota de re nos pronuntiamus. Luduico pio rerum potiente Otgarium archiepiscopum, Heiligenstadio præcipuum honorem & gratiam conciliasse, translatis eò sanctorum Sergij martyris, & Iustini presbyteri pignoribus, ijsq; Bacchi & Aurei præsulis auctario cumulatis. Ab horum sanctorum cultu & veneratione, magnis, vt ea tempora erant, hominum coitionibus frequentata, decus & famam venisse loco, præsertim cum priscæ S. Martini forte vel collapsæ vel obscuræ, ornatior & auctior basilica, Otgarij impensis, succederet, & Rabani cultu magis etiam efflorescceret. Sanè Iustini presbyteri & Confessoris, quem Otgariũ Roma extulisse, Rabanus non vno loco docet, Num. 105. & 128. ac seqq. merito hic optamus memoriam instaurari; cuius absque hisce versibus, & Heiligenstadiensis cleri indicio esset, nomen & titulum vetustas sepelisset. Nam cum Aurei & Iustinæ sororis notior in vulgus sit historia, religioni nõ paucis fuit, S. Iustini patrocinium vsurpare, ob erroris & falsi nominis suspicionem. Sed præter veteris libri constantem scripturam, cuius mihi copia facta est, etsi perperã ibi diaconus & martyr habeatur, lapis quo sepulchrum integitur medio basilicæ choro Iustinum loquitur, eiusque amictu Leuitico, vt pontificio B. Aurei, imagines geminę huic lapidi insculptę visuntur, &

SS. Aurei & Iustini passio non sincerè tradita.

Otgarius SS. Sergiũ, & Iustinũ presbyterum, Bacchi & Aurei reliquias Heiligenstadii deponit.

Heiligenstadium à sanctis his nomen accipit.

S. Iustini Confessoris memoria vindicata.

tur, & tacente licet epigraphâ, quæ ibi nulla, maiorum tamen vox Iustinum & Aureum sanctos interpretatur. Vniuersè manuscriptus à me laudatus, tametsi multis, & equidem interpretor, fabulosis narrationibus inquinatus sit; ex maiorum traditione tamen, de quatuor patronorum Heiligenstadij quiescentium memoria sic edisserit:

Sanctorũ IV. memoriam S. Martini basilica conseruat, apud Heiligenstad.

*Conseruantur in hoc præclaro templo, præter Beatorum * Aurei & * Iustini martyrum pretiosas reliquias, non minori reuerentia & cultu, fortissimorum Christi martyrum Sergij & Bacchi ossa veneranda, olim * regali translata solertia, quorum omnium Mausolea videntur dextrâ lauaque chorum subeuntibus, materia & arte conspicua.*

* Aurei martyris.
* Iustini Confessoris.
* Luduici pij fauore: Otgarii Archiepiscopi studio

Ita quidem ibi, ad priscam vtique basilicæ faciem & lætiora primordia; quibus multiplices inde clades ac ruinæ superuenêre, accommodata narratione. Et quo omnia denique nostra stabiliuntur, confessio Sergiani sepulcri, Theca martyri fabricata, & iunctus his S. Martini veteris patroni cum ciborio titulus, sepulchri Sancti Iustini, quam postea dabimus, inscriptio, scilicet aditum nobis huc aperire videntur. Accedit denique, quod Rabano nobilioris basilicæ tribuunt dedicationem, quam ipse Kalend. Nouembris, anno ob temporis iniuriam obliterato, peregisse traditur. Atque iam etiam despiciendum, puto, num huic Eisfeldiæ regioni Albæ vocabulum prius hæserit, quam sanctorum nomen percrebesceret, quomodo Sapphicis antiquis antea proditum meminimus. Sed illam ciuitatis gloriam facile nobis, opinor, incolæ condonabunt, cum etiam Willigiso sedente, Moguntinæ sedis illustri episcopo, cuius liberalitate cleri fortunæ maiorem istic in modum auctæ, ciuitatis vel oppidi nomen haud meruerit. Nam autor vitæ Burchardi Wormatiensis episcopi, Ottonis tertij ætate, eum cum Willigiso in locum Heiligenstat peruenisse scribit, atque ibi pontificalis benedictionis vnctione venerabiliter à Willigiso consecratum. Hæc de sanctis illis & ciuitate Sanctorum habuimus dicere.

Hrabanus basilicam eam dedicat & ornat.

Heiligenstadium ferro muris inclusum.

Sub Willigiso locus dictus Heiligenstæ.

Willigisus iniit 977.

Pontifices

LXXXI.

Pontifices isti hanc sedem rite tenebant
Postquam hunc Hunni diripuère locum.
Sed numerum annorum certum, quo quisque regebat
Ecclesiam, vsquam reperire haud potui.

Agit de Moguntiacensium præsulum successione, atque eorum tantum, vt apparet, qui post Hunnicam cladem, puta ab anno Christi CCCCLI. præter propter subiere. Serarius certè noster, postquam ex Tritthemio opinionem eorum, qui quadraginta Episcopos ante Bonifacium admittunt, quos recentiores alij tantum XVI. agnoscunt, arripuit, & in eorum Chronologiam permultum certè lib. 2. Mogunt. rerum, & subtiliter inquisiuit, non habuit, quo totam illam disputationem fulciret, grauiorem autorem, quam Meginfridum Fuldensem monachum, à Tritthemio cum alibi, tum in præfatione ad vitam S. Maximi Mog. Episcopi laudatũ: quippe de quo scribit, temporibus Ottonis II. & III. Fuldæ vixisse, libros XXIV. historiarum de temporibus gratiæ composuisse. Ipsum Moguntinos præsules ante S. Bonifacium XL. commemorasse, eorum nomina, tempus & regiminis annos clarè per ordinem expressisse &c. Megenfridi quidem librorum nihil hic Fuldæ reperiri, sed nec aliunde erui, in tã vtili reip. Christianæ negotio, sæpe doluimus. Nec minus tamẽ mirandum, si sua Tritthemio constat fides, Rabanum in antiquitate ecclesiæ suæ tam hospitem & peregrinum extitisse, vt cum in Monasterio Fuldensi, sæculo fere tardius Megenfrido, tã illustria documenta suppeterent, ipse omni doctrina liberaliter institutus, vnde vniuersum flumen erumperet, à seclusa aliqua fontis aquula superatus sit. Sed tamen Serarius noster aurum multifariam defossum quasi commonstraturus, satis habuit, si signa & notas ostenderet abditorum locorum, quibus exploratis, lector sibi ipse foderet. Vnde & numeros quoscunq; præsulum non delendos putauit, sed seruandos. In rebus enim perobscuris magnũ afferre sæpe momentum, vel tenuissimum lucis alicuius radium. Neque diffitetur aut alienum vero censet, Moguntinæ ecclesiæ per varios temporũ casus Interpontificia contigisse, aut vacua interstitia; id quod in Albini & Theo-

Maguntiacensis ecclesiæ historiæ obscuritas quoad seriem Episcoporum. Obliuionem, ordinem, nomina.

Meginfridus Fuld. monachus historicus.

Meginfridi labor in Episcoporum Moguntinorũ serie digerenda.

De eo censura.

Theonesti actis castigatioribus, & rituales ipsi libri fatentur, & in Metropoli nostra Treuerica obseruauimus, quando Treuerensibus Episcopis diœcesim patuisse per Germaniam primam, in qua Maguntiacum, ex Venerabilis Bedæ historia docuimus.

Mogunt. Ecclesiæ Episcoporum interrupta successio.

LXXXII.

In ecclesia S. Mariæ, iuxta sepulchrum Sancti Bonifacij.

Ecclesia S. Mariæ Moguntiæ, quæ nunc S. Ioannis.

ILLVSTRAVIT hunc locum Serarius noster in Moguntiacis suis Lib. III. Notat. 47. Sed qui maximum & decus & lumen afferunt loco, hucusque ignorati versus & priscus ecclesiæ titulus, qui nunc S. Ioannis, olim sanctæ Dei Genitricis, meritoque huius ecclesiæ Metropolis fabrica vicina censetur antiquior. Et probabile est conditorij religionem non mutasse locum, etsi sæpius instaurata sit.

S. Bonifacii exta & sangnis ibi asseruata.

De Fresia huc vectus, cum theca hac rite locatus,
Sanguinis hic partem liquerat hinc abiens.

Theca hæc forsitan humi mersa in conspicuo non est, si superest. Tumbam vocat Epigraphe vetus, Leonino versu concepta & saxo insculpta.

Tumulus reliquiarũ S. Bonifacii, vel tumba.

Desuper hunc tumulum Rabanus condere iussit,
Ad laudem sancti exiguus famulus.

Anno MCCCLVII. tumulus hic conciderat, sed Gerlaci archiepiscopi studio restitutus est. Inde memoria nostra obsolescens, Reu. Stephani Suffraganei pietate refloruit, picturis & ingeniosis versibus australi parieti inscriptis, è quibus vnum hoc:

S. Bonifacius Moguntiam translatus.

Quum diuersa hominum contentio, Friso parentem
Occidit, casum gestit habere Mogus.
Corpus habere nequit, spirantia suscipit exta,
Spiret vt hic pietas Præsulis atque fides.

Tricesima namque die à martyrio V. Iulij cæsi martyris corpus, vt memorant prisci, aduerso amne sponte Moguntiacum aduenit.

AD

LXXXIII. LXXXIV.

AD Fuldana templa, & principis basilicæ ornatum, quæ de Mauri capella, ara vel capsa, figuris, Cruce Guntrami comitis, alijsque Crucibus scribit, dum certiora sese offerant, hæc omnia refero. Fuldensis ecclesię inscriptiones

LXXXV.

In ecclesia Vodilhohi.

AT quod, In ecclesia Vodilhohi, scriptum, inuestigatione loci non obuij, fateor, aliunde merito exspectari indicium. Vodilhohi ecclesia.

CI.

Versus iuxta corpus Permenij scribendi.

PIrminus, Permenius, Pyrminius, aliaque varietate huius Episcopi nomen legunt veteres, Meldensis an Metensis, de quo certamen est, in Mediomatricum ecclesiæ tabulis, Metropoli Treuericæ annexis, inquirimus. Meldensem siue Metensem fatear, antiquorum indicum fide non obtinebis. Tritthemius Meldensem pronuntiat sine dubio; nos Metensem malumus. Attigit hanc controuersiam, rerum Boic. lib. V. Marcus Velserus, & Caroli, Martelli temporibus ait in Germaniam venisse; vt Molani Chronologiam hic prætereeam, qui ad III. Nouembris, quo Depositio S. Pirminij celebratur, obijsse vult, anno MXXXIV. Eisengreinius in catalogo testium verit. Vitæ Pirminij autores laudat Warmannum Episcopum Constantiensem, Henricum Comitem à Cahye Augiensem abbatem, & in Acronij lacus insula Augiæ diuitis, quod Monasterio nomen, conditorem laudat impensè Walafridus Strabus, non vsquequaque remotus ab ætate Pyrminij, & istius gregis archimandrita. Eum sæpe cito ex Antiq. Lection. Tom. VI. S. Permenius, vel Pirminius.

Rhenus ab Ausonio, quo ducitur Alpibus, æquor
Miscet in occiduis diffusus partibus ingens.
Illius in medio suspenditur insula fluctu,
Augia nomen habens; iacet hanc Germania circa

Hac solet egregias monachorum gignere turmas.
Primus in hac Sanctus construxit mœnia præsul
Pirminius, terniſq; gregem protexerat annis.

Quia vero versus quos illustramus petiti à Rabano, quo seruirent memoriæ, vbi præsulis defuncti corpus depositum fuit, facem nobis præclaram Walafridus accendit, cum sepulturæ locum renudauit. Subijcit enim hosce versus:

Huius quisque velit sanctam cognoscere vitam
Ipsa sepulchra petat; satis ipse probabit in Hornbach

Atqui Hornbach monasterium est S. Benedicti Metensis diœcesis in Hundesruchi tractu, haud procul oppido Biponte, cuius Trithemius, Chronico Hirsaugiensi, ad an. MLXXXIII. & Spanheimensi, ad MCCCCLXX. meminit, & tabulæ nostræ Metensium præsulum in Stephano Episcopo.

CIII. CIV.

Versus in sepulchro Ferrutij martyris.

DE Ferrutio martyre ex Meginhardi sermone multa promit autor M g. rerum lib. 2. cap. 34. & lib. 4. ad S. Lulli vitam. Quia vero martyr is Castello, quod contra Moguntiacum, carceris semestris squalore consummatus dicitur, indeq; à Lullo transportatus in monasterium transrhenanum, nunc Canonicorum collegium, Bleidenstadt, diligentius hic despiciendum erit Moguntinis, quia quo modo vna cum Albano Martyrium is obierit, quando Rabanus ita loquitur:

Martyr cum Albano testificans socio:

S. Ferruti° Bleidenstadium transfertur. Bleidenstadii monasterii, nunc Collegii ecclesia.

nemine post Rabanum, quod sciam, siue veterum, siue recentiorum, in illius palmæ societatem adscribente Ferrutium? Scilicet rectè fatetur Meginhardus, suo tempore latuisse actus S. Ferrutij, siue scriptorum penuria, siue deperiisse bellorum turbinibus; vnde translationis ille tantum memoriam attigit. Nam vbi à Lullo conditum exornatumque scripsit Bleidenstadium, eius successores addit Richolffum, Haistolphum, Rabanum, eadem deuotione locum sanctum coluisse, ecclesiam amplificasse, tumbam sanctarum exuuiarum decenter composuisse, pauperes Christi, pro sacris

offibus excubantes, humanitatis summa consolatione fouisse. Quæ eadem duobus his epigrammatis complexus est Rabanus; & hoc insuper, maiorum exemplo arcam ibi & titulum martyri condidisse, ipsiusque studio & amore scripsisse laudes.

C V.

Versus ad sepulchrum S. Iustini Confessoris.

IVSTINI Confessoris hic sepulcrum, postea basilicæ vel templi S. Iustino ab Otgario Archiepiscopo Moguntino erecti, quatuor altaria, à numero 128. celebrabit, quæ ingenij sui monumentis ad posteros traducere studuit. Temporis & obliuionis vsitata damna Iustinum penitus nobis abstulerant, nisi Heiligenstadiensi basilicæ S. Martini eius impressa vestigia fuissent. Transtulit eius corpus Roma Otgarius, & sepulcro conditis ossibus epigraphen inscripsit Rabanus, qui Presbyterum fuisse, & tumulandis martyribus operam nauasse in Christianorum persecutione, meminit.

S. Iustini translatio, & instauratus honor.

CVI.

De capsa, quam Isanbertus Monachus fecit.

LAVDAVIMVS in antiq. Fuld. libr. 1. Sollertiam veterum monachorum, in re quoque fabrili & pictoria. Vtriusque hic artis excultæ specimen habes.

CIX.

In Ecclesia Monasterij, quod dicitur Clinga.

QVINQVE Epigrammata huius ecclesiæ honori data, atq; in Nemetes transmissa sunt. Est enim in Spirensi diœcesi situm Clingense monasterium; sed pristino mutato colore, aliaque facie. Tritthemius Hirsaugiensi Chronico ad annum DCCCCLXXXV. mirificè laudat, ob virtutis & sapientiæ famã, qua tota Germania claruit, Adelbertũ abbatẽ Clingensis monasterij, ex Hirsaugiæ monasterio istuc euocatũ. Et Clingæ monasterium (Clingemünster ipse vocat)

Clinga, Clingense monasterium. Clingemünster. Spirensi diœcesi.

celebrat aliquammultis locis: ad annum MXLI. ceu fraterno fœdere Hirsaugiensi adunatum. iterum ad MCCXXXVII. & Spanheimensi Chronico, denique narrat anno MCCCCXCI. à primæui instituti regula S. Benedicti desciuisse ad Canonicos sæculares, magno malo abbatis, qui metu seuerioris disciplinæ Canonicis manus dederat.

Canonicos pro monachis accipit.

CXVII.

In sepulcro S. Theoduli Martyris.

ALEXANDRI, Euentij & Theoduli martyrum perennat in ecclesia cultus & veneratio V. Non. Maij. Narrat hic, non obuium alibi facile, Rabanus, Theoduli corpus à Carolo magno träslatum Roma ex via Numentana in Germaniam, an & in Moguntinam diœcesim. Sed martyris memoriam, & ecclesiam desuper conditam, flammis incendioque labefactata, ab se restituta, & nouam martyri sedem cum elogio versuum collocatam. Ex martyrum actis in martyrologio Notheri id excerptum notabiliter, quod Seuerina religiosa femina colligens beatum Alexandrum atque Euentium in vno sepulchro, sanctum vero Theodulum separatim in alterò diligenti accuratione, commendauit. Vtinam huius martyris abstrusam, & latentem, vt apparet, nunc memoriam, cum Rabano renouare liceat; & sanctis eis liminibus, aut saltem vestigijs, aduolui.

S. Theodulus martyr Roma à Carolo magno translatus.

S. Theoduli basilica à Hrabano exstructa.

S. Theoduli vetus sepultura.

CXVIII.

Hi versus scripti sunt in ecclesia S. VVigberti, &c.

FRITESLARIA rus sum hic, & Herolfesfeldia, amica viris Apostolicis loca, ab obliuione nobis sæpe vindicanda sunt; & hoc obnixius, quo ab hæresi magis atque magis obteruntur. Hoc egimus in Antiq. Fuldensium libris. Hic illustris basilicæ magnitudo in conspectu ponitur, quæ apud Monasterium Herolsfeldiam olim exstructa est. Loci origines debentur Fuldensi congregationi. S. Lullus Bonifacij discipulus & successor incrementa dedit. Ac tenuia quidem, aut obscura, vt omnium rerum, sic & monasterij & ecclesiæ huius fuere principia, quando Friteslaria Lullo iubente, probante

S. Wigberti basilica apud Hersfeldiam.

probante Carolo magno, S. Wigberti corpus istuc aduectum est. nam interuallo temporis Bruno Hirsfeldiæ, & Rabanus Fuldæ abbates, basilicæ grandioris fundamenta iecere. Testis domesticus Lambertus Hersfeldensis ad annum Christi DCCCXXXI. Sanctum vero Wigbertum sacra dignaque receptum sede, sed non hac ampliore, quæ titulis hic ornatur, res clara est. Et epigraphen illustrem olim eruimus, posterioris dedicationis notam, ab anno DCCCLII. quanquam pro certissima, noluerimus haberi; in ea Luduicus pius Imperator, exstructor basilicæ nominatur, & biennio duntaxat Chronologiam Lamberti supergreditur, qui L. illius sęculi dedicatum affirmat. At certè rem non inutilem egerim, si Lupi Seruati, scriptoris egregij, meo sensu, obscuram orationem de S. Wigberti translatione, interpretatione mea non nihil adiuuem. Is itaque duplicem eam agnoscit, primam ex Fritzlariensi cœnobio factam in oppidum Buriburgum, hinc alteram in monasterium Herolsfeldiense. Ceterum in amplissimo Hassonum pago, qui Saxoni limitaneus, apud Friteslarium vicum, primitiæ collectæ Hassonum ecclesiæ, qui populi ante Saxones, cum Thuringis ad fidem Christianam conuersi, & in limite regni, aduersus Saxones, æternos hostes collocati, vt à S. Bonifacio, eiusque discipulis impigrè exculti sunt; ita Francico imperio militiæ strenuam operam nauarunt. Limitem hunc describo, quicquid terrarum, ripis Adranæ, Fuldæ ac Visurgis, à Septentrione, solstitio brumali versus Occasum prætenditur. Hac enim parte præsertim à Lippia & Paderæ tractu, Saxones infesti Hassonibus vel Hassis imminebant. Ergo apud Adranam fluuium S. Bonifacius cum monasterium loco, qui Friteslar dictus, Hassonibus exstruxisset, conuenæ, cœtusque religiosorum, à feroci hoste, violato limite, sæpe diuexati sunt, ægrèque stationem incolæ tuebantur, donec placuit munitius oppidum, trans flumen editiore loco, condere, cui Buriburgo nomen extitit. Huic cathedræ episcopalis honos obtigit, cuius procurationem penes S. Wigbertum Bonifacius esse voluit, qui simul & abbas Friteslariensis cœnobij, &, vt Lupus Seruatus ait, ex quo omnia hæc haurimus, Sacerdotis secundi ordinis dignitatem, puta apud Hassones, oppido Buriburgo sustinuit. Nam Sacerdos secundi ordinis, vel Suffraganeus, vel idem

Basilicæ structura & dedicatio.

S. Wigberti translatio in monasterium Hirsfeld.

Friteslariensis monasterij sedes.

Buriburgũ oppidum, sedes Episcopi.

S. Wigbertus Buriburgi Coepiscopus.

idem qui Vicarius Episcopi & Archidiaconus, vt olim monuimus.

B. Vitta, vel Albuinus Buriburgi Episcopus.

Quin & B. Vitta, qui & Albuinus, Wigberti successor, disertè à Zacharia Papa, Lupo Seruato, alijsq; salutatur Buriburgensis ecclesiæ Episcopus: ita vt manifestũ sit, etiam publicis Zachariæ papæ rescriptis, Buriburgum episcopali sede cohonestatũ. Buriburgi vero nomen, rerum Moguntiacarum scriptor mutatum suspicatur, aut aliũ in sonum migrasse, quo minus promptũ fuerit loci situm explorare. At qui Fritzlariam diligentius inspexerint, negant eo loco conditũ, quo nũc cernitur, sed ea regione, cui nomen est Frauuemünster, aut monasterium B. Virginis: atq; in vicinia Buriburgũ, excelso in monte, qui è propinquo hodieq; conspicatur trans flumen, situm fuisse tradunt. Rem prorsus hanc attestari videtur Lupus Seruatus, qui in translatione S. Wigberti, quę facta ex veteri domicilio Cœnobij Friteslariensis clarè meminit, vallem depressam interiectam fuisse, & medium flumen, quo superato, tanquam in vicinum montem, vbi Buriburgum recens munitum oppidum visebatur, minimo negotio euasum sit & sancti corpus in tutum receptum. Quare & Topographi diligentiores Buriburgum vicino in monte trans Ederam in hostico Saxonibus obuertunt; Friteslariam citima regione versus Fuldam & Visurgin describunt, quæ modo infernate rure fluminis Adranæ vel Ederæ, ripam vtramque ponte iungit. Buriburgum igitur vicinum Friteslariensi vico monasterioque stetit, munimentum aduersus Saxones, sed cladibus etiam suis caducum atq; hoc in oppido postquam translati pręsulis Wigberti cineres quieuere, memorabiles Hassonum eruptione clades Saxonibus, etiam supernè datis auxilijs, illatæ; & ingens miraculorum lux apud sancti nouum sepulcrum effulsit. Interim ecclesia princeps, quam S. Petri honori Bonifacius olim posuerat apud monasterium, ob incursus populationesq; Saxonum assiduas, vasta ad tempus, & inculta permansit, profanata sæpius ab hoste, qui equis ibi præsepia & stabula fecerat, visis etiam cælestibus, aduersum incendia, aliosq; casus bellorum custodita; quibus exterriti pagani & in fugam acti, libidinem nocendi posthabere coacti sunt. Præclarè hæc publicis Francorum annalibus Lupi seruati, aliorumq; scriptorum literis, ob miraculi magnitudinem, ad posteros transmissa aç celebrata sunt. Regino ad annum

S. Wigbertus quomodo ex Friteslariensi monasterio Buriburgũ translatus.

Ecclesia Friteslariensis.

DCCLXXIV.

DCCLXXIV. qui melioribus exemplaribus DCCLXXIII. Buriburgum castrum agnoscit & munitionem. Fridessare vero locum à castro diuersum notat, in quo basilica à S. memoriç Bonifacio martyre consecrata, & circa eam patentibus locis, villarum ædificia. Caue verò in Lupi Seruati cap. XXIV. vbi Albuinus dicitur Præsul Friteslariensis eiusdem oppidi, Friteslarium cum oppido iungas, qui ab ipso, alijsq; priscis tantum locus dicitur, cum oppidi nomen, de vicino Buriburgo, cuius fuit Albuinus Episcopus, accipi debeat; & Friteslariensis monasterij tantum abbas extiterit. Sed translationem alteram accuratius etiam prosequitur Lupus Seruatus, imperatamq; diuinitus affirmat; forte ne prædam tandem barbari de sacro thesauro facerent: clam tamen exportari cineres oportuit, quo ne Buriburgi incolæ pignoris amabilis accensi desiderio, baiulis id excuterent, aut euectionem prorsus impedirēt. Quare vbi Lullus Archiepiscopus, magnusq; Carolus annuere, sanxit deniq; Albuinus episcopus Buriburgensis, vt fidi tres monachi S. Wigbertum Buriburgo exportarent, at Herolfesfeldij cœnobitæ iustis honoribus eum exciperent. Ita factum, & in ecclesia Hersfeldensi, principe loco magnificè conditus. Monumentum suæ in Diuum pietatis, arcam Lullus erexit, Ciborium Rabanus, ligneū culmen Einhardus in translatione SS. Marcellini & Petri, appellauit, quā more tunc in Gallijs Germaniaq; recepto, auro argentoque, & alijs metallis venustè contectam sepulchro superposuit, Idib. Augusti, ipso Imperatore Carolo operi fauēte. Ceterū huius trāslationis annus etsi à Lupo nō exprimitur, haud ita multo post Saxonū incursiones tamē euenisse colligis ex ipsius verbis, cū Aliquot interiectis annis, translatū narrat. puta ex quo Saxones absentiā Caroli in Italia contra Desiderium Longobardū bellum gerentis, suā rati occasionē violato limite Friteslariam iterata populatione infestarāt. Id quod Francici annales cū Anastasio, Reginone & alijs, ad annum DCCLXXIII. vel DCCLXXIV. referunt: cū autem S. Lulli pontificatus annorum periocha contineatur, quæ à DCCLIV. vsq; ad DCCLXXXVII. excurrit, circa Domini ann. DCCLXXX. hanc translationem factam, haud temerè conijcias. At Basilica ad quam epigrammata pertinent, quæ nunc præ manu sunt, anno, vt Lambertus scribit, DCCCL. vel DCCCLI. V. Kalendar. Nouem-

S. Wigbertus Buriburgo translatus Hersfeldiā

Translationis annus quis?

Nouembris, ab ipso Rabano, tum Moguntiacensi archiepiscopo dedicata est. eodemque tempore, postero scilicet anno, translata sunt in alium basilicæ locum, Ossa S. Lulli. Quippe in veteri catalogo reliquiarum ecclesiæ Hirsfeldensis hi extant tituli.

S. Wigbertus.

S. VVigbertus Abbas totus hic præsens est corpore.

S. Lullus olim in Hersfeldensi monasterio quiescebat

S. Lullus episcopus requiescit hic corpore.

CXXXII.

In Ecclesia S. Philippi.

Hanc in Diœcesi Moguntina adhuc inquirimus.

HYMNI HRABANI.

Hymni Ecclesiastici.

LIBRO II. de Institutione Clericorum, cap. 49. hymnos dici vult Rabanus, quæcunque in laudem Dei carmina dicuntur; vsum „ eorum Christi & Apostolorum exemplo commendatum; & valere „ quidem ad mouendum piè animum, & inflammandum diuinæ di-„ lectionis affectum. alios afflatu superno, alios humano ingenio factos. Autores hymnorum Ecclesiam habere præcipuos, in Occidentis Ecclesia Sanctos Hilarium & Ambrosium. Hactenus ex „ Hrabano, qui hos aliosque æmulatus, hymnodiam contexere aggressus est, ex qua non pauca carmina in hanc diem ecclesia vsui publico consecrare, aut à maioribus accepta retinere voluit. Et hymnorum certè canendorum studium quantopere Rabanus in suorum discipulorum animis excitarit, & in cætera monasteria exemplum deriuarit, docent hymni antiquorum patrum, qui nuper ex Sangallensi bibliotheca prodierunt, Tom. V. Antiq. lect. Porro hymnos nonnullos hic reperiri, qui scriptoribus aliis vindicari possint, haud diffitear; & quia vetustæ membranæ manu non antiquissima nonnullos insertos obseruauimus, eos ad discrimen faciendum asteriscis insigniuimus; reliquos plerosque, quia eodem charactere & titulo versuum Hrabani præscripti sunt, eidem, ceu prolis legitimæ parenti transscribere nil veremur.

Autores eorum.

Hrabani hymnodia

2. *De Natale Domini.*

IVRISCONS. clarus Henricus Canisius cum Theodolfi Aurelianensis episcopi poëma recenset, quod Tom. V. antiq. Lectionis euulgarat, Tom. VI. promit inter alia & hunc hymnum sanè dulcem, de Natali domini, metro trochaico tetrametro scriptum, & ingenuè fatetur, in libro, quo vsus est, autorem nullum prodi, vt conditione possidentium hic vti meliore liceat. Hrabani hymnus Natalitius

4. *De Epiphania.*

THVS, myrrham, aurum ab Ophir. Hoc postremum ad Salomonis classem, quæ aurum ex Ophir adportauit, aliaque loca scripturæ veteris alludere videtur. De situ & notatione Ophir multum inquirunt scripturæ interpretes. Adi B. Ariæmontani præfationem in Phaleg. Ioseph. Acost. lib. 1. c. 3. &c. de Nouo orbe. I. Bochium in psal. 219. Ophir.

9. *De Ascensione. Festum nunc celebre.*

PRIMVS hic hymnus est, qui in multis Galliarum & Germaniæ Ecclesiis receptus. Retulit eum in thesaurum suum, cautè, si quidem legēdus, Georgius Fabricius, incerti autoris titulo. Inspeximus hymnorum librum, Coloniæ ante centum annos Henrici Quentelij typis excusum, vna cum expositione, vt magna tunc tēporis erat Ecclesiasticorum carminum reuerentia, in quo nonnulli ex his, ceu in Ecclesia vsitati enarrantur, v.g. IX. *de Ascēsione Domini*, & XVIII. *Præco præclarus, sacer & propheta*, de natali S. Ioannis Baptistæ: Tum XIII. *Fit porta Christi peruia.* Denique XII *Quod chorus vatum venerandus olim.* In Purificatione S. Mariæ. Nā cæteri, quos Ecclesia Romana frequentat, *Veni creator spiritus*, hic X. ab aliis S. Ambrosio. *Aurea luce* XVII. SS. Apostolorum Petri & Pauli feriis, Elpi Seuer. Boëthij vxori. *Christe Sanctorum* XIV. & XVI. *Tibi Christe splendor Patris*, qui in laudem Michaëlis Archangeli canuntur, incerto autori tribuuntur. Hymnus de Ascensione. Hymni Hrabani ab Ecclesia recepti. Hymni dubiè illi adscripti.

23. & 24. *SS. Marcellini & Petri.*

SS. Martyrum Marcellini & Petri gloriosa & plena miraculis extitit translatio; quā Eginhardus ex Caroli magni & Ludouici filij SS. Marcellini & Petri translationes, & memoriæ

Palatino, religiosus & eruditissimus Abbas, quatuor libris, qui tomo VII. Suriano leguntur, accuratè pièq; descripsit; annalium ecclesiasticorum scriptor excerptum anno Christi 826. & sequentibus attexuit. Primus aduentus martyrum ex Vrbe Michilunsstadium, in saltu, cui nomen Odonovvald, inter Nicrum & Mœnũ, sex circiter leucis à Mœno flumine dissitum, quo in loco recens Einhardus secessum vitæ tranquilliori, & basilicam erexerat, sed eo dum tempore nō dedicatam. Hic Martyres depositi, multis supernæ monitis vrgebant discessum, donec repetitis mandatis, septem continuo diebus, perenni sanguinei humoris scatebra distillantes impetrarunt euectionem; conditique sunt basilica Mülinheimia, vbi nunc cum amplissimo monasterio, cui Einhardus præfuit, basilica & oppidum Seligenstadium Moguntinæ ditionis, ad Mœnum amnem situm est. Horum itaque martyrum patrociniis indulget hic Rabanus, & memoriam sibi familiarem (nam diurno non multo amplius itinere Fulda distat) impensè veneratur.

Michilunstadium.

Mülinheimium.

Seligenstadium.

Cuius successor perfecta presbyter aula
Ratlaicus sanctis condidit hunc titulum.

Ainhardum basilicæ conditorem memorat, huius successorē Ratlaicum presbyterum & abbatem, basilicæ nouam fabricā vel aulā adiecisse, qua martyres decentius accubarēt, atque ad tituli decus poposcisse ingenium amici poëtæ. Ratlaicus is, qua consilij, virtutis, doctrinæque præstantia, postea in Luduici imp. palatio floruerit, ex eius Epitaphio cognoscetur. Prorsus eundem censemus, quem Einhardus in actis translationis SS. Martyrum, suum vocat Notarium; & cuius perspicaci industria, solertiaque, corpora ista primum in Vrbe ex crypta basilicæ S. Tiburtij extracta, indeque magnis itineribus, ausu non magis forti, quam felici successu, ductuque cœlitum ad Mœnum translata sunt, renouatis vbique, & quacunque incederent, impressis veterum sanctorum, quæ in eiusmodi traiectu euenire solent, miraculorum vestigiis. Vna vero litera mutata passim Eginhardo dicitur Ratleicus.

Einhardus Abbas Seligenstad.

Ratlaicus successor quis & qualis.

25.

COLVMBANVM hymnographum nullus exsculpo Caroli magni exstincti desiderium, & virtutum eius splendorem pingit haud

Columbanus scriptor.

haud inſcite. Animæ commendationem defunctis impertiri ſolitam clarius etiam approbat.

26.

VLTIMVS qui agmen claudit, & ἄμετρος, & acroſtichis eſt Alphabeti ſerie, Caritatis æque bona atque auaritiæ ſordes ob oculos ponens; mendis ſcatebat, & metri inconcinnitas, ſermoniſq; barbaries dubitare ſuadent, an in Rabani partu numerari debeat.

Hymnus de Caritate & Auaritia.

IN EPITAPHIA HRABANI.

1. *Hiltebrati Epiſcopi.*

EX Fuldenſis congregationis gremio ad Epiſcopi dignitatem euectus; quam vbi ſuſtinuerit, nullo veterum indicio facile cõſtituas. Hildebertos, quos cum Hiltebrati nomine concilio, reperio non paucos. Quid autem Hilt in eiuſmodi compoſitione veteribus Germanis ſignificarit, inueſtigat Gretſerus noſter, in prolegomenis ad Commentarium Pauli Bernriedenſis de vita Gregorij VII.

Hiltebratus Epiſcopus.

2. *Einhardi.*

HOc Epitaphium baſilicæ Seligenſtadienſi ſcriptum, in qua Einhardus tumulũ accepit; cuius viri ſua ætate rerum vſu doctrinaq; lõge principis clarior, apud eruditos fama, quã quæ ſcholiis attolli debeat. Vindicauit autẽ ab amoris improbi leuitate caſtum ipſius coniugiũ Cæſar Baronius annaliũ Tomo IX. ad annũ Chriſti DCCCXXVI. Superuixit anno DCCCXLVIII, quo ſecundæ Synodo à Rabano celebratæ interfuit, vna cum ceteris abbatibus. annus vitæ ſupremus mihi non compertus.

Einhardus abbas ex regio Senatore.

3. *Lotharij Imp.*

GEMMA carius hoc monumentum, fruſtra apud Prumiæ poſteros cœnobitas quærendum. Regino in Chronicis, ad annũ DCCCLV. Lotharius diſpoſitis atq; ordinatis regni negotiis, valedicẽs ſuis mũdũ reliquit, atq; in Prumiã monaſterium veniens, comã capitis depoſuit, habituq; ſanctæ cõuerſationis ſuſcepto, in religionis profeſſione diem clauſit extremũ III. Kalendas Octobris.

Lotharii Imp.

T 2 qui

Dies obitus Lotharii.

qui dies signatè Epitaphio subiicitur, à quo discedit annalium ecclesiast. Scriptor, qui quartum Kalend. Octobris ex sua, ex aliorũ quoq; sentẽtia sextũ expressit; meminitq; Lothariũ à Rabano laudatũ in libro de Anima,& ab Angelomo,præfatione in Cantica.

4. *Haistulphi Archiepiscopi.*

Haistulphi archiepiscopi Mog. tumulus in S. Albani.

DE quo consule rerum Moguntiacarum lib. IV. in Haistulpho, vbi licet tumulus non disertè ostendatur, illum tamen cum hoc epitaphio in S. Albani monasterio olim exhibitum,& à Rabano illustratum,ea verba docẽt, quibus locus is auorum memoria, bello Brandeburgico,sacrilega flamma proditur deletus.

5. *Otgarij Archiepiscopi.*

Otgarij archiepiscopi ibidẽ

ET is monumentis ecclesiæ Moguntinę cãtatus est. Anno Christi DCCCXLVII. relicta vita,in S. Albani sacello,quod D. Bonifacij titulum habuit, sepultus, à successore Rabano ornatus est hoc epitaphio.

6. *Rabani Archiepiscopi.*

Hrabani archiepiscopi indidem.

HOc epitaphium verbatim prope expensum à se in Moguntiacis edidit Nicolaus Serarius;& ab ipso superstite dum Rabano conscriptum ostendit ; & pręter alia coarguit quoque versuum contextus. Publicarat iam ante Melchior Hittorpius in Cõmentario de diuinis Cath. ecclesię officiis,vbi Rabani libris de Institutione clericorum pręfigitur,cum hac epigrapha:

EPICEDION RABANI MAVRI IN VITAM SVAM.

IACOBVS Wimphelingius,ante centum amplius annos,ad calcẽ operis Acrostichidũ de S.cruce,reiecit,ceu ex ruderibus monasterij Montis S. Albani,quod iam tunc cesserat Canonicis,erutũ & addit,in Mogũtinensi cathedra sedisse annis IX. obiisse DCCCLVI sepultum in monte S. Albani, inde Fuldam translatum; cui parum concors Trithemius,cũ S. Maximũ & S. Rabanũ ab Alberto Cardinale. Moguntia exportatos scribit in Saxoniam,conditosquè in Hallensi S. Mauritij basilica,anno MDXV. Sanctis autem annumerari Rabanum, etsi priuati quidam monẽt scriptores;in publicum tamen,vel hic etiam Fuldę,neque probantur,neque audiuntur.

Hrabani translatio.

Hrabanus an in Sanctis.

7. *Alchuini.*

Alcuinus vel Albi-

ALCVINI seu Albini Flacci, viri suis temporibus in rerum maximarũ scientia summi,quis laudès pręconiaque nescit. Trit-

themius in illustrium scriptorum censu illum merito posuit. Multa ipsius hac ætate ingenij monumenta in lucem prolata; inter quæ posteriores nō ferūt, quæ Tomo I. V. & VI. Antiq. Lectionis, vir iuris ac veteris memoriæ callēs. Henricus Canisius, qui & hoc Epitaphium ipsius, Albini an Rabani, ingenio scriptum intexuit, de quo libro I. antiq. Fuldens. inquisiuimus, cū vicina Fuldanæ Hirsfeldēsis ecclesia Albini cineres & vrnam sibi vendicet. Mortuum ferūt anno DCCCIV. & titulus à Canisio proponitur, quo Beatæ memoriæ Dominus Alchuinus abba obiisse scribitur, in pace XIV. Kalend. Iunias. Tom. VI. antiq. Lect. & ad eandem diem Martyrologio Rabani eius celebratur depositio. nus Flaccus. Alcuini monumēta. Alcuini memoria.

8. *Reginbaldi Chorepiscopi.*

ABSQVE Rudulphi commentario fuisset, huius Reginbaldi iā nulla memoria viueret. Traditur itaque in actis Rabani, Otgarij archiepiscopi fuisse suffraganeus, siue Chorepiscopus, & Rabano in transferendis condendisque SS. Venātij, Vrbani & Quirini, aliorumq; diuorum reliquiis, sedulum & pium affuisse constat. Reginbaldi Suffraganei Otgarii Mog.

9. *Aegilis Abbatis.*

DE Ægile abbate Fuldensi, Rabani educatore, actum alibi. Ægil abbas Fuld.

10. *VValachfredi Abbatis.*

AVGIÆ diuitis is Abbas, Walafredi strabi nomine vulgo notior, discipulus Rabani, & in S. Galli ac Fuldensi monasteriis educatus. de quo Tom. VI. antiq. Lect. ex diuersis multa collegit Henricus Canisius, & in antiq. Fuld lib. I. laude eum sua pro merito cohonestauimus. Creatum abbatem volūt in ordine duodecimum, anno Christi DCCCXLII. obiisse in Augia, quo hoc epitaphiū transmissum DCCCXLIX. regiminis sui VIII. Vt Iodocus Metzlerus lib. de illustribus viris S. Galli, ex Hermanno Contracto, docuit. Walachfredus abbas Augiēsis.

15. *VVicgfrida.*

Et post busta viri Nonna dicata Deo est

REPETITVM ab vltima Christianorū antiquitate Nonnæ vocabulum, patribus vsurpatur pro religiosa & consecrata Deo fœmina, id quod valde significanter S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium Maritorum expertę dominatum, viduitatis pręferunt libertatem. Castæ vocantur & Nonnæ. Consule. Wicfrida Nonna.

16. *Irmingardis.*

Irmingardis regina Lotharii.

PLANE consentiens huic Epitaphio Reginonis Chronicon. Anno Dominicæ incarn. DCCCLI. *Obiit Hermingardis regina cõiux Lotharij imp. venerabilis & Deo acceptabilis matrona.* At priscis diplomatis nomẽ etiam Imperatricis præferre obseruauimus. Porro Irmingardi Augustæ in prænobili Alsatici soli virginum monasterio, quod Ehrinsteinium appellant, sepultura obuenit. id vero monasterium Hirmingardis vxor Luduici pij, circa annum domini DCCCXIX. felici origine beasse; Lotharius autem & eius coniux Irmingardis multis opibus cumulasse scribitur. Vnde Bruschij placita in catalogo Argentinensium Episcoporum non dissimules, qui cum Lotharij reginæ tribuit Parthenonis originem, hanc & filiam eiusdem nominis ibi tumulatas accepit. Sed auscultẽ hic magis recentioris, haud vulgaris notæ scriptoris, Frãcisci Guillimanni arbitrio, quem adeas licet in *Vthone Arg. ecclesiæ XXI. Episcopo.

Ehrinsteinii monasterio Alsatiæ sepulta. Irmingardis Ludouici pii coniux.

*Hattone

18. & 19. *Gundrammi & Otdrudæ coniugis.*

Gundrãmus & Otdruta. Solæhofii, aut cellæ S. Solæ benefactores.

IN obscura priuatorum memoria nihil hic occurrit excogitatu prõptius, quam quod lib. III. Antiq. Fuld. Cap. XIII. in monasterii Solæhofij originibus traditũ est, vbi facta mentio Guntrami nepotis Rabani, cuius donatione tractus ille terrarum, in Bambergæ & Eistadij diœcesion limitibus, Monasterio Fuldensi obtigit. Neq; prohibet, ibi Capellanum & D. sacrum salutari. cum enim in palatio militasse, & regia liberalitate S. Solæ curiam impetrasse scribitur, fieri potuit, vt maturior iam annis, post matrimonium abdicato sæculo, monasticen amplexus sit, & hinc iterum ad regum obsequia traductus. Nostræ coniecturæ fauet iste versiculus:

Horum nempe datum Bonifacius obtinet istum
Martyr rite locum, consecrat & domino.

20. *Ratlaici Presbyteri & Abbatis.*

Ratlaicus presbyter Notarius. Abbas Seigenstadii

EIVS in hymnis meminimus, ceu successoris Einhardi, & Abbatis Seligenstadiani; hic iam iustis honoribus à Rabano cumulatur.

FINIS.

INDEX





INDEX IN HRABANI MAVRI POEMATA DE DIVERSIS.

A

ACrostichidum ostensa vetustas. 111

Adamus paradiso eiectus & mors insecuta genus humanum. 33

Ægyptus inuentrix picturæ. 31.& 120

Ægil Abbas Fuldensis. 21.118

Ætatis vicissitudo. 18

Albinus communis magister. 25.111. Eius officium apud Turones. 4

Alexandri & Fabiani pontif. Roman. Elogium. 96

Alcuinus vel Albinus Flaccus. 148. Eius monumenta 149. Eius memoria. ibidem

Amici reprehensio. 21

Amoris vis. 13

Arca fœderis. 115

De Ascensione hymnus. 73.145

SS. Aurei & Iustini passio non sincerè tradita. 133.

B.

BAsilica Fuld. S. Saluatoris cum altarium & reliquiarum monumentis. 40.& 124

Baturicus Ratisbonensis Episcopus. 82 Eius etymon. 9. elogia. 8. 112. Synodo interest Moguntiaci. 103. Eius gratia apud Ludouicum Regem & L. Filium ibidem. Bohemorum proceres baptizat. 113

Bleidenstadt. 138

S. Bonifacius Monasterium Friteslariense extruxit. 141. quando Moguntiam translatus sit. 136. Eius exta & sanguis asseruata Moguntiæ in templo S. Ioannis 136. Eius tumulus primò Gerlaci Archiepiscopi Moguntini, postmodum Reuerendissimi Stephani VVeberi Suffraganei pietate restoruit. 136

Bonosus post Hatto Fuldensis Abbas. 119. Eius elogium. 120

Brunvvardus Suffrag. Mog 117. Abbas Hersfeldensis. Eius etymon. ibid. allusio ad nomen Brunvvard. 19

Buriburgum oppidum sedes Episcopi. 141

C

CAroli magni obitus. 85

De Caritate & auaritia hymnus. 86. 148.

Christus humani generis reparator. 34. Christi vita, miracula. 35. Passio, Apostolorum instru-

ctio

ctio. 36. Eiusdem ad limbum descensus, resurrectio, ad cœlum ascensio. ibidem. Venturus est Iudex. 37. Christi typi ex veteri testamento repræsentati 13 115. Christus vnde dicatur, cur vocetur Hiesus Immanuel, Deus, Vnigenitus, Homousion, Principium, Finis, Os Dei, Veritas, Vita, Manus Dei, Virtus, Sapientia, Lumen, Oriens, Paracletus, Sponsus, Missus, Mediator, Nazarenus, Panis, Petra, A & Ω, Leo. 102. & seq.
Ciborium quid. 132
Clemens Scotus. 118
Clingense Monasterium. 58. 139
Cœmeterium vetus Monasterij Fuldensis. 43. 126.
Columbanus scriptor. 146
S. crucis acrosticha. 5. De S. cruce varia carmina. 54. 55. crux cum suis mysteriis effigiata ex imaginis Christi membrorum situ. 101

D

Dagobertus traditur fundator Ecclesiæ S. Martini Heiligenstadij. 132
Damnatorum supplicia. 38
Deprecatio rei peccatoris. 38
Diuina humanis anteponenda. 18
Deus triplex an rectè dicatur. 114

E

Ecclesiarum illustrium inscriptiones. 123
Ecclesia montis B. Virginis apud Fuldenses. 43. 126.
Ecclesia S. Mariæ Moguntiæ, quæ nunc S. Ioannis. 136
Einhardus abbas Seligenstad. 146
Electorum gloria. 37
Epigraphe insculpta lipsanothecis SS. Tiburtij, Valeriani & Cæciliæ. 97
Episcoporum ornamenta & epitheta. 20
Epitaphia varia. 88 & seq.
Eua tentatur à serpente. 33
Exhortatio fratrum ad orationem. 46
Exemplum Rectoris quid valeat. 12

F

Ferrutius martyr. 57. 138. Bleidenstadium transfertur. 138
Francorum gemina nomina, vernaculum & latinum. 115
Fridericus Episcopus Hrabano familiaris. 116. Friderich nominis germani duplex etymon. 116. Allusio ad nomen Friderich. 17
Friteslariensis Monasterij sedes 141. Friteslariensis ecclesia. 142
Fuldensis Basilicæ S. Saluatoris altarium inscriptiones & tituli ab Hrabano facti. 40. & seq. 51. & seq 124. & seq. 137. & seq. Fuldenses patroni. 129.

G

Gerholus Presbyter. 22. 118
Gerhoh id est sagitta. 22 118
Gregorii IV. ætas bellis inquieta. 109

H

Haistulphi archiepiscopi Mog. tumulus in S. Albani. 89. & 148
Hrabanus Francus sed orientalis 4. Eius acrostichis laudata & quando scripta 109. Quibus & quando dedicauerit opus S. crucis. 108. Eius tempora annotata 109. Quando cœperit literas spar-

ras spargere. 109. Vixit Turonibus studiorum gratia, non Parisiis. 5. 111. librorum copiam petit. 21. Paupertatis studiosus 21. 118. Eius prosodia excusata. 124 Basilicam Heiligenstadiensem dedicat & ornat. 134. Fundamenta grādioris Basilicæ Hirsfeldensis iecit. 141. Ecclesiā Bleidenstadiensem amplificauit. 138. Basilicam S. Theoduli extruxit. 60. 140. Eius hymnus natalitius 145. & 68. Hymni eius ab Ecclesia recepti 145. Eius translatio. 148. An in Sanctis numeretur. ibid. Eius tumulus. ibidem. Fuldenses monachos ad literarum studia hortatur. 99 Eius vetus scriptum de S. Cruce. 101. Eius hymnodia. 144. Epitaphium. 90

Heiligenstadium oppidum eiusque situs & origines. 132. Vnde nomen sortitum 133. Serò muris inclusum. 134. Sub VViligiso Episcopo Mog. dictum Heiligenstadt. 134

Hiltebratus Episcopus. 147

Hominis creatio & lapsus. 33

Hornbach monasterium in hudesruchi tractu. 138

Humilitas. 16

Humbertus VVirziburgi Episcopus. 127

Hymni Ecclesiastici, 56. & seq. eorum authores. 144. Hrabani ab Ecclesia recepti. 148

I

INscriptiones altarium Fuldensis Basilicæ. 40. & seq.

Irmingardis imperatricis obitus & Epitaph. 93. & 94. 150. vbi sepulta. ibid. coniux pij Ludouici. ibid.

Isanbertus origine Boius vixit Fuldæ. 114. Eius capsa quam fecit Monachus. 57. Epitaph. 92. & 93

Iudicij extremi dies. 37

S. Iustinus Confessor. 57. Eius translatio & instauratus honor. 139. Eius memoria vindicata. 133

L

LItaniæ versu scriptæ. 48. Sangallenses & Fuldenses inter se comparatæ. 128. & 129. approbatæ. 130

Lotharii Imperatoris postea monachi Epitaphiū. 89. quando obierit. 89 & 147

S. Lullus olim in Hersfeldensi monasterio. 144

M

SS. MArcellini & Petri tranlationes & memoriæ. 145

S. Martini Collegialis ecclesia Heiligenstadii. 132 Sanctorum. 4. conseruat memoriam. 134

Mauri ad Deum oratio. 69

Meginfridus Fuldensis monachus historicus 135. Eius labor in Episcoporum Mogunt. serie digerenda. ibid. De eo censura. ibidem

Moguntiacensis Ecclesiæ historiæ obscuritas quo ad seriem Episcoporum, obliuionem, ordinem nomina. 135. Moguntina Ecclesiæ Episcoporum interrupta successio. 136

Membrorum in corpore tuendo conspiratio. 26.

Michilunstadium. 146

Monasterium & Ecclesia Holtzkyricha. 46. 127.

Mortuorum resurrectio. 37

Mulinhemium. 146

N

NOrici recentior acceptio pro Bauaria. 114.

O

OEconomia Christi circa salutem humanam. 31.& 123
Ophir. 145
Oratio Mauri ad Deum. 69
Otgarius Archiepiscopus Moguntinus quo tempore sederit. 116. Eius laus 118. Eius tumulus Moguntia in S.Albani. 89.& 148

P

PAtientia. 50. Eius fructus. 29. ad eam Parenesis. 27
Paschalis papa. 3.& 108
Permenius Episcopus. 56.137
Personarum diuinarum attributa. 32
S.Philippi Ecclesia. 63.& 144
Pietas. 50
Poetica licentia documentum. 124
Pontificis summi illustre praeconium. 3
Praeclarus Episcopus quis 10.& seq. item 115. Eius encomium. 10
Prudentia. 50

R

RAbanus discipulus Albini. 110. celebrat Synodum Magoniiacensem anno DCCC. XVI. 13
Ratlaicus successor quis & qualis. 146. item. 150.
Ratisbona 8. Ratisbona olim in dioecesi Magontina. 113. Eius tituli, antiquitas, splendor. 113. Etymon. ibid.
Ratgarius Abbas Fuldensis. 20. Eius encomium. 117. Institutor Hrabani. 118. Condidit Monasterium B.Virginis. 115
Regen vel Regina fluuius & Castra. 114
Reginbaldus Suffraganeus Otgarii Archiepiscopi Mog. 127

S

SAmuel presbyter. 23.& seq. & 119. Hrabani condiscipulus. ibid. Magister & doctor. 24. Vangionum Episcopus ex Abbate Laurisheimensi. 119
Sanctorum frequens inuocatio. 27
Sanctorum à condito mundo certamina. 28. & seq.
Schisma Fuldense sub Ratgario Abbate. 39. 123.
Scripturarum lectio, scriptio, tractatio. 21
Scriptura & pictura comparatio. 120
Scriptoria ars. 121 eius laus. ibid antefertur picturae. 122. varia genera, instrumenta, calamus & penna. 122
SS.Sergius & Bacchus martyres. 130. Eorum translatio in occidentem. ibid. Eorum secunda translatio in dioecesin moguntinam. 131. Eorũ tumulus ab Otgario & Hrabano ornatus. 131. In Eisfeldia quaesiti. 132
Seligenstadium. 146
Sin & Sinai quomodo mensura vel amphora. 121.
Solahofij aut cella S.Solae benefactores. 150

T

TEmperantia. 51
S.Theodulus martyr. 59. 140. Eius corpus Roma à Carolo Magno translatum. 140. Eius vetus sepultura. ibidem.

Versus:

V

Versus more litaniæ facti. 48. *Inscripti honori SS. Vrbani, Quirini & Venantij.* 72.
B. *Vitta vel Albuinus Buriburgi Episcopus.* 142.

W

Walahfredus Abbas Augiensis. 149
VValafridi Strabonis poemata ad Hrabanum Maurum. 100
S. *VVigberti basilica apud Hersfeldiam.* 60. 140
S. *VVigberti translatio in monasterium Hirsfeld.* 141. *Buriburgi corpiscopus.* ibidem. *Quando ex Friteslariensi monasterio Buriburgum translatus.* 142. *Buriburgo translatus est Hersfeldiam.* 143. *Translationis annus quis.* ibidem
VVicfrida Nonna. 149

Z

Zabuli notio inquiritur. 115

HRABANI ERRATA SIC TOLLE.

PAG. 17. ℣ 34. Orgarium. 19. 35. Consentit. 33. 37. tradere. 37. 39. tuba. 42. 25. tutaberis. 45. 15. Symmysta, & 24. Cæcilia. 68. 28. vulua. 71. 6. ferebant. 13. secreta. 21. Domino. 72. 7. crucient, flagellent. 75. 5. vlnis. 77. 1. clamantis. 79. 22. Dignus laude. 96. 1. ANALECTA. 97. 14. Venantius. 15. Azimino. 21. Rathesdorffiensi. 99. 20. grammate. 106. ℣. 1. 18. præmia.

SCHOLIA.

112. 11. sensa. 120. 16. qua. 122. 15. repertum. 16. interpretem. 128. 26. Nockerus. 130. 21. Metzlerus. 137. 23. à Calvve. 140. 16. Notkeri.

FINIS.


IHS